This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 468348



878
C7
L1
17

M. TULLII
CICERONIS
OPERA.

TOMUS DECIMUS-QUARTUS.

HOC VOLUMINE


continentur

EPISTOLARUM AD ATTICUM LIBRI ſex poſteriores.

EPISTOLARUM AD ATTICUM *Ordo Manutianus, collatus cum vulgato.*

POEMATUM FRAGMENTA.

INDEX LATINUS.



John S. Lawrence Estate
[illegible]
3-31-1925

EPISTOLÆ
AD ATTICUM.
LIBER UNDECIMUS.

*S*ILENTUR *menſes ferè novem. Conſcendit enim, ut ad Pompeium navigaret, III Id. Junii, Lentulo & Marcello coſſ. ut ex epiſtola 7 ad Terentiam cognoſci poteſt ; & ex eo tempore ſcriptæ litteræ, ad menſem Februarium, præter primas libri hujus, nullæ inveniuntur. Nam quum Cæſar, a colloquio illo Ciceronis, quo de penultimâ epiſtolâ libri noni agitur, Romam ſe contuliſſet, pecuniamque ex ſanctiore ærario, nequidquam repugnante L. Metello tribuno plebis, abſtuliſſet ; rebus nonnullis ad ſuum arbitrium conſtitutis, Italiâque Antonio traditâ & commendatâ, ipſe in Hiſpaniam, contra Pompeii legatos exercitum duxit : quo tempore Cicero in Macedoniam III Id. Junii, ut diximus, tranſmiſit, unde priores quatuor epiſtolæ datæ ſunt ; ſed C. Cæſare II & Servilio Iſaurico coſſ. ante pugnam Pharſalicam, partim ex caſtris Pompeii, partim Dyrrhachio. Nam Cæſar, devictis legatis illis, Hiſpaniæque rebus compoſitis, Romam reverſus, conſulque cum*

Iſaurico declaratus, exeunte anno, ut ait Dio, ut Plutarchus, prid. Non. Jan. jam exercitum in Epirum deportaverat. Reliquæ autem epiſtolæ Brundisio, quò jam acie devicto & fugato Pompeio, Cicero ſe contulerat, datæ ſunt, nisi fallor, menſe Octobr. Nam ad Terentiam ſcribens, libro epiſtolarum ad ipſam, pridie Non. Nov. Quòd nos, *inquit*, in Italiam ſalvos veniſſe gaudes *&c. ut ante eas, Brundisio aliæ datæ fuerint. Fuit autem Brundisii menſes minimùm undecim, ab exitu, inquam, Octobris, ad VI Kal. Octobris, anni ſequentis: ut rectè ſubducenti menſes fluxerint plus minùs XXI, quo toto tempore Caſar & cum Pompeio pugnavit, ipſumque in Ægyptum perſecutus eſt: & ibidem contra Ptolemæum bellum gessit, in quo menſes novem conſumpsit, ut Appianus ait: & Romam rediens in itinere Pharnacem recepit. Quæ verò datæ ſunt ex Kal. Jan. uſque Kal. Septemb. C. Cæſare dictatore III, & M. Antonio mag. Eq. ſcriptæ ſunt. Nam, ut Dio ſcribit, populus Rom. auditâ cæde Pompeii, conſulatum abſenti Cæſari, in annos quinque, dictaturam in annum, tribunitiam poteſtatem in æternum mandavit. Qui dictaturam ſtatim iniit, quamvis anni exitu, Calenum & Vatinium, eodem auctore, ſubrogaverit in ternos novissimos menſes. Datæ ante pugnam Pharſalicam res ferè domeſticas continent: quæ poſt pugnam, querelam ſui consilii, vel, ut ipſe vocat, amentiæ & temeritatis, quòd ſtatim ab ipſo conflictu, Pompeianorum causâ nondum planè deſperatâ, & poſtea in Africa propè revireſcente, non exſpectato exitu, in Ita-*

liam venerit : quum neque id tutum , neque honorificum eſſet. Quædam inſunt etiam de remittendo nuntio uxori Terentiæ : de inopia Tulliæ : de ſcelere Dolabellæ, qui tribunus pleb. leges perniciosissimas de novis tabulis ferret, omniaque miſceret. Quædam etiam de Q. Q. contra ſe ſceleratè loquentibus. MALASPINA.

CICERO ATTICO SAL.

1. ACCEPI a te signatum libellum, quem Anteros attulerat; ex quo nihil ſcire potui de noſtris domeſticis rebus: de quibus acerbissimè afflictor, quòd, qui eas diſpenſavit, neque adeſt iſtic, neque ubi terrarum sit ſcio: omnem autem ſpem habeo exiſtimationis, privatarumque rerum in tua erga me mihi perſpectissima benevolentia; quam si his temporibus miſeris & extremis præſtiteris, hæc pericula, quæ mihi communia ſunt cum ceteris, fortiùs feram: idque ut facias, te obteſtor, atque obſecro. Ego in ciſtophoro in Asia habeo ad H-S bis & vicies: hujus pecuniæ permutatione fidem noſtram facilè tuebere; quam quidem ego nisi expeditam relinquere putaſſem, credens ei, cui tu ſcis jam pridem minimè credere, commoratus eſſem pauliſper, nec domeſticas res impeditas reliquiſſem: ob eamque cauſam ſeriùs ad te ſcribo, quòd ſerò intellexi, quid timendum eſſet. Te etiam atque etiam

oro, ut me totum tuendum ſuſcipias; ut, si ii ſalvi erunt, quibuſcum ſum, unà cum iis possim incolumis eſſe, ſalutemque meam benevolentiæ tuæ acceptam referre.

CICERO ATTICO SAL.

2. LITTERAS tuas accepi pridie Nonas Febr. eoque ipſo die ex teſtamento crevi hereditatem. Ex multis meis miſerrimis curis eſt una levata, si, ut ſcribis, iſta hereditas fidem, & famam meam tueri poteſt; quam quidem te intelligo, etiam sine hereditate, tuis opibus defenſurum fuiſſe. De dote quod ſcribis, per omnes deos te obteſtor, ut totam rem ſuſcipias, & illam miſeram meâ culpâ & negligentiâ tueare meis opibus, si quæ ſunt; tuis, quibus tibi moleſtum non erit, facultatibus: cui quidem deeſſe omnia, quod ſcribis, obſecro te noli pati: in quos enim ſumptus abeunt fructus prædiorum? Jam illa H-S LX quæ ſcribis, nemo mihi umquam dixit ex dote eſſe detracta; numquam enim eſſem paſſus: ſed hæc minima eſt ex iis injuriis, quas accepi; de quibus ad te dolore & lacrymis ſcribere prohibeor. Ex ea pecunia, quæ fuit in Asia, partem dimidiam ferè exegi: tutiùs videbatur fore ibi, ubi eſt, quàm apud publicanos. Quòd me hortaris, ut firmo ſim animo, vellem poſſes aliquid afferre,

quamobrem id facere poſſem : ſed, si ad ceteras miſerias accessit etiam id, quod mihi Chrysippus dixit parari (tu nihil significaſti) de domo, quis me miſerior uno jam fuit ? Oro, obſecro, ignoſce : non poſſum plura ſcribere : quanto mœrore urgear, profectò vides : quod si mihi commune cum ceteris eſſet, qui videntur in eadem cauſa eſſe, minor mea culpa videretur, & eò tolerabilior eſſet : nunc nihil eſt, quod conſoletur ; nisi quid tu efficis, si modò etiam nunc effici poteſt, ut ne quâ singulari afficiar calamitate, & injuriâ. Tardiùs ad te remisi tabellarium, quòd poteſtas mittendi non fuit. A tuis & nummorum accepi H-S LXX & veſtimentorum quod opus fuit. Quibus tibi videbitur, velim des litteras meo nomine : noſti meos familiares : signum requirent, aut manum : dices iis, me propter cuſtodias ea vitaſſe.

CICERO ATTICO SAL.

3. QUID hîc agatur, ſcire poteris ex eo, qui litteras attulit ; quem diùtius tenui, quia quotidie aliquid novi exſpectabamus : neque nunc mittendi tamen ulla cauſa fuit, præter eam, de qua tibi reſcribi voluiſti. Quod ad Kal. Quint. pertinet, quid vellem ; utrumque grave eſt, & tam gravi tempore, periculum tantæ

pecuniæ, &, dubio rerum exitu, iſta quam ſcribis abruptio: quare ut alia, sic hoc vel maximè tuæ fidei benevolentiæque permitto, & illius consilio & voluntati: cui miſeræ conſuluiſſem meliùs, si tecum olim coràm potiùs, quàm per litteras, de ſalute noſtra, fortuniſque deliberaviſſem. Quod negas præcipuum mihi ullum incommodum impendere, etsi iſta res nihil habet conſolationis, tamen etiam præcipua multa ſunt, quæ tu profectò vides, ut ſunt, & gravissima eſſe, & me facillimè vitare potuiſſe; ea tamen erunt minora, si, ut adhuc factum eſt, adminiſtratione diligentiâque tuâ levabuntur. Pecunia apud Egnatium eſt: sit a me, ut eſt: neque enim hoc quod agitur, videtur diuturnum eſſe poſſe; ut ſcire jam poſſim, quid maximè opus sit: etsi egeo rebus omnibus; quòd is quoque in anguſtiis eſt, quicum ſumus; cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes, nobis, conſtitutis rebus, eam rem etiam honori fore. Tu, ut antea feciſti, velim, si qui erunt, ad quos aliquid ſcribendum a me exiſtimes, ipſe conficias. Tuis ſalutem dic. Cura, ut valeas. In primis id, quod ſcribis, omnibus rebus cura & provide, ne quid ei desit, de qua ſcis me miſerrimum eſſe. Idibus Jun. ex caſtris.

CICERO ATTICO SAL.

4. ACCEPI ab Isidoro litteras, & poſtea datas binas. Ex proximis cognovi prædia non veniſſe : videbis ergo ut ſuſtentetur per te. De Frusinati, si modò futuri ſumus, erit mihi res opportuna. Meas litteras quòd requiris, impedior inopiâ rerum, quas nullas habeo litteris dignas ; quippe cui nec quæ accidunt, nec, quæ aguntur, ullo modo probentur. Utinam coràm tecum olim potiùs, quàm per epiſtolas ! Hìc tua, ut poſſum, tueor apud hos : cetera Celer. Ipſe fugi adhuc omne munus, eò magis, quòd ita nihil poterat agi, ut mihi & meis rebus aptum eſſet. Quid sit geſtum novi, quæris : ex Isidoro ſcire poteris : reliqua non videntur eſſe *difficiliora. Tu id velim*, quod ſcis me maximè velle, cures, ut ſcribis, ut facis. Me conficit ſollicitudo, ex qua etiam ſumma infirmitas corporis ; quâ levatâ, ero unà cum eo qui negotium gerit, eſtque in ſpe magna. Brutus amicus in cauſa verſatur acriter. Hactenus fuit, quod cautè a me ſcribi poſſet. Vale. De pensione altera, oro te, omni curâ considera, quid faciendum sit, ut ſcripsi iis litteris, quas Pollex tulit.

CICERO ATTICO SAL.

5. Quæ me cauſæ moverint, quàm acerbæ, quàm graves, quàm novæ, coëgerintque impetu magis quodam animi uti, quàm cogitatione, non poſſum ad te sine maximo dolore ſcribere: fuerunt quidem tantæ, ut id, quod vides, effecerint: itaque nec quid ad te ſcribam de meis rebus, nec quid a te petam, reperio: rem & ſummam negotii vides. Equidem ex tuis litteris intellexi, & iis, quas communiter cum aliis ſcripsiſti, & iis, quas tuo nomine, quod etiam meâ ſponte videbam, te ſubdebilitatum novas rationes tuendi mei quærere. Quod ſcribis placere, ut propiùs accedam, iterque per oppida noctu faciam; non ſanè video, quemadmodum id fieri possit: neque enim ita apta habeo deverſoria, ut tota tempora diurna in his possim conſumere; neque ad id, quod quæris, multum intereſt, utrùm me homines in oppido videant, an in via: ſed tamen hoc ipſum, sicut alia considerabo, quemadmodum commodissimè fieri poſſe videatur. Ego propter incredibilem & animi & corporis moleſtiam conficere plures litteras non potui: iis tantùm reſcripsi, a quibus acceperam. Tu velim & Basilo, & quibus præterea videbitur, etiam Servilio conſcribas, ut

tibi videbitur, meo nomine. Quòd tanto intervallo nihil omnino ad vos; profectò intelligis rem mihi deeſſe, de qua ſcribam, non voluntatem. Quod de Vatinio quæris; neque illius, neque cujuſquam mihi præterea officium deeſſet, si reperire poſſent, qua in re me juvarent. Quintus aversissimo a me animo Patris fuit: eódem Corcyrâ filius venit: inde profectos eos unà cum ceteris arbitror.

CICERO ATTICO SAL.

6. SOLLICITUM eſſe te quum tuis communibuſque fortunis, tum maximè de me, ac de dolore meo, ſentio: qui quidem dolor meus non modò non minuitur, quum ſocium sibi adjungit dolorem tuum, ſed etiam augetur. Omnino pro tua prudentia ſentis, quâ conſolatione levari maximè possim: probas enim meum consilium, negaſque mihi quidquam tali tempore potiùs faciendum fuiſſe: addis etiam (quod etsi mihi levius eſt, quàm tuum judicium, tamen non eſt leve) ceteris quoque, id eſt, qui pondus habeant, factum noſtrum probari. Id si ita putarem, leviùs dolerem. Crede, inquis, mihi. Credo equidem; ſed ſcio, quàm cupias minui dolorem meum. Me diſceſſiſſe ab armis numquam pœnituit: tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barba-

ris gentibus conjunctio, ut non nominatim, ſed generatim proſcriptio eſſet informata; ut jam omnium judicio conſtitutum eſſet, omnium veſtrûm bona prædam eſſe illius victoriæ, veſtrûm, planè dico; numquam enim de te ipſo nisi crudelissimè cogitatum eſt. Quare voluntatis me meæ numquam pœnitebit: consilii pœnitet: in oppido aliquo mallem reſediſſe, quoad arceſſerer: minùs ſermonis ſubiiſſem; minùs accepiſſem doloris: ipſum hoc me non angeret. Brundisii jacere in omnes partes eſt moleſtum: propiùs accedere, ut ſuades, quo modo sine lictoribus, quos populus dedit, poſſum? qui mihi incolumi adimi non poſſunt: quos ego modò pauliſper cum bacillis in turbam conjeci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret: reliquo tempore me domo. Te nunc ad Balbum & Oppium: &, quoniam iis placeret modò propiùs accedere, ut hac de re considerarent: credo fore auctores; sic enim recipiunt, Cæſari non modò de conſervanda, ſed etiam de augenda mea dignitate curæ fore: meque hortantur, ut magno animo sim; ut omnia ſumma ſperem: ea ſpondent, confirmant, quæ quidem mihi exploratiora eſſent, si remansiſſem. Sed ingero præterita. Vide, quæſo, igitur ea, quæ reſtant, & explora cum iſtis; & si putabis

opus eſſe, & si iſtis placebit, quò magis factum noſtrum Cæſar probet, quasi de ſuorum ſententia factum. Adhibeantur Trebónius, Panſa, si qui alii; ſcribantque ad Cæſarem, me, quidquid fecerim, de ſua ſententia feciſſe. Tulliæ meæ morbus, & imbecillitas corporis me exanimat; quam tibi intelligo magnæ curæ eſſe; quod eſt mihi gratissimum. De Pompeii exitu mihi dubium numquam fuit: tanta enim deſperatio rerum ejus omnium regum & populorum animos occuparat, ut, quocumque veniſſet, hoc putarem futurum: non poſſum ejus caſum non dolere; hominem enim integrum, & caſtum, & gravem cognovi. De Fannio conſoler te? perniciosa loquebatur de mansione tua. L. verò Lentulus Hortensii domum sibi, & Cæſaris hortos, & Baias deſponderat. Omnino hæc eodem modo ex hac parte fiunt; nisi quòd illud erat infinitum: omnes enim, qui in Italia manſerant, hoſtium numero habebantur. Sed velim hæc aliquando ſolutiore animo. Quintum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur: de filio nihil audivi: ſed quære ex Diochare, Cæſaris liberto, quem ego non vidi, qui iſtas Alexandrinas litteras attulit: is dicitur vidiſſe, an eum eum, an jam in Asia? Tuas litteras, prout res poſtulat, exſpecto; quas velim cures quam-

primum ad me perferendas. IV Kal. Decembris.

CICERO ATTICO SAL.

7. GRATÆ tuæ mihi litteræ ſunt, quibus accuratè perſcripsiſti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es: factum igitur, ut ſcribis iſtis placere, iiſdem iſtis lictoribus me uti, quod conceſſum Sextio sit; cui non puto ſuos eſſe conceſſos, ſed ab ipſo datos: audio enim eum ea ſenatuſconſulta improbare, quæ poſt diſceſſum tribunorum facta ſunt: quare poterit, si volet sibi conſtare, noſtros lictores comprobare. Quamquam quid ego de lictoribus, qui pene ex Italia decedere sim juſſus? nam ad me misit Antonius exemplum Cæſaris ad ſe litterarum, in quibus erat, ſe audiſſe, Catonem, & L. Metellum in Italiam veniſſe, Romæ ut eſſent palam: id sibi non placere; ne qui motus ex eo fierent; prohiberique omnes Italiâ, nisi quorum ipſe cauſam cognoviſſet; deque eo vehementiùs erat ſcriptum: itaque Antonius petebat a me per litteras, ut sibi ignoſcerem: facere ſe non poſſe, quin iis litteris pareret. Tum ad eum misi L. Lamiam, qui demonſtraret, illum Dolabellæ dixiſſe, ut ad me ſcriberet, ut in Italiam quamprimum venirem: ejus me litteris veniſſe. Tum ille edixit

ita, ut me exciperet, & Lælium nominatim: quod ſanè nollem: poterat enim, sine nomine, res ipſa excipi. O multas & graves offensiones! quas quidem tu das operam ut lenias; nec tamen nihil proficis: quin hoc ipſo minuis dolorem meum, quòd, ut minuas, tam valde laboras; idque velim ne gravere quàm ſæpissime facere: maximè autem aſſequere quod vis, si me adduxeris, ut exiſtimem, me bonorum judicium non funditus perdidiſſe. Quamquam quid tu in eo potes? nihil ſcilicet: ſed, si quid res dabit tibi facultatis, id me maximè conſolari poterit, quod nunc quidem video non eſſe: ſed si quid ex eventis; ut hoc nunc accidit. Dicebar debuiſſe cum Pompeio proficiſci: exitus *illius minuit ejus officii* prætermissi reprehensionem: ſed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quàm quòd in Africam non ierim: judicio hoc ſum uſus, non eſſe barbaris auxiliis fallacissimæ gentis rempublicam defendendam, præſertim contra exercitum ſæpe victorem. Non probant fortaſſe: multos enim viros bonos in Africam veniſſe audio, & ſcio fuiſſe antea. Valde hoc loco urgeor: hìc quoque opus eſt caſu: aliqui sint ex eis, aut, si poteſt, omnes, qui ſalutem anteponant: nam si perſeverant & obtinent; quid nobis futurum sit vides. Dices, quid illis,

ſi victi erunt ? honeſtior eſt plaga. Hæc me excruciant. Sulpicii autem consilium non ſcripsiſti cur meo non anteponeres : quod etsi non tam glorioſum eſt quàm Catonis, tamen & periculo vacuum eſt, & dolore. Extremum eſt eorum, qui in Achaia ſunt : ii tamen ipsi ſe hòc meliùs habent, quàm nos, quòd & multi ſunt uno in loco ; & quum in Italiam venerint, domum ſtatim venerint. Hæc tu perge, ut facis, mitigare, & probare quàm plurimis. Quòd te excuſas : ego verò & tuas cauſas noſco ; & meâ intereſſe puto te iſtic eſſe, vel ut cum iis, quibus oportebit, agas, quæ erunt agenda de nobis, ut ea quæ egiſti ; in primiſque hoc velim animadvertas. Multos eſſe arbitror, qui ad Cæſarem detulerint, delaturive sint, me aut pœnitere consilii mei, aut non probare, quæ fiant : quorum etsi utrumque verum eſt ; tamen ab illis dicitur animo a me alienato ; non quò ita perſpexerint. Sed totum ut hoc Balbus ſuſtineat, & Oppius, & eorum crebris litteris illius voluntas erga me confirmetur, & hoc planè ut fiat, diligentiam adhibebis. Alterum eſt, cur te nolim diſcedere, quod ſcribis te flagitari. O rem miſeram ! quid ſcribam ? aut quid velim ? breve faciam ; lacrymæ enim ſe ſubitò profuderunt : tibi permitto : tu conſule :

tantùm vide, ne hoc temporis tibi obeſſe aliquid possit. Ignoſce, obſecro te: non poſſum præ fletu & dolore diutius in hoc loco commorari: tantùm dicam, nihil mihi gratius eſſe, quàm quòd eam diligis. Quòd litteras, quibus putas opus eſſe, curas dandas, facis commodè. Quintum filium vidi qui Sami vidiſſet, patrem Sicyone: quorum deprecatio eſt facilis: utinam illi, qui priùs illum viderint, me apud eum velint adjutum tantum, quantum ego illos vellem, si quid poſſem. Quòd rogas, ut in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis litteris, quæ me mordeant: ego verò in optimam; teque rogo ut apertè, quemadmodum facis, ſcribas ad me omnia, idque facias quàm *ſæpissime. Vale.* XIV Kal. Januar.

CICERO ATTICO SAL.

8. QUANTIS curis afficiar etsi profectò vides, tamen cognoſces ex Lepta & Trebatio: maximas pœnas pendo temeritatis meæ; quam tu prudentiam mihi videri vis; neque te deterreo, quò minùs id diſputes, ſcribaſque ad me quàm ſæpissime: nonnihil enim me levant tuæ litteræ hoc tempore. Per eos, qui noſtrâ causâ volunt, valentque apud illum, diligentissimè contendas opus eſt, per Balbum & Oppium maximè, ut de me ſcri-

bant quàm diligentissimè : oppugnamur enim, ut audio, & a præſentibus quibuſdam, & per litteras: iis ita occurrendum, ut rei magnitudo poſtulat. Furnius eſt illic, mihi inimicissimus. Quintus misit filium non ſolùm ſui deprecatorem, ſed etiam accuſatorem mei: dictitat ſe a me apud Cæſarem oppugnari; quod refellit Cæſar ipſe, omneſque ejus amici: neque verò desiſtit, ubicumque eſt, omnia in me maledicta conferre. Nihil mihi umquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum: qui ex ipſo audiſſent, quum Sicyone palam multis audientibus loqueretur, nefaria quædam ad me pertulerunt. Noſti genus; etiam expertus es fortaſſe: in me id eſt omne converſum. Sed augeo commemorando dolorem, & facio etiam tibi: quare ad illud redeo; cura, ut hujus rei causâ, deditâ operâ, mittat aliquem Balbus. Ad quos videbitur velim cures litteras meo nomine. Vale. VI Kal. Jan.

CICERO ATTICO SAL.

9. Ego verò & incautè, ut ſcribis, & celeriùs, quàm oportuit, feci; nec in ulla ſum ſpe, quippe qui exceptionibus edictorum retinear: quæ si non eſſent ſedulitate effectæ, & benevolentiâ tuâ, liceret mihi abire in ſolitudines aliquas: nunc

ne id quidem licet. Quid autem me juvat, quòd ante initum tribunatum veni, si ipſum, quòd veni, nihil juvat? jam quid ſperem ab eo, qui mihi amicus numquam fuit; quum jam lege etiam sim confectus & oppreſſus? Quotidie jam Balbi ad me litteræ languidiores; multæque multorum ad illum, fortaſſe contra me. Meo vitio pereo: nihil mihi mali caſus attulit: omnia culpâ contracta ſunt: ego enim, quum genus belli viderem, imparata & infirma omnia contra paratissimos, ſciveram, quid facerem; ceperamque consilium non tam forte, quàm mihi præter ceteros concedendum. Cessi meis, vel potiùs parui; ex quibus unus quâ mente fuerit, is quem tu mihi commendas, cognoſces ex *ipsius litteris*, quas ad te & ad alios misit: quas ego numquam aperuiſſem, nisi res acta sic eſſet: delatus eſt ad me faſciculus: ſolvi, si quid ad me eſſet litterarum; nihil erat: epiſtola Vatinio, & Ligurio altera: jussi ad eos deferri: illi ad me ſtatim ardentes dolore venerunt, ſcelus hominis clamantes: epiſtolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Hîc Ligurius furere; ſe enim ſcire, ſummo illum in odio fuiſſe Cæſari: illum tamen non mòdò faviſſe, ſed & tantam illi pecuniam dediſſe honoris mei causâ. Hoc ego dolore accepto, voluì

ſcire quid ſcripsiſſet ad ceteros : ipsi enim illi putavi perniciosum fore, si ejus hoc tantum ſcelus percrebuiſſet: cognovi ejuſdem generis : ad te misi ; quas si putabis illi ipsi utile eſſe reddi, reddes ; nil me lædet : nam quòd resignatæ ſunt ; habet, opinor, ejus signum Pomponia. Hac ille acerbitate initio navigationis quum uſus eſſet, tanto me dolore affecit, ut poſtea jacuerim ; neque nunc tam pro ſe, quàm contra me laborare dicitur : ita omnibus rebus urgeor ; quas ſuſtinere vix poſſum, vel planè nullo modo poſſum : quibus in miſeriis una eſt pro omnibus, quòd iſtam miſeram patre, patrimonio, fortunâ omni ſpoliatam relinquam. Quare te, ut polliceris, videre planè velim : alium enim, cui illam commendem, habeo neminem ; quoniam matri quoque eadem intellexi eſſe parata, quæ mihi. Sed, si me non offendes, ſatis tamen habeto commendatam, patruumque in ea, quantum poteris, mitigato. Hæc ad te die natali meo ſcripsi ; quo utinam ſuſceptus non eſſem, aut ne quid ex eadem matre poſtea natum eſſet. Plura ſcribere fletu prohibeor.

CICERO ATTICO SAL.

10. AD meas incredibiles ægritudines aliquid novi accedit ex iis quæ de Q. Q. ad me afferuntur. P. Terentius, meus ne-

ceſſarius, magnas operas in portu, & ſcripturâ Asiæ pro magiſtro dedit: is Quintum filium Ephesi vidit VI Id. Decemb. eumque ſtudiosè propter amicitiam noſtram invitavit; quumque ex eo de me cunctaretur, eum sibi ita dixiſſe narrabat, ſe mihi eſſe inimicissimum; volumenque sibi oſtendiſſe orationis, quam apud Cæſarem contra me eſſet habiturus: multa a ſe dicta contra ejus amentiam; multa poſtea Patris consimili ſcelere ſecum Quintum patrem locutum: cujus furorem ex iis epiſtolis, quas ad te misi, perſpicere potuiſti. Hæc tibi dolori eſſe certè ſcio: me quidem excruciant, & eò magis, quòd mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. De Africanis rebus longè alia *nobis, ac tu ſcripſeras*, nuntiantur; nihil enim firmius eſſe dicunt, nihil paratius: accedit Hiſpania, & alienata Italia; legionum nec vis eadem, nec voluntas; urbanæ res perditæ. Quid eſt, ubi acquieſcam, nisi quàm diu tuas litteras lego? quæ eſſent profectò crebriores, si quid haberes, quo putares meam moleſtiam minui poſſe: ſed tamen te rogo, ne intermittas ſcribere ad me, quidquid erit; eoſque, qui mihi tam crudeliter inimici ſunt, si odiſſe non potes, accuſes tamen; non ut aliquid proficias, ſed ut me tibi carum eſſe ſentiant. Plura ad te

ſcribam, si mihi ad eas litteras, quas proximè ad te dedi, reſcripſeris. Vale. XII Kal. Febr.

CICERO ATTICO SAL.

II. CONFECTUS jam cruciatu maximorum dolorum, ne, si sit quidem, quod ad te debeam ſcribere, facilè id exſequi possim; hòc minùs, quòd res nulla eſt, quæ ſcribenda sit; quum præſertim ne ſpes quidem ulla oſtendatur fore meliùs. Ita jam ne tuas quidem litteras exſpecto; quamquam ſemper aliquid afferunt, quod velim: quare tu quidem ſcribito, quum erit cui des. Ego tuis proximis, quas tamen jam pridem accepi, nihil habeo quod reſcribam: longo enim intervallo video immutata eſſe omnia: illa eſſe firma quæ debeant; nos ſtultitiæ noſtræ gravissimas pœnas pendere. P. Salluſtio curanda ſunt H-S XXX, quæ accepi a Cn. Salluſtio: velim videas ut sine mora curentur: de ea re ſcripsi ad Terentiam: atque hoc ipſum jam propè conſumptum eſt: quare id quoque velim cum illa videas, ut sit quî utamur. Hîc fortaſſe potero ſumere, si ſciam iſtic paratum fore: ſed priùs quàm id ſcirem, nihil ſum auſus ſumere. Qui sit omnium rerum ſtatus noſter, vides: nihil eſt mali, quod non & ſuſtineam, & exſpectem: quarum rerum eò gravior

eſt dolor, quò culpa major. Ille in Achaia non ceſſat de nobis detrahere : nihil videlicet tuæ litteræ profecerunt. Vale. VIII Id. Mart.

CICERO ATTICO SAL.

12. CEPHALIO mihi a te litteras a. d. VIII Id. Mart. veſpere : eo autem die manè tabellarios miſeram, quibus ad te dederam litteras : tuis tamen lectis litteris putavi aliquid reſcribendum eſſe, maximè quòd oſtendis te pendere animi, quamnam rationem sim Cæſari allaturus profectionis meæ tum, quum ex Italia diſceſſerim. Nihil opus eſt mihi novâ ratione : ſæpe enim ad eum ſcripsi, multiſque mandavi, *non potuiſſe*, quum cupiiſſem, ſermones hominum ſuſtinere ; multaque in eam ſententiam : nihil enim erat, quod minùs eum vellem exiſtimare, quàm me tanta de re non meo consilio uſum eſſe. Poſtea, quum mihi litteræ a Balbo Cornelio minore miſſæ eſſent, illum exiſtimare, Quintum fratrem lituum meæ profectionis fuiſſe (ita enim ſcripsit) qui nondum cognoſſem quæ de me Quintus ſcripsiſſet ad multos; etsi multa præſens in præſentem acerbè dixerat & fecerat; tamen Nilo meo his verbis ad Cæſarem ſcripsi.

De Quinto fratre meo non minùs labo-

ro, quàm de me ipſo; ſed eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo: illud duntaxat tamen audebo petere abs te, quod te oro, ne quid exiſtimes ab illo factum eſſe, quò minùs mea in te officia conſtarent, minúſve te diligerem, potiúſque ſemper illum auctorem noſtræ conjunctionis fuiſſe, meique itineris comitem, non ducem. Quare ceteris in rebus tantum ei tribues, quantum humanitas tua, amicitiaque veſtra poſtulat. Ego ei ne quid apud te obsim, id te vehementer etiam atque etiam rogo.

Quare si quis congreſſus fuerit mihi cum Cæſare (etsi non dubito, quin is lenis in illum futurus sit; idque jam declaraverit) ego tamen is ero, qui ſemper fui. Sed, ut video, multò magis eſt nobis laborandum de Africa; quam quidem tu ſcribis confirmari quotidie magis ad conditionis ſpem, quàm victoriæ: quod utinam ita eſſet. Sed longè aliter eſſe intelligo; teque ipſum ita exiſtimare arbitror; aliter autem ſcribere, non fallendi, ſed confirmandi mei causâ, præſertim quum adjungatur ad Africam etiam Hiſpania. Quòd me admones, ut ſcribam ad Antonium, & ad ceteros; si quid videbitur tibi opus eſſe, velim facias id, quod ſæpe feciſti: nihil enim mihi venit in mentem, quod ſcribendum putem. Quòd me audis fractiorem eſſe animo; quid putas,

quum videas acceſſiſſe ad ſuperiores ægritudines præclaras generi actiones? Tu tamen velim ne intermittas, quoad ejus facere poteris, ſcribere ad me, etiam si rem, de qua ſcribas, non habebis: ſemper enim afferunt aliquid mihi tuæ litteræ. Galeonis hereditatem crevi: puto enim cretionem simplicem fuiſſe, quoniam ad me nulla miſſa eſt. VIII Id. Mart.

CICERO ATTICO SAL.

13. A MURENÆ liberto nihil adhuc acceperam litterarum. P. Siſer reddiderat eas, quibus reſcribo. De Servii patris litteris quod ſcribis, item, Quintum in Syriam veniſſe quod ais eſſe qui nuntient; ne id quidem verum eſt. Quòd certiorem te vis fieri, quo quiſque in me animo sit, aut fuerit eorum, qui huc venerunt; neminem alieno intellexi: ſed quantum id meâ interſit, exiſtimare te poſſe certè ſcio. Mihi quum omnia ſunt intolerabilia ad dolorem, tum maximè quòd in eam cauſam veniſſe me video, ut ea ſola utilia mihi eſſe videantur, quæ ſemper nolui. P. Lentulum patrem Rhodi eſſe aiunt, Alexandriæ filium; Rhodoque Alexandriam C. Caſſium profectum eſſe conſtat. Quintus mihi per litteras ſatisfacit, multò aſperioribus verbis, quàm quum gravisſimè accuſabat: ait enim ſe ex litteris tuis

intelligere, tibi non placere, quòd ad multos de me aſperiùs ſcripſerit: itaque ſe pœnitere, quòd animum tuum offenderit; ſed ſe jure feciſſe: deinde perſcribit ſpurcissimè, quas ob cauſas fecerit: ſed neque hoc tempore, nec antea patefeciſſet odium ſuum in me, nisi omnibus rebus me eſſe oppreſſum videret. Atque utinam vel nocturnis, quemadmodum tu ſcripſeras, itineribus propiùs te accessiſſem: nunc nec ubi, nec quando te sim viſurus, poſſum ſuſpicari. De coheredibus Fufidianis nihil fuit, quòd ad me ſcriberes: nam & æquum poſtulant; &, quidquid egiſſes, rectè eſſe actum putarem. De fundo Frusinati redimendo jam pridem intellexiſti voluntatem meam: etsi tum meliore loco res erant noſtræ, neque tum mihi deſperatum ita videbatur; tamen in eadem ſum voluntate: id quemadmodum fiat, tu videbis. Et velim, quoad poteris, consideres, ut sit, unde nobis ſuppeditentur ſumptus neceſſarii. Si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, quum id videbamur ſapienter facere, detulimus. Itaque tum & a tuo villico ſumpsimus, & aliunde mutuati ſumus, quum Quintus quereretur per litteras, sibi nos nihil dediſſe; qui neque ab illo rogati ſumus, neque ipsi eam pecuniam adſpeximus. Sed velim videas quid sit quod confici possit, quidque

quidque mihi de omnibus des conſilii: & cauſam noſti. Plura ne ſcribam dolore impedior. Si quid erit, quod ad quos ſcribendum meo nomine putes, velim, ut ſoles, facias: quotieſque habebis, cui des ad me litteras, nolim prætermittas. Vale.

CICERO ATTICO SAL.

14. NON me offendit veritas litterarum tuarum, quòd me, quum communibus, tum præcipuis malis oppreſſum, ne incipis quidem, ut ſolebas, conſolari, fateriſque id fieri jam non poſſe: nec enim ea ſunt, quæ erant antea, quum, ut nihil aliud, comites me & ſocios habere putabam: omnes enim Achaici deprecatores, item qui in Aſia, quibus non erat ignotum, *etiam quibus* erat, in Africam dicuntur navigaturi. Ita præter Lælium, neminem habeo culpæ ſocium; qui tamen hòc meliore in cauſa eſt, quòd jam eſt receptus. De me autem non dubito quin ad Balbum & ad Oppium ſcripſerit; a quibus, si quid eſſet lætius, certior factus eſſem; tecum etiam eſſent locuti: quibuſcum tu de hoc ipſo colloquare velim, & ad me, quid tibi reſponderint, ſcribas: non quòd ab iſto ſalus data quidquam habitura sit firmitudinis; ſed tamen aliquid conſuli & proſpici poterit: etsi omnium conſpectum horreo,

præſertim hoc genero ; tamen in tantis malis , quid aliud velim , non reperio. Quintus pergit, ut ad me & Panſa ſcripsit , & Hirtius ; iſque item Africam petere cum ceteris dicitur. Ad Minucium Tarentum ſcribam , & tuas litteras mittam : ad te ſcribam , num quid egerit. H-S xxx potuiſſe mirarer, nisi multa de Fuſidianis prædiis : & id video tamen. Te exſpecto , quem videre , si ullo modo (poſcit enim res) pervellem. Jam extremum concluditur : ibi facile eſt, quid , quale sit gravius, exiſtimare. Vale.

Cicero Attico Sal.

15. Quoniam juſtas cauſas affers, quòd te hoc tempore videre non possim ; quæſo , quid sit mihi faciendum. Ille enim ita videtur Alexandriam tenere, ut eum ſcribere etiam pudeat de illis rebus : ii autem ex Africa jam affuturi videntur ; Achæi , item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoraturi. Quid mihi igitur putas agendum ? video difficile eſſe consilium ; ſum enim ſolus, aut cum altero , cui neque ad illos reditus sit, neque ab his ipsis quidquam ad ſpem oſtendatur. Sed tamen ſcire velim, quid cenſeas ; idque erat cum aliis, cur te, si fieri poſſet, cuperem videre. Minucium xii ſola curaſſe ſcripsi ad te antea : quod

ſupereſt, velim videas ut curetur. Quintus non modò non cum magna prece ad me, ſed acerbissimè ſcripsit; filius verò mirifico odio: nihil fingi poteſt mali, quo non urgear. Omnia tamen ſunt faciliora, quàm peccati dolor, qui & maximus eſt, & æternus; cujus peccati si ſocios eſſem habiturus ego, quos putavi, tamen eſſet conſolatio tenuis: ſed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum: alii capti, alii interclusi non veniunt in dubium de voluntate, eò minùs ſcilicet, quum ſe expedierint, & unà eſſe cœperint: ii autem ipsi qui ſuâ voluntate ad Fuſium venerunt, nihil poſſunt nisi timidi exiſtimari: multi autem ſunt, qui, quocumque modo ad illos ſe recipere volent, recipientur. Quò minùs debes mirari, non poſſe me tanto dolori reſiſtere: ſolius enim meum peccatum corrigi non poteſt, & fortaſſe Lælii: ſed quid me id levat? nam C. quidem Cassium aiunt consilium Alexandriam eundi mutaviſſe. Hæc ad te ſcribo, non ut queas tu demere ſollicitudinem, ſed ut cognoſcam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me conficiunt; ad quæ gener accedit, & cetera, quæ fletu reprimor ne ſcribam: quin etiam Æſopi filius me excruciat: prorſus nihil abeſt, quin sim miſerrimus. Sed ad primum revertor, quid putes faciendum; occultène aliquò

propiùs veniendum, an mare tranſeundum: nam hìc maneri diutius non poteſt. De Fufidianis quare nihil potuit confici? genus enim conditionis ejuſmodi fuit, in quo non ſolet eſſe controversia; quum ea pars, quæ videtur eſſe minor, licitatione expleri poſſet. Hæc ego non sine cauſa quæro: ſuſpicor enim coheredes dubiam noſtram cauſam putare, & eò rem in integro eſſe. Vale. Pridie Idus Maii.

CICERO ATTICO SAL.

16. NON meo vitio fit, hoc quidem tempore (antè enim eſt peccatum) ut me iſta epiſtola nihil conſoletur: nam & exiguè ſcripta eſt, & ſuſpiciones magnas habet non eſſe ab illo; quas animadvertiſſe te exiſtimo. De obviam itione ita faciam, ut ſuades: neque enim ulla de adventu ejus opinio eſt; neque, si qui ex Asia veniunt, quidquam auditum eſſe dicunt de pace: cujus ego ſpe in hanc fraudem incidi. Nihil video, quod ſperandum putem, nunc præſertim, quum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Caſſiano negotio, in ipſa Alexandria, in urbe, in Italia. Ego verò, etiam si rediturus ille eſt, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum ejus negotium confectum iri puto. Quod autem ſcribis, quamdam lætitiam bonorum eſſe commo-

tam, ut sit auditum de litteris; tu quidem nihil prætermittis, in quo putes aliquid ſolatii eſſe: ſed ego non adducor, quemquam bonum ullam ſalutem putare mihi tanti fuiſſe, ut eam peterem ab illo, & eò minùs, quòd hujus consilii jam ne ſocium quidem habeo quemquam. Qui in Asia ſunt, rerum exitum exſpectant; Achaici etiam Fuſio ſpem deprecationis afferunt: horum & timor idem fuit primò qui meus, & conſtitutum: mora Alexandrina cauſam illorum correxit, meam evertit. Quamobrem idem a te nunc peto, quod ſuperioribus litteris, ut, si quid in perditis rebus diſpiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. Si recipior ab his, quod vides non fieri; tamen, quoad *bellum* erit, quid agam, aut ubi sim non reperio: sin jactor, eò minùs. Itaque tuas litteras exſpecto; eaſque ut ad me sine dubitatione ſcribas, rogo. Quòd ſuades, ut ad Quintum ſcribam de his litteris, facerem, si me quidquam iſtæ litteræ delectarent; etsi quidam ſcripsit ad me his verbis: *Ego ut in his malis, Patris ſum non invitus: eſſem libentiùs, si frater tuus ea de te loqueretur, quæ ego audire vellem.* Quòd ais illum ad te ſcribere, me sibi nullas litteras remittere; ſemel ab ipſo accepi: ad eas Cephalioni dedi, qui multos menſes tempeſtatibus

retentus eſt. Quintum filium ad me acerbiſsimè ſcripsiſſe jam antè ad te ſcripsi. Extremum eſt quod te orem, si putas rectum eſſe, & a te ſuſcipi poſſe, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de teſtamento tempora monent ut videat, ut ſatisfaciat, quibus debeat: auditum ex Philotimo eſt, eam ſceleratè quædam facere: credibile vix eſt; ſed certè, si quid eſt, quod fieri possit, providendum eſt. De omnibus rebus velim ad me ſcribas, & maximè quid ſcribas de ea: in quo tuo consilio egeo, etiam si nihil excogitas: id enim mihi erit pro deſperato. III Non. Jun.

CICERO ATTICO SAL.

17. PROPERANTIBUS tabellariis alienis hanc epiſtolam dedi; eò brevior eſt; &, quòd eram miſſurus meos. Tullia mea venit ad me pridie Idus Jun. deque tua erga ſe obſervantia benevolentiaque mihi plurima expoſuit, litteraſque reddidit trinas. Ego autem ex ipsius virtute, humanitate, pietate non modò eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui; ſed etiam incredibili ſum dolore affectus, tale ingenium in tam miſera fortuna verſari, idque accidere nullo ipsius delicto, ſummâ culpâ meâ: itaque a te neque conſolationem jam, quâ cupere te

uti video, nec conſilium, quod capi nullum poteſt, exſpecto; teque omnia quum ſuperioribus ſæpe litteris, tum proximis tentaſſe intelligo. Ego cum Salluſtio Ciceronem ad Cæſarem mittere cogitabam. Tulliam autem non videbam eſſe cauſam cur diutius mecum tanto in communi mœrore retinerem: itaque matri eam, quum primùm per ipſam liceret, eram remiſſurus. Pro ea, quam ad modum conſolantis ſcripsiſti, putato ea me ſcripsiſſe, quæ tu ipſe intelligis reſponderi potuiſſe. Quod Oppium tecum ſcribis locutum, non abhorret a mea ſuſpicione ejus oratio: ſed non dubito quin iſtis perſuaderi nullo modo possit, ea, quæ faciant, mihi probari poſſe; quoquo modo loquar: ego *tamen utar moderatione*, quâ potero: quamquam quid meâ interſit ut eorum odium ſubeam, non intelligo. Te juſtâ causâ impediri, quò minùs ad nos venias, video; idque mihi valde ſcilicet moleſtum eſt. Illum ab Alexandria diſcessiſſe nemo nuntiat; conſtatque, ne profectum quidem illim quemquam poſt Idus Martias; nec poſt Idus Decemb. ab illo datas ullas litteras: ex quo intelligis, illud de litteris a. d. v Id. Febr. datis (quod inane eſſet, etiam si verum eſſet) non verum eſſe. L. Terentium diſcessiſſe ex Africa ſcimus, Pæſtumque veniſſe: quid

is afferat, aut quo modo exierit, aut quid in Africa fiat, ſcire velim; dicitur enim per Nasidium emiſſus eſſe : id quale sit velim, si inveneris, ad me ſcribas. De H-S x, ut ſcribis, faciam. Vale. XVII Kal. Quint.

CICERO ATTICO SAL.

18. De illius Alexandriâ diſceſſu, nihil adhuc rumoris, contráque opinio, valde eſſe impeditum : itaque nec mitto, ut conſtitueram, Ciceronem, & te rogo ut me hinc expedias: quodvis enim ſupplicium levius eſt hac permansione: hac de re & ad Antonium ſcripsi, & ad Balbum, & ad Oppium. Sive enim bellum in Italia futurum eſt, sive classibus utetur, hîc eſſe me minimè convenit : quorum fortaſſe utrumque erit; alterum certè. Intellexi omnino ex Oppii ſermone, quem tu mihi ſcripsiſti, quæ iſtorum via eſſet; ſed ut eam flectas, te rogo. Nihil omnino jam exſpecto nisi miſerum; ſed hoc perditius, in quo nunc ſum, fieri nihil poteſt: quare & cum Antonio loquare velim, & cum iſtis; & rem, ut poteris, expedias; & mihi quamprimum de omnibus rebus reſcribas. Vale. XII Kal. Quint.

CICERO ATTICO SAL.

19. FACILE aſſentior tuis litteris, quibus exponis pluribus verbis nullum te habere consilium, quo a te possim juvari; conſolatio certè nulla eſt, quæ levare possit dolorem meum: nihil eſt enim contractum caſu; nam id eſſet ferendum: ſed omnia fecimus iis erroribus, & miſeriis & animi & corporis, quibus proximi utinam mederi maluiſſent. Quamobrem quoniam neque consilii tui, neque conſolationis cujuſquam ſpes ulla mihi oſtenditur, non quæram hæc a te poſthac: tantùm velim, ne intermittas; ſcribas ad me quidquid veniet tibi in mentem, quum habebis cui des, & dum erit ad quem des; quod longum non erit. *Illum diſcessiſſe Alexandriâ rumor eſt non firmus*, ortus ex Sulpicii litteris; quas cuncti poſtea nuntii confirmarunt: quod verum an falſum sit, quoniam meâ nihil intereſt, utrum malim neſcio. Quod ad te jampridem de teſtamento ſcripsi, apud εὔπιστον illas velim: ut possint, advertas. Ego hujus miſerrimâ facultate confectus conflictor: nihil umquam simile natum puto; cui si quâ re conſulere aliquid poſſum, cupio a te admoneri. Video eamdem eſſe difficultatem, quam in consilio dando antè: tamen hoc me magis ſollicitat, quàm

omnia. In penſione ſecunda cæci fuimus: alium mallem. Sed præteriit. Te oro ut impeditis rebus, si quid cogi, confici poteſt, quod sit in tuto, ex argento tibi quod ſatis, multa ex ſupellectile, des operam: jam enim mihi videtur adeſſe extremum, nec ulla fore conditio pacis, eaque, quæ ſunt, etiam sine adverſario peritura. Hæc etiam, si videbitur, cum Terentia loquare opportunè. Non queo omnia ſcribere. Vale. III Non. Quint.

CICERO ATTICO SAL.

20. QUOD ad te ſcripſeram, ut cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi ſcripsit, te ſecum locutum. Tuas litteras exſpectabam; nisi illud quidem mutari, si aliter eſt atque oportet, non video poſſe: ſed quum ab Nilo accepiſſem litteras, desideravi tuas; & sic putabam, te certiorem factum non eſſe, modò valeres: ſcripſeras enim te quodam valetudinis genere tentari. Acusius quidam Rhodo venerat VIII Id. Quint. is nuntiabat, Quintum filium ad Cæſarem profectum IV Kal. Junias: Philotimum Rhodum pridie eum diem veniſſe, habere ad me litteras: ipſum Acusium audies; ſed tardiùs iter faciebat: eò feci ut celeriter eunti darem. Quid sit in iis litteris, neſcio; ſed mihi valde Quintus frater gratulatur. Equi-

dem in meo tanto peccato nihil ne cogitatione quidem aſſequi poſſum, quod mihi tolerabile poſſit eſſe. Te oro, ut de hac miſera cogites; & illud, de quo ad te proximè ſcripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulſandam, & etiam de ipſo teſtamento. Illud quoque vellem antea; ſed omnia timuimus: melius quidem in pessimis nihil fuit diſcidio: aliquid feciſſemus, ut vivi, vel tabularum novarum nomine, vel nocturnarum expugnationum, vel Metellæ, vel omnium malorum: nec res periiſſet; & videremur aliquid doloris virilis habuiſſe. Memini omnino tuas litteras; ſed & tempus illud: etsi quidvis præſtitit. Nunc quidem ipſe videtur denuntiare: audimus enim de ſtatu reipublicæ. *O dii! generumne noſtrum* potissimùm, ut *hoc*, vel *tabulas novas?* Placet mihi igitur, & idem tibi, nuntium remitti. Petet fortaſſe tertiam pensionem. Considera igitur, tumne quum ab ipſo naſcetur, an priùs ego. Si ullo modo potuero, vel nocturnis itineribus experiar, ut te videam. Tu & hæc, & si quid erit quod intersit me ſcire, ſcribas velim. Vale.

CICERO ATTICO SAL.

21. QUUM tuis dare poſſem litteras, non prætermisi; etsi quid ſcriberem, non ha-

bebam. Tu ad nos & rariùs ſcribis quàm ſolebas, & breviùs; credo quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire poſſe: verumtamen velim, si quid erit, qualecumque erit, ſcribas. Eſt autem unum quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit; quod nulla equidem habeo in ſpe: ſed quia tu leviter interdum significas, cogis me ſperare quod optandum vix eſt. Philotimus dicitur Idib. Sext. nihil habeo de illo amplius. Tu velim ad ea mihi reſcribas, quæ ad te antea ſcripsi. Mihi tantùm temporis ſatis eſt, dum in pessimis rebus aliquid caveam, qui nihil umquam cavi. Vale. XI Kal. Sext.

CICERO ATTICO SAL.

22. QUÆ dudum ad me, &, quæ etiam antè bis ad Tulliam de me ſcripsiſti, ea ſentio eſſe vera: eò ſum miſerior (etsi nihil videbatur addi poſſe) quòd mihi non modò iraſci gravissimâ injuriâ acceptâ, ſed ne dolere quidem impunè liceat. Quare iſtuc feramus: quod quum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidant, ut caveamus mones. Ea enim eſt a nobis contracta culpa, ut omni ſtatu, omnique populo eumdem exitum habitura videatur. Sed ad meam manum redeo; ſunt enim hæc occultiùs agenda. Vide, quæſo, etiam nunc de teſtamento, quod

tum factum, quum illa quærere cœperat. Non credo te commorit; neque enim rogarit; ne me quidem. Sed quasi ita sit, quoniam in ſermonem jam veniſti, poteris eam monere, ut alicui committat, cujus extra periculum hujus belli fortuna sit. Equidem tibi potissimùm velim, si idem illa vellet: quam quidem celo miſeram, me in hoc timere. De illo altero, ſcio equidem venire nunc nihil poſſe; ſed ſeponi & occultari poſſunt, ut extra ruinam sint eam, quæ impendet. Nam quòd ſcribis, nobis noſtra & tua Terentiæ fore parata: tua credo; noſtra quæ poterunt eſſe? De Terentia autem (mitto cetera, quæ ſunt innumerabilia) quid ad hoc addi poteſt? Scripſeras, ut H-S XII permutaret; *tantum eſſe reliquum* de argento: misit illa CCIↃↃ mihi, & adſcripsit, tantum eſſe reliquum: quum hoc tam parvum de parvo detraxerit, perſpicis quid in maxima re fecerit? Philotimus non modò nullus venit, ſed ne per litteras quidem, aut per nuntium certiorem facit me quid egerit. Epheſo qui veniunt, ibi ſe eum de ſuis controversiis in jus adeuntem vidiſſe nuntiant: quæ quidem (ita enim verisimile eſt) in adventum Cæſaris fortaſſe rejiciuntur: ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celeriùs perferendum, & eò me magis eſſe

deſpectum ; aut, etiam si quid habet, id nisi omnibus ſuis negotiis confectis ad me referre non curat : ex quo magnum equidem capio dolorem, ſed non tantum, quantum videor debere : nihil enim meâ minùs intereſſe puto, quàm quid illinc afferatur : id quamobrem, te intelligere certè ſcio. Quòd me mones de vultu & oratione ad tempus accommodanda ; etsi difficile eſt, tamen imperarem mihi, si meâ quidquam intereſſe putarem. Quòd ſcribis, litteris putare Africanum negotium confici poſſe, velim ſcriberes, cur ita putares : mihi quidem nihil in mentem venit, quare id putem fieri poſſe ; tu tamen velim, si quid erit, quod conſolationis aliquid habeat, ſcribas ad me : sin, ut perſpicio, nihil erit, ſcribas idipſum. Ego ad te, si quid audiero citiùs, ſcribam. Vale. VIII Id. Sext.

CICERO ATTICO SAL.

23. SEPTIMO-DECIMO Kal. Sept. venerat die XXVIII Seleuciâ Pieriâ C. Trebonius, qui ſe Antiochiæ diceret apud Cæſarem vidiſſe Quintum filium cum Hirtio : eos de Quinto quæ voluiſſent, impetraſſe nullo quidem negotio : quod ego magis gauderem, si iſta nobis impetrata quidquam ad ſpem explorati haberent. Sed & alia timenda ſunt, ab aliiſque ; & ab hoc ipſo quæ

dantur, ut a domino, rurſus in ejuſdem ſunt poteſtate. Etiam Salluſtio ignovit. Omnino dicitur nemini negare: quod ipſum eſt ſuſpectum, notionem ejus differri. M. Gallius, Q. filius, mancipia Salluſtio reddidit: is venit ut legiones in Siciliam traduceret: eò protinus iturum Cæſarem Patris: quod si faciet, ego, quod antè mallem, aliquò propiùs accedam. Tuas litteras ad eas, quibus a te proximè conſilium petivi, vehementer exſpecto. Vale. XVI Kal. Septemb.

CICERO ATTICO SAL.

24. ACCEPI VI Kal. Sept. litteras a te, datas XII Kal. doloremque, quem ex Quinti ſcelere jampridem acceptum jam abjeceram, *lectâ ejus epiſtolâ* gravissimum cepi. Tu etsi non potuiſti ullo modo facere, ut mihi illam epiſtolam non mitteres; tamen mallem non eſſe miſſam. Ad ea autem, quæ ſcribis de teſtamento, videbis quid, & quo modo. De nummis & illa sic ſcripsit, ut ego ad te antea; & nos, si quid opus erit, utemur ex eo, de quo ſcribis. Ille ad Kal. Sept. Athenis non videtur fore: multa eum in Asia dicuntur morari, maximè Pharnaces. Legio XII, ad quam primùm Sulla venit, lapidibus egiſſe hominem dicitur: nullam putant ſe commoturam. Illum arbitrantur

protinus Patris in Siciliam: ſed, si hoc ita eſt, huc veniat neceſſe eſt: ac mallem illum; aliquò enim hinc evasiſſem: nunc metuo ne sit exſpectandum; & cum reliquis etiam loci gravitas hîc miſerrimè perferenda. Quòd me mones ut ea videam quæ ad tempus accommodem; facerem, si res pateretur, & si ullo modo fieri poſſet: ſed in tantis noſtris peccatis, tantiſque noſtrorum injuriis, nihil eſt, quod aut facere dignum nobis, aut simulare possim. Sullana confers; in quibus omnia genere ipſo præclarissima fuerunt, moderatione paulò minùs temperata: hæc autem ejuſmodi ſunt, ut obliviſcar mei; idque malim quod omnibus sit melius, quorum utilitati meam junxi. Tu ad me tamen velim quàm ſæpissime ſcribas, eóque magis, quòd præterea nemo ſcribit; ac si omnes, tuas tamen maximè exſpectarem. Quòd ſcribis illum per me Quinto fore placatiorem; ſcripsi ad te antea, eum ſtatim Quinto filio omnia tribuiſſe; noſtri nullam mentionem. Vale.

Cicero Attico Sal.

25. Diligenter mihi faſciculum reddidit Balbi tabellarius: accepi enim a te litteras, quibus videris vereri, ut epiſtolas illas acceperim; quas quidem vellem mihi numquam redditas: auxerunt enim

mihi dolorem : nec si in aliquem incidiſſent, quidquam novi attuliſſent : quid enim tam pervulgatum, quàm illius in me odium, & genus hoc litterarum ? quod ne Cæſar quidem ad iſtos videtur miſiſſe, quasi quò illius improbitate offenderetur, ſed, credo, uti notiora noſtra mala eſſent. Nam quòd te vereri ſcribis, ne illi obsint, eique rei mederi; ne rogari quidem ſe paſſus eſt de illo : quod quidem mihi moleſtum non eſt; illud moleſtius, iſtas impetrationes noſtras nihil valere. Sulla, ut opinor, cras hîc erit cum Meſſalla : currunt ad illum pulsi a militibus; qui ſe negant uſquam, nisi acceperint. Ergo ille huc *veniet*; quod non putabant : tardè quidem; *itinera* enim ita facit, ut multos dies in *oppidum ponat. Pharnaces* autem, quoquo modo aget, afferet moram. Quid mihi igitur cenſes ? jam enim corpore vix ſuſtineo gravitatem hujus cœli, quæ mihi laborem affert in dolore. An his illuc euntibus mandem, ut me excuſent, ipſe accedam propiùs ? Quæſo, attende; & me, quod adhuc ſæpe rogatus non feciſti, conſilio juva : ſcio rem difficilem eſſe; ſed ùt in malis. Etiam illud meâ magni intereſt, te ut videam : profectò aliquid profecero, si id acciderit. De teſtamento, ut ſcribis, animadvertes.

primum ad me
cembris.

CICERO

7. GRATÆ tu
bus accuratè pe
me pertinere ar
ut ſcribis iſtis p
ribus me uti, q
cui non puto ſu
ipſo datos: au
conſulta improb
tribunorum fact
volet sibi conſt
probare. Quam
bus, qui pene e
ſus? nam ad m
plum Cæſaris ac
erat, ſe audiſſe
tellum in Italiam
palam: id sibi n
tus ex eo fiere
Italiâ, nisi quo
viſſet; deque e
ptum: itaque A
litteras, ut sibi i
poſſe, quin iis
eum misi L. Lam
illum Dolabellæ
ret, ut in Italiam
ejus me litteris

EPISTOLÆ
AD ATTICUM.
LIBER DUODECIMUS.

OMITTUNTUR ſine litteris menſes non pauciores ſex : nempe ex Kal. Sept. in quibus deſinit liber proximus ſuperior, ad uſque tempus illud, quum jam bellum in Africa contra Scipionem & Jubam Cæſar gereret. Nam a bello Alexandrino & Ponti reverſus, conſulque III cum M. Æmilio Lepido creatus, ſummâ hieme, hoc eſt II Kal. Jan. conſcendit, exercitumque in Africam trajecit : quo tempore quatuor primæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt. Quinta & ſexta datæ videntur, quum jam Cæſar vel appropinquaret, vel rediiſſet. Rediit autem a. d. XII Kal. Sext. auctore Hirtio. Reliquæ, quum in Hiſpania contra Pompeii liberos pugnaretur, eodem C. Cæſare dictatore III, deſignato IV, collegâ, & magiſtro Eq. M. Æmilio Lepido, quo tempore Tullia ex partu, ut Pedianus & Plutarchus aiunt, apud Lentulum deceſſit. Itaque quum ſe Cicero Aſturæ abdidiſſet, quotidianas pene litteras mittebat, gemitus luctuſque continentes : item preces contentionemque, ut horti ſibi ab Attico curarentur, in quibus filiæ fanum condere poſſet. Fluxere, dum hæ ſcribuntur, menſes plus minùs duodeviginti. Nam ex Kal. Jan. ejus anni, quo Cæſar in Afri-

eam tranſmisit, ad æſtatis initium anni illius, quo quartam dictaturam in Hiſpania geſsit, tot ferè numerantur. Æſtatem porrò reliquam fuiſſe, ſcriptis libri hujus epiſtolis, ex prima tertii decimi cognoſci licet. MALASPINA.

CICERO ATTICO SAL.

1. UNDECIMO die poſtquam a te diſceſſeram, hoc litterularum exaravi, egrediens e villa ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, poſtero autem in Tuſculano; ibi unum diem. v Kalendas igitur ad conſtitutum: atque utinam continuò ad complexum meæ Tulliæ, ad oſculum Atticæ possim currere! quod quidem ipſum ſcribe, quæſo, ad me; ut, dum consiſto in Tuſculano, ſciam quid garriat; sin ruſticatur, *quid ſcribat* ad te: eique interea aut ſcribes ſalutem, aut nuntiabis, itemque Piliæ: & tamen, etsi continuò congreſſuri ſumus, ſcribes ad me, si quid habebis.

Quum complicarem hanc epiſtolam, noctuabundus ad me venit cum epiſtola tua tabellarius; quâ lectâ, de Atticæ febricula ſcilicet valde dolui: reliqua quæ exſpectabam, ex tuis litteris cognovi omnia. Sed quod ſcribis igniculum matutinum; γεροντικώτερον eſt memoriolâ vacillare: ego enim IV Kal. Axio dederam, tibi III, Quinto, quo die veniſſem, id

eſt v Kal. Hoc igitur habebis : növi nihil. Quid ergo opus erat epiſtolâ ? Quid, quum coràm ſumus, & garrimus quidquid in buccam ? eſt profectò quiddam λέσχη, quæ habet, etiam si nihil ſubeſt, collocutione ipsâ ſuavitatem.

CICERO ATTICO SAL.

2. HIC rumor eſt tamen Murcum periiſſe naufragio, Asinium delatum vivum in manus militum, quinquaginta naves delatas in Uticam reflatu hoc, Pompeium non comparere, nec in Balearibus omnino fuiſſe, ut Patiæcus affirmat : ſed auctor nullius rei quiſquam. Habes quæ, dum tu abes, locuti ſunt. Ludi interea Præneſte : ibi Hirtius, & iſti omnes : & quidem ludi dies octo. Quæ cœnæ ? quæ deliciæ ? Res interea fortaſſe tranſacta eſt. O miros homines ! At Balbus ædificat : τὸ γὰρ αὐτῷ μέλει ? Verum si quæris, homini non recta, ſed voluptaria quærenti nonne βεβίωται ? Tu interea dormis : jam explicandum eſt πρόβλημα, si quid acturus es : si quæris quid putem, ego fructum puto. Sed quid multa ? jam te videbo ; & quidem, ut ſpero, de via rectà ad me : simul enim & diem Tyrannioni conſtituemus, & si quid aliud.

CICERO ATTICO SAL.

3. UNUM te puto minùs blandum eſſe, quàm me; &, si uterque noſtrûm eſt aliquando adversùs aliquem, inter nos certè numquam ſumus. Audi igitur me hoc ἀγεννητεύτως dicentem: ne vivam, mi Attice, si mihi non modò Tuſculanum, ubi ceteroqui ſum libenter, ſed μακάρων νῆσοι tanti ſunt, ut sine te sim totos dies. Quare obduretur hoc triduum; ut te quoque ponam in eodem πάθει: quod ita eſt profectò. Sed velim ſcire, hodiene ſtatim de auctione, aut quo die venias. Ego me interea cum libellis: ac moleſtè fero Vennonii me hiſtoriam non habere. Sed tamen ne nihil de re, nomen illud quod a Cæſare, *tres habet conditiones*, aut emptionem ab haſta (perdere malo; etsi, præter turpitudinem, hoc ipſum puto eſſe perdere) aut delegationem a mancipe, annuâ die (quis erit, cui credam? aut quando iſte Metonis annus veniet?) aut Vecteni conditione ſemiſſem. σκέψαι igitur. Ac vereor, ne iſte jam auctionem nullam faciat, ſed ludis factis κτύπῳ ſubsidio currat, ne talis vir ἀλογηθῇ. Sed μελήσει.

CICERO ATTICO SAL.

4. O GRATAS tuas mihi jucundaſque litteras! quid quæris? reſtitutus eſt mihi dies feſtus: angebar enim, quòd Tiro ἐνεῤῥωθέστερον te sibi eſſe viſum dixerat. Addam igitur, ut cenſes, unum diem. Sed de Catone πρόβλημα Ἀρχιμήδειον eſt. Non aſſequor ut ſcribam, quod tui convivæ non modò libenter, ſed etiam æquo animo legere poſſint: quin etiam, si a ſententiis ejus dictis, si ab omni voluntate, conſiliiſque, quæ de republica habuit, recedam, ψιλῶςque velim gravitatem, conſtantiamque ejus laudare; hoc ipſum tamen iſtis odioſum ἄκουσμα sit. Sed verè laudari ille vir non poteſt, nisi hæc ornata sint; quòd ille ea, quæ nunc ſunt, & futura viderit, & ne fierent contenderit, &, facta ne videret, vitam reliquerit. Horum quid eſt, quod Aledio probare poſſimus? ſed cura, obſecro, ut valeas, eamque, quam ad omnes res adhibes, in primis ad convaleſcendum adhibe prudentiam.

CICERO ATTICO SAL.

5. QUINTUS pater quartùm, vel potius milleſimùm nihil ſapit, qui lætetur Luperco filio & Statio, ut cernat duplici dedecore cumulatam domum: addo etiam

Fhilotimum tertium. O ſtultitiam, nisi mèa major eſſet, singularem! Quod autem os in hanc rem ἔρανον a te? Fac non ad διψῶσαν κρήνην, ſed ad Πειρήνην eum veniſſe; ſed ἅμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ in te κρήνην, ut ſcribis, haurire, in tantis ſuis præſertim anguſtiis, ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψει? Sed ipſe viderit. Cato me quidem delectat, ſed etiam Baſſum Lucilium ſua. De Cœlio tu quæres, ut ſcribis: ego nihil novi: noſcenda eſt natura, non facultas modò. De Hortensio & Virginio, tu si quid dubitabis: etsi quid magis placeat, ego quantum adſpicio, non facilè inveneris. Cum Muſtela, quemadmodum ſcribis, quum venerit Criſpus. Ad Aulum ſcripsi, ut ea, quæ bene noſſem de auro, *Piſoni demonſtr*arim: tibi enim ſanè aſſentior, & iſtud nimiùm diu duci, & omnia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facilè perſpicio; meiſque negotiis impediri cupiditatem tuam ad me veniendi: ſed mecum eſſe te puto; non ſolùm quòd meam rem agis, verùm etiam quòd videre videor, quo modo agas: neque enim ulla hora tui mihi eſt operis ignota. Tubulum prætorem video L. Metello, Q. Maximo coſſ. nunc velim, P. Scævola pontifex maximus, quibus coſſ. tribunus plebis: equidem puto proximis,

nere ; illud anceps. Verùm videbimus. De Balbo & in codicillis ſcripſeram, & ita cogito, simul ac redierit : sin ille tardiùs, ego tamen triduum. Et, quod præterii, Dolabella etiam mecum.

Cicero Attico Sal.

10. Te tuis negotiis relictis nolo ad me venire; ego potiùs accedam, si diutius impediere : etsi ne diſcessiſſem quidem e conſpectu tuo, nisi me planè nihil ulla res adjuvaret : quòd si eſſet aliquod levamen, id eſſet in te uno ; &, quum primùm ab aliquo poterit eſſe, a te erit. Nunc tamen ipſum sine te eſſe non poſſum : ſed nec tuæ domi probabatur, nec meæ poteram; nec, si propiùs eſſem uſpiam, tecum tamen eſſem : idem enim te impediret, quò minùs mecum eſſes, quod nunc etiam impedit. Mihi adhuc nihil prius fuit hac ſolitudine ; quam vereor ne Philippus tollat : heri enim veſperi venerat. Me ſcriptio & litteræ non leniunt, ſed obturbant.

Cicero Attico Sal.

11. Næ ego eſſem hìc libenter, atque id quotidie magis, ni eſſet ea cauſa, quam tibi ſuperioribus litteris ſcripsi : nihil hac ſolitudine jucundius, nisi paulùm interpellaſſet. Amyntæ filius : ὢ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς ! Cetera noli putare amabiliora fieri

poſſe villâ, littore, proſpectu maris, tum his rebus omnibus. Sed neque hæc digna longioribus litteris; nec erat quod ſcriberem; & ſomnus urgebat.

CICERO ATTICO SAL.

12. DE dote tantò magis perpurga. Balbi regia conditio eſt delegandi. Quoquo modo confice: turpe eſt rem impeditam jacere. Inſula Arpinas habere poteſt germanam ἀποθέωσιν; ſed vereor ne minorem τιμὴν habere videatur: ἐκτρόποιμος. eſt: igitur animus in hortis; quos tamen inſpiciam, quum venero. De Epicuro ut voles; etsi μεθαρμόζομαι in poſterum genus hoc perſonarum: incredibile eſt quàm ea quidam requirant: ad antiquos gitur; ἀνεμέσητον γάρ. Nihil habeo ad te uod perſcribam: ſed tamen inſtitui quodie mittere, ut eliciam tuas litteras; non iò aliquid ex his exſpectem; ſed neſcio o modo tamen exſpecto. Quare sive bes quid, sive nihil habes, ſcribe tan aliquid, teque cura.

CICERO ATTICO SAL.

COMMOVET me Attica; etsi aſſen Cratero. Bruti litteræ, ſcriptæ & pruer, & amicè, multas mihi tamen laas attulerunt. Me hæc ſolitudo mimulat, quàm iſta celebritas: te unum

Cæpione & Pompeio : prætor enim P. Furio , Sex. Atilio : dabis igitur tribunatum , & , si poteris , Tubulus quo crimine. Et vide , quæſo , L. Libo , ille qui de Ser. Galba , Cenſorinone , & Manilio , an T. Quintio , M' Acilio coſſ. tribunus plebis fuerit : conturbat enim me epitome Bruti Fanniana , an Bruti epitoma Fannianorum ? ſcripsi quod erat in extremo ; idque ego ſecutus , hunc Fannium , qui ſcripsit hiſtoriam , generum eſſe ſcripſeram Lælii : ſed tu me γεωμετρικῶς refelleras ; te autem nunc Brutus & Fannius : ego tamen de bono auctore Hortensio sic acceperam , ut apud Brutum eſt. Hunc igitur locum expedies. Ego misi Tironem Dolabellæ obviam : is ad me Idibus revertetur. Te exſpectabo poſtridie. De Tullia mea tibi antiquissimum eſſe video ; idque ita ut sit , te vehementer rogo : ergo & in integro omnia ; sic enim ſcribis. Mihi etsi Kalendæ vitandæ fuerunt , Nicasionumque ἀρχέτυπα fugienda , conficiendæque tabulæ ; nihil tamen tanti , ut a te abeſſem , fuit. Quum Romæ eſſem , & te jam jamque viſurum me putarem ; quotidie tamen horæ , quibus exſpectabam , longæ videbantur. Scis me minimè eſſe blandum : itaque minùs aliquantò dico , quàm ſentio.

CICERO

CICERO ATTICO SAL.

6. De Cœlio vide, quæſo, ne qua lacuna ſit in auro. Ego iſta non novi: ſed certè in collybo eſt detrimenti ſatis: huc aurum si accedit: ſed quid loquor? tu videbis. Habes Hegesiæ genus, quod Varro laudat. Venio ad Tyrannionem. Ain' tu? verum hoc fuit sine me? At ego quoties, quum eſſem otioſus, sine te tamen nolui? quo modo hoc ergo lues? uno ſcilicet; si mihi librum miſeris; quod ut facias, etiam atque etiam rogo: etsi me non magis liber ipſe delectabit, quàm tua admiratio delectavit: amo enim πάντα φιλόδημον; teque iſtam tam tenuem θεωρίαν tam valde admiratum eſſe gaudeo. Etsi tua quidem ſunt ejuſmodi omnia: ſcire enim vis; quo uno animus alitur. Sed, quæſo, quid ex iſta acuta & gravi refertur ad τέλος? Sed longa oratio eſt, & tu occupatus in meo quidem fortaſſe aliquo negotio; & pro iſto aſſo ſole, quo tu abuſus es in noſtro pratulo, a te nitidum ſolem, unctumque repetemus. Sed ad prima redeo. Librum, si me amas, mitte: tuus eſt enim profectò, quoniam quidem eſt miſſus ad te. *Chreme, tantumne ab re tua eſt otii tibi*, ut etiam Oratorem legas? Macte virtute: mihi quidem gratum, & erit gratius, si non modò in libris tuis, ſed etiam

in aliorum per librarios tuos *Ariſtophanem* repoſueris pro *Eupoli*. Cæſar autem mihi irridere viſus eſt *quæſo* illud tuum, quod erat εὐπινὲς & urbanum : ita porrò te sine cura eſſe jussit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo tam diu : ſed quoniam jam sine horrore eſt, ſpero eſſe, ut volumus.

CICERO ATTICO SAL.

7. MALE mehercule de Athamante : tuus autem dolor humanus is quidem, ſed magnopere moderandus : conſolationum autem multæ viæ, ſed illa rectissima : impetret ratio, quod dies impetratura eſt. Alexim verò curemus, imaginem Tironis, quem ægrum Romam remisi ; &, si quid habet collis ἐπιδήμιον, ad me cum Tiſameno transferamus. Tota domus ſuperior vacat, ut ſcis. Hoc puto valde ad rem pertinere.

CICERO ATTICO SAL.

8. MALE de Sejo : ſed omnia humana tolerabilia ducenda : ipsi enim quid ſumus? aut quàm diu hæc curaturi ſumus ? ea videamus, quæ ad nos magis pertinent, nec tamen multò, quid agamus de ſenatu. Et, ut ne quid prætermittam, Cæſonius ad me litteras misit, Poſtumiam Sulpicii domum ad ſe veniſſe. De Pompeii magni filia tibi

reſcripsi nihil me hoc tempore cogitare. Alteram verò illam, quam tu ſcribis, puto noſti: nihil enim vidi fœdius. Sed adſum. Coràm igitur.

Obsignatâ epiſtolâ, accepi tuas. Atticæ hilaritatem libenter audio: commotiunculis *συμπάσχω*.

CICERO ATTICO SAL.

9. QUÆ desideras, omnia ſcripsi in codicillis, eoſque Eroti dedi, breviter, ſed etiam plura quàm quæris; in iis de Cicerone: cujus quidem cogitationis initium tu mihi attuliſti. Locutus ſum cum eo liberalissimè; quod ex ipſo velim, si modò tibi erit commodum, ſciſcitere. Sed quid differo? Expoſui te ex me detuliſſe, ecquid vellet, ecquid requireret: velle Hiſpaniam, requirere liberalitatem. De liberalitate, dixi, quantum Publilius, quantum flamen Lentulus filio: de Hiſpania duo ıttuli: primùm idem, quod tibi, me veeri vituperationem: non ſatis eſſe si hæc rma reliquiſſemus? etiam contraria? deine fore ut angeretur, quum a fratre failiaritate, & omni gratiâ vinceretur. Ven magis liberalitate uti meâ, quàm ſuâ ertate; ſed tamen permisi; tibi enim in'exeram non nimis diſplicere: ego etiam ıe etiam cogitabo, atque ut idem farogo. Magna res & simplex eſt ma-

nere ; illud anceps. Verùm videbimus. De Balbo & in codicillis ſcripſeram, & ita cogito, simul ac redierit : sin ille tardiùs, ego tamen triduum. Et, quod præterii, Dolabella etiam mecum.

CICERO ATTICO SAL.

10. Te tuis negotiis relictis nolo ad me venire ; ego potiùs accedam, si diutius impediere : etsi ne diſcessiſſem quidem e conſpectu tuo, nisi me planè nihil ulla res adjuvaret : quòd si eſſet aliquod levamen, id eſſet in te uno ; &, quum primùm ab aliquo poterit eſſe, a te erit. Nunc tamen ipſum sine te eſſe non poſſum : ſed nec tuæ domi probabatur, nec meæ poteram ; nec, si propiùs eſſem uſpiam, tecum tamen eſſem : idem enim te impediret, quò minùs mecum eſſes, quod nunc etiam impedit. Mihi adhuc nihil prius fuit hac ſolitudine ; quam vereor ne Philippus tollat : heri enim veſperi venerat. Me ſcriptio & litteræ non leniunt, ſed obturbant.

CICERO ATTICO SAL.

11. Næ ego eſſem hîc libenter, atque id quotidie magis, ni eſſet ea cauſa, quam tibi ſuperioribus litteris ſcripsi : nihil hac ſolitudine jucundius, nisi paulùm interpellaſſet. Amyntæ filius : ὢ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς ! Cetera noli putare amabiliora fieri

poſſe villâ, littore, proſpectu maris, tum his rebus omnibus. Sed neque hæc digna longioribus litteris; nec erat quod ſcriberem; & ſomnus urgebat.

CICERO ATTICO SAL.

12. DE dote tantò magis perpurga. Balbi regia conditio eſt delegandi. Quoquo modo confice: turpe eſt rem impeditam jacere. Inſula Arpinas habere poteſt germanam ἀποθέωσιν; ſed vereor ne minorem τιμὴν habere videatur: ἐκτρόπισμός eſt: igitur animus in hortis; quos tamen inſpiciam, quum venero. De Epicuro ut voles; etsi μεταρμόζομαι in poſterum genus hoc perſonarum: incredibile eſt quàm ea quidam requirant: ad antiquos igitur; ἀνεμέσητον γάρ. *Nihil habeo ad te* quod perſcribam: ſed tamen inſtitui quotidie mittere, ut eliciam tuas litteras; non quò aliquid ex his exſpectem; ſed neſcio quo modo tamen exſpecto. Quare sive habes quid, sive nihil habes, ſcribe tamen aliquid, teque cura.

CICERO ATTICO SAL.

13. COMMOVET me Attica; etsi aſſentior Cratero. Bruti litteræ, ſcriptæ & prudenter, & amicè, multas mihi tamen lacrymas attulerunt. Me hæc ſolitudo minùs ſtimulat, quàm iſta celebritas: te unum

desidero; ſed litteris non difficiliùs utor; quàm si domi. eſſem. Ardor tamen ille idem urget & manet, non mehercule indulgente me, ſed tamen non repugnante. Quod ſcribis de Apuleio, nihil puto opus eſſe tuâ contentione, nec Balbo & Oppio; quibus quidem ille receperat, mihique etiam juſſerat nuntiari, ſe moleſtum omnino non futurum. Sed cura ut excuſer morbi causâ in dies singulos: Lænas hoc receperat. Prende C. Septimium, L. Statilium. Denique nemo negabit ſe juraturum, quem rogaris: quod si erit durius, veniam, & ipſe perpetuum morbum jurabo: quum enim mihi carendum sit conviviis, malo id lege videri facere, quàm dolore. Cocceium velim appelles; quod enim dixerat, non facit: ego autem volo aliquod emere latibulum, & perfugium doloris mei.

CICERO ATTICO SAL.

14. DE me excuſando apud Apuleium dederam ad te pridie litteras: nihil eſſe negotii arbitror: quemcumque appellaris, nemo negabit: ſed Septimium vide, & Lænatem, & Statilium; tribus enim opus eſt: ſed mihi Lænas totum receperat. Quòd ſcribis a Junio te appellatum; omnino Cornificius locuples eſt: ſed tamen ſcire velim quando dicar ſpopondiſſe, & pro

patre, anne pro filio: neque eò minùs, ut ſcribis, procuratores Cornificii, & Apuleium prædiatorem videbis. Quòd me ab hoc mœrore recreari vis, facis, ut omnia; ſed me mihi non defuiſſe, tu teſtis es: nihil enim de mœrore minuendo ſcriptum ab ullo eſt, quod ego non domi tuæ legerim; ſed omnem conſolationem vincit dolor: quin etiam feci, quod profectò ante me nemo, ut ipſe me per litteras conſolarer: quem librum ad te mittam, si deſcripſerint librarii: affirmo tibi nullam conſolationem eſſe talem. Totos dies ſcribo; non quò proficiam quid; ſed tantiſper impedior, non equidem ſatis (vis enim urget) ſed relaxor tamen, omniaque nitor, non ad animum, ſed ad vultum ipſum, si queam, reficiendum; idque faciens interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus eſſe, nisi faciam. Solitudo aliquid adjuvat, ſed multò plus proficeret, si tu tamen intereſſes; quæ mihi una cauſa eſt hinc diſcedendi: nam pro malis rectè habebat: quamquam ipſum doleo; non enim jam in me idem eſſe poteris: perierunt illa, quæ amabas. De Bruti ad me litteris ſcripsi ad te antea: prudenter ſcriptæ; ſed nihil quo me adjuvarent. Quòd ad te ſcripsit, id velle ut ipſe adeſſet; certè aliquid, quoniam me tam valde amat, adjuvaret. Quòd si quid

ſcies, ſcribas ad me velim; maximè autem, Panſa quando. De Attica, doleo: credo tamen Cratero. Piliam angi veta: ſatis ſolitus es mœrere pro omnibus.

CICERO ATTICO SAL.

15. APUD Apuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuſer videbis. In hac ſolitudine careo omnium colloquio; quumque manè me in silvam abſtrusi denſam & aſperam, non exeo inde ante veſperum. Secundùm te, nihil eſt mihi amicius ſolitudine: in ea mihi omnis ſermo eſt cum litteris: eum tamen interpellat fletus; cui repugno quoad poſſum: ſed adhuc pares non ſumus. Bruto, ut ſuades, reſcribam: eas litteras cras habebis: quum erit cui des, dabis.

CICERO ATTICO SAL.

16. DE Cicerone multis res placet: comes eſt idoneus: ſed de prima pensione antè videamus: adeſt enim dies, & ille currit. Scribe, quæſo, quid referat Celer egiſſe Cæſarem cum candidatis, utrùm ipſe in Fœnicularium, an in Martium campum cogitet: & ſcire id ſanè velim, numquid neceſſe sit comitiis eſſe Romæ: nam & Piliæ ſatisfaciendum eſt, & utique Atticæ.

CICERO ATTICO SAL.

17. Dum recordationes fugio, quæ quasi morſu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo, quod velim mihi ignoſcas, cuicuimodi eſt: etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod ſæpe tecum egi, & quod a te approbari volo. De fano illo dico, de quo tantum, quantum me amas, velim cogites. Equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluatii: neque de re; ſtatutum eſt enim: de loco nonnumquam. Velim igitur cogites. Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profectò illam conſecrabo omni genere monumentorum, ab omnium ingeniis ſcriptorum, & Græcorum & Latinorum; quæ res forſitan ſit refricatura vulnus meum: ſed jam quasi voto quodam, & promiſſo me teneri puto; longumque illud tempus, quum non ero, magis me movet, quàm hoc exiguum, quod mihi tamen nimiùm longum videtur: habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquieſcam: nam, dum illud tractabam, de quo antea ſcripsi ad te, quasi fovebam dolores meos: nunc omnia reſpuo; nec quicquam habeo tolerabilius, quàm ſolitudinem; quam, quod eram veritus, non obturbavit Philippus:

nam, ut heri me ſalutavit, ſtatim Romam profectus eſt. Epiſtolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, ſcripsi, miſi ad te: curabis cum tua perferendam: ejus tamen miſi ad te exemplum, ut, si minùs placeret, ne mitteres. Domeſtica quòd ais ordine adminiſtrari, ſcribes quæ ſint ea: quædam enim exſpecto. Cocceius vide ne fruſtretur: nam Libo quod pollicetur, ut Eros ſcribit, non incertum puto. De ſorte mea Sulpicio confido, & Egnatio ſcilicet. De Apuleio quid eſt quòd labores, quum ſit excuſatio facilis? Tibi ad me venire, ut oſtendis, vide, ne non ſit facile; eſt enim longum iter, diſcedentemque te, quod celeriter tibi erit fortaſſe faciendum, non ſine magno dolore dimittam; ſed omnia, ut voles: ego enim, quidquid feceris, id quum rectè, tum etiam meâ causâ factum putabo. Heri quum ex aliorum litteris cognoviſſem de Antonii adventu, admiratus ſum nihil eſſe in tuis; ſed erant pridie fortaſſe ſcriptæ, quàm datæ: neque iſta quidem curo; ſed tamen opinor propter prædes ſuos accucurriſſe. Quòd ſcribis Terentiam de obſignatoribus mei teſtamenti loqui, primùm tibi perſuade, me iſtæc non curare, neque eſſe quidquam aut parvæ curæ, aut novæ loci: ſed tamen quid ſimile? illa eos non adhibuit, quos exiſtimavit

quæsituros, niſi ſciſſent quid eſſet: num id etiam mihi periculi fuit? Sed tamen faciat illa quod ego: dabo meum teſtamentum legendum cui voluerit: intelliget, non potuiſſe honorificentius a me fieri de nepote, quàm fecerim. Nam quòd non advocavi ad obsignandum; primùm mihi non venit in mentem; deinde eâ re non venit, quia nihil attinuit. Tute ſcis (si modò meminiſti) me tibi tum dixiſſe, ut de tuis aliquos adduceres: quid enim opus erat multis? equidem domeſticos juſſeram: tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium; inde eſt natum, ut ad Publilium: ſed neceſſe neutrum fuit. Hoc tu tractabis ut tibi videtur.

CICERO ATTICO SAL.

18. MARCIANUS ad me ſcripsit, me excuſatum eſſe apud Apuleium a Laterensi, Naſone, Lænate, Torquato, Strabone: iis velim meo nomine reddendas litteras cures, gratum mihi eos feciſſe. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV ſpopondiſſe dicit Flavius; etsi reus locuples eſt, & Apuleius prædiator liberalis, tamen velim des operam, ut inveſtiges ex conſponſorum tabulis, sitne ita: mihi enim ante ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio: poteſt tamen fieri; ſed ſcire certum velim; & appelles pro-

curatores, si tibi videtur. Quamquam quid ad me? verumtamen. Panſæ profectionem ſcribes quum ſcies. Atticam ſalvere jube, & eam cura, obſecro, diligenter. Piliæ ſalutem.

CICERO ATTICO SAL.

19. EST hic quidem locus amœnus, & in mari ipſo, qui & Antio, & Circæis adſpici possit: ſed ineunda nobis ratio eſt, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri poſſunt in infinita poſteritate (si modò hæc ſtabunt) illud, quasi conſecratum, remanere possit. Equidem jam nihil egeo vectigalibus, & parvo contentus eſſe poſſum. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, & quidem ob hanc cauſam maximè: nihil enim video, quod tam celebre eſſe possit; ſed quos, coràm videbimus; ita tamen, ut hac æſtate fanum abſolutum sit. Tu tamen cum Apella Chio confice de columnis. De Cocceio & Libone quæ ſcribis, approbo; maximè, quod de judicatu meo. De ſponſu si quid proſpexeris; & tamen quid procuratores Cornificii dicant, velim ſcire; ita ut in ea re te, quum tam occupatus sis, non multum operæ velim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conſcripsit, idque tibi placuiſſe, ne

perturbaret : illis egi gratias : te tamen, ut jam antè ad te ſcripsi, ſcire volo, me neque iſto nuntio eſſe perturbatum, nec jam ullo perturbatum iri. Panſa si hodie, ut putabas, profectus eſt, poſthac jam incipito ſcribere ad me, de Bruti adventu quid exſpectes, id eſt, quos ad dies : id, ſi ſcies ubi jam sit, facile conjecturâ aſſequêre. Quod ad Tironem de Terentia ſcribis, obſecro te, mi Attice, ſuſcipe totum negotium : vides & officium agi meum quoddam, cui tu es conſcius, & ut nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidem id multò magis movet, quod mihi eſt & ſanctius, & antiquius ; præſertim quum hoc alterum neque sincerum, neque firmum putem fore.

CICERO ATTICO SAL.

10. NONDUM videris perſpicere, quàm me nec Antonius commoverit, nec quidquam jam ejuſmodi possit commovere. De Terentia autem ſcripsi ad te iis litteris, quas dederam pridie. Quòd me hortaris, idque a ceteris desiderari ſcribis, ut diſſimulem me tam graviter dolere ; poſſumne magis, quàm quòd totos dies conſumo in litteris ? quod etsi non diſſimulationis, ſed potiùs leniendi, & ſanandi animi causâ facio ; tamen si mihi minùs proficio, simulatione certè facio ſa-

tis. Minùs multa ad te ſcripsi, quòd exſpectabam tuas litteras ad eas, quas ad te pridie dederam: exſpectabam autem maximè de fano, nonnihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Cæpio, Serviliæ Claudii pater, vivone patre ſuo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia vivone C. Cottâ, filio ſuo, mortua sit, an mortuo. Pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo ſcripsimus.

CICERO ATTICO SAL.

21. LEGI Bruti epiſtolam, eamque tibi remisi, ſanè non pudenter reſcriptam ad ea, quæ requisieras: ſed ipſe viderit; quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum ſententiam putat de animadversione dixiſſe; quam omnes antè dixerant, præter Cæſarem: & quum ipsius Cæſaris tam ſevera fuerit, qui tum prætorio loco dixerit, conſularium putat leniores fuiſſe, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottæ, L. Cæſaris, C. Piſonis, etiam M' Glabrionis, Silani, Murenæ, designatorum conſulum. Cur ergo in ſententiam Catonis? quia verbis luculentioribus, & pluribus rem eamdem comprehenderat. Me autem hic laudat, quòd retulerim, non quòd patefecerim,

quòd cohortatus sim, quòd denique antè, quàm conſulerem, ipſe judicaverim: quæ omnia, quia Cato laudibus extulerat in cœlum, perſcribendaque cenſuerat; idcirco in ejus ſententiam eſt facta diſcessio. Hic autem ſe etiam tribuere multum mî putat, quòd ſcripſerit, *optimum conſulem*: quis enim jejuniùs dixit inimicus? Ad cetera verò tibi quemadmodum reſcripsit? tantùm rogat de ſenatuſconſulto ut corrigas: hoc quidem feciſſet, etiamsi a Ranio admonitus eſſet: ſed hæc iterum ipſe viderit. De hortis, quoniam probas, effice aliquid: rationes meas noſti: si verò etiam a Faberio res cedit, nihil negotii eſt: ſed etiam sine eo poſſe videor contendere. Venales certè ſunt Drusi; fortaſſe & Lamiani & Cassiani: ſed coràm. De Terentia non poſſum commodiùs ſcribere, quàm tu ſcribis: officium sit nobis antiquissimum: si quid nos fefellerit, illius malo me, quàm mei pœnitere. Oviæ C. Lollii curanda ſunt H-S c. Negat Eros poſſe sine me; credo, quòd accipienda aliqua sit, & danda æſtimatio: vellem tibi dixiſſet; si enim res eſt, ut mihi ſcribit, parata, nec in eo ipſo mentitur, per te confici potuit: id cognoſcas, & conficias velim. Quòd me in forum vocas; eò vocas, unde, etiam bonis meis rebus, fugiebam: quid enim mihi cum foro sine

judiciis, sine curia, in oculos incurrentibus iis, quos æquo animo videre non poſſum? Quòd autem homines a me poſtulare ſcribis, ut Romæ sim, neque mihi ut absim concedere, aut quatenus eos mihi concedere; jampridem ſcito eſſe, quum unum te pluris, quàm omnes illos, putem: ne me quidem contemno; meoque judicio multò ſtare malo, quàm omnium reliquorum. Neque tamen progredior longiùs, quàm mihi doctissimi homines concedunt; quorum ſcripta omnia, quæcumque ſunt in eam ſententiam, non legi ſolùm, quod ipſum erat fortis ægroti, accipere medicinam; ſed in mea etiam ſcripta tranſtuli; quod certè afflicti, & fracti animi non fuit. Ab his me remediis noli in iſtam turbam vocare, ne recidam.

CICERO ATTICO SAL.

22. DE Terentia, quòd mihi omne onus imponis; non cognoſco tuam in me indulgentiam: iſta enim ſunt ipſa vulnera, quæ non poſſum tractare sine maximo gemitu: moderare igitur, quæſo, ut potes; neque enim a te plus, quàm potes, poſtulo: potes autem, quid veri sit, perſpicere tu unus. De Rutilia quoniam videris dubitare, ſcribes ad me, quum ſcies: ſed quàm primùm, num Clodia D. Bruto conſulari filio ſuo mortuo vixerit: id de

Marcello, aut certè de Poſtumia ſciri poteſt; illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro. De hortis etiam atque etiam te rogo: omnibus meis, eorumque, quos ſcio mihi non defuturos, facultatibus (ſed potero meis) enitendum mihi eſt. Sunt etiam quæ vendere facilè possim; ſed, ut non vendam, eique uſuram pendam, a quo emero, non plus annum, poſſum aſſequi, quod volo, si tu me adjuvas. Paratissimi ſunt Drusi; cupit enim vendere: proximos puto Lamiæ; ſed abeſt: tu tamen, si quid potes, odorare: ne Silius quidem quidquam utitur, & is uſuris facillimè ſuſtentabitur. Habe tuum negotium; nec, quid res mea familiaris poſtulet, quam ego non curo, ſed quid velim, & cur velim, exiſtima.

Cicero Attico Sal.

23. Putaram te aliquid novi, quòd ejuſmodi fuerat initium litterarum, quamvis non curarem quid in Hiſpania fieret, tamen te ſcripturum: ſed videlicet meis litteris reſpondiſti, ut de foro, & de curia. Sed domus eſt, ut ais, forum: quid ipsâ domo mihi opus eſt, carenti foro? Occidimus, occidimus, Attice, jam pridem nos quidem, ſed nunc fatemur, poſtea quàm unum, quo tenebamur, amisimus: itaque ſolitudines ſequor: & tamen,

si qua me res iſtò adduxerit, enitar, ſi quo modo potero (potero autem) ut præter me nemo dolorem meum ſentiat; ſi ullo modo poterit, ne tu quidem. Atque etiam illa cauſa eſt non veniendi: meminiſti, quid ex te Aledius quæsierit: quis etiam nunc moleſti ſunt: quid exiſtimas, si venero? De Terentia ita cura ut ſcribis; meque hac ad maximas ægritudines acceſſione nunc maximâ libera. Et ut ſcias me ita dolere, ut non jaceam, quibus conſulibus Carneades, & ea legatio Romam venerit, ſcriptum eſt in tuo annali: hæc nunc quæro, quæ cauſa fuerit: de Oropo, opinor; ſed certum neſcio: &, si ita eſt, quæ controversiæ: præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis; qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illuſtres: quæ te etiam ex Apollodori puto poſſe invenire. De Attica moleſtum; ſed quoniam leviter, rectè eſſe confido. De Gamala dubium mihi non erat: unde enim tam felix Ligus pater? nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant, quæ volo, levari non poſſum? De Druſi hortis, quanti licuiſſe tu ſcribis, id ego quoque audieram, &, ut opinor, heri ad te ſcripſeram; ſed quanti quanti, bene emitur quod neceſſe eſt. Mihi, quoquo modo tu exiſtimas (ſcio enim ego ipſe, quid de me

exiſtimem) levatio quædam eſt, si minùs doloris, at officii debiti. Ad Sicam ſcripsi, quòd utitur L. Cottâ: si nihil conficeretur de Tranſtiberinis, habet in Oſtiensi Cotta celeberrimo loco, ſed pusillum loci: ad hanc rem tamen plus etiam ſatis: id velìm cogites, nec tamen iſta pretia hortorum pertimueris. Nec mihi jam argento, nec veſte opus eſt, nec quibuſquam amœnis locis: hoc opus eſt. Video etiam, a quibus adjuvari possim. Sed loquere cum Silio; nihil enim eſt melius: mandavi etiam Sicæ: reſcripsit, conſtitutum ſe cum eo habere. Scribat igitur ad me, quid egerit, &, tu videbis.

CICERO ATTICO SAL.

24. BENE *fecit A. Silius*, qui tranſegerit; neque enim ei deeſſe volebam, &, quid poſſem, timebam. De Ovia confice, ut ſcribis. De Cicerone tempus eſſe jam videtur: ſed quæro, quod illi opus erit Athenis, permutarine possit, an ipsi ferendum sit; de totaque re quemadmodum, & quando placeat, velim consideres. Publius iturusne sit in Africam, & quando, ex Aledio ſcire poteris: quæras, & ad me ſcribas velim. Et ut ad meas ineptias redeam, velim me certiorem facias P. Craſſus, Venuleiæ filius, vivone P. Craſſo conſulari, patre ſuo, mortuus sit, ut ego

meminiſſe videor, an pòſt. Item quæro de Regillo, Lepidi filio, recténe meminerim, patre vivo mortuum. Ciſpiana explicabis, itemque Prætiana. De Attica optimè it: ei ſalutem dices, & Piliæ.

CICERO ATTICO SAL.

25. SCRIPSIT ad me diligenter Sica de Silio, ſeque ad te rem detuliſſe; quod tu idem ſcribis: mihi & res & conditio placet, ſed ita, ut numerato malim, quàm æſtimatione: voluptarias enim poſſeſſiones nolet Silius; vectigalibus autem ut his poſſum eſſe contentus, quæ habeo, sic vix minoribus. Unde ergo numerato? H-S DC exprimes ab Hermogene, quum præſertim neceſſe erit; & domi video eſſe H-S DC: reliquæ pecuniæ vel uſuram Silio pendemus, dum a Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debet, repræſentabimus. Erit etiam aliquid alicunde: ſed totam rem tu gubernabis. Drusianis verò hos hortis multò antepono; neque ſunt umquam comparati. Mihi crede, una me cauſa movet, in qua ſcio me τετυφῶσθαι; ſed, ut facis, obſequere huic errori meo. Nam quod ſcribis ἐſγήρaμa; actum jam de iſto eſt: alia magis quæro.

CICERO ATTICO SAL.

26. SICA, ut ſcribit, etiam si nihil confecerit cum A. Silio, tamen ſe ſcribit x

Kal. eſſe venturum. Tuis occupationibus ignoſco; eæque mihi ſunt notæ: de voluntate tua ut simul simus, vel ſtudio potiùs & cupiditate, non dubito. De Nicia quod ſcribis, si ita me haberem, ut ejus humanitate frui poſſem, in primis vellem illum mecum habere; ſed mihi ſolitudo & receſſus provincia eſt: quod quia facilè ferebat Sica, eò magis illum desidero. Præterea noſti Niciæ noſtri imbecillitatem, mollitiam, conſuetudinem victûs: cur ego illi moleſtus velim, quum mihi ille jucundus eſſe non possit? voluntas tamen ejus mihi grata eſt. Unam rem ad me ſcripsiſti, de qua decrevi nihil tibi reſcribere; ſpero enim me a te impetraſſe, ut privares me iſtâ moleſtiâ. Piliæ, & Atticæ ſalutem.

CICERO ATTICO SAL.

27. DE Siliano negotio, etsi mihi non eſt ignota conditio, tamen hodie me ex Sica arbitror omnia cogniturum. Cottæ quòd negas te noſſe; ultra Silianam villam eſt, quam puto tibi notam eſſe: villula ſordida, & valde pusilla: nihil agri: ad aliam rem loci nihil; ſatis ad eam, quam quæro: ſequor celebritatem: ſed, si perficitur de hortis Silii, hoc eſt, si perficis (eſt enim totum positum in te) nihil eſt ſcilicet, quod de Cotta cogitemus. De Cicerone, ut ſcribis, ita faciam: ipsi per-

mittam de tempore : nummorum quantum opus erit ut permutetur, tu videbis. Ex Aledio, quod ſcribis, si quid inveneris, ſcribes. Et ego ex tuis animadverto litteris, & profectò tu ex meis, nihil habere nos, quod ſcribamus : eadem quotidie, quæ jam, jamque ipſa contrita ſunt: tamen facere non poſſum, quin quotidie ad te mittam, ut tuas accipiam. De Bruto tamen, si quid habebis; ſcire enim jam puto, ubi Panſam exſpectet : si, ut conſuetudo eſt, in prima provincia, circiter Kal. affuturus videtur. Vellem tardiùs; valde enim urbem fugio multas ob cauſas. Itaque id ipſum dubito, an excuſationem aliquam ad illum parem; quod quidem video facile eſſe. Sed habemus ſatis temporis ad cogitandum. Piliæ, Atticæ ſalutem.

CICERO ATTICO SAL.

28. De Silio nihilò plura cognovi ex præſente Sica, quàm ex litteris ejus; ſcripſerat enim diligenter : si igitur tu illum conveneris, ſcribes ad me, si quid videbitur. De quo putas ad me miſſum eſſe, sit miſſum necne neſcio; dictum quidem mihi certè nihil eſt. Tu igitur, ut cœpiſti : &, si quid ita conficies (quod equidem non arbitror fieri poſſe) ut illi probetur, Ciceronem, si tibi placebit, adhi-

bebis : ejus aliquid intereſt , videri illius causâ voluiſſe : meâ quidem nihil, nisi id, quod tu ſcis ; quod ego magni æſtimo. Quòd me ad conſuetudinem revocas ; fuit meum quidem jam pridem rempublicam lugere ; quod faciebam, ſed mitiùs ; erat enim ubi acquieſcerem : nunc planè nec ego victum, nèc vitam illam colere poſſum ; nec in ea re quid aliis videatur, mihi putò curandum : mea mihi conſcientia pluris eſt, quàm omnium ſermo. Quòd me ipſe per litteras conſolatus ſum, non pœnitet me quantum profecerim : mœrorem minui ; dolorem nec potui, nec, si poſſem, vellem. De Triario bene interpretaris voluntatem meam : tu verò nihil, nisi ut illi volent : amo illum mortuum : tutor ſum *liberis* : totam domum diligo. De Caſtriciano negotio, si Caſtricius pro mancipiis pecuniam accipere volet, eamque ei ſolvi, ut nunc ſolvitur ; certè nihil eſt commodius : sin autem ita actum eſt, ut ipſa mancipia abduceret, non mihi videtur eſſe æquum : rogas enim me, ut tibi ſcribam, quid mihi videatur. Nolo enim negotii Quintum fratrem quidquam habere ; quod videor mihi intellexiſſe tibi idem videri. Publius, si æquinoctium exſpectat, ut ſcribis Aledium dicere, navigaturus videtur : mihi autem dixerat per Siciliam : utrùm, & quando, velim ſcire.

Et velim aliquando, quum erit tuum commodum, Lentulum puerum viſas, eique de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas. Piliæ, Atticæ, ſalutem.

CICERO ATTICO SAL.

29. SILIUS, ut ſcribis, hodie: cras igitur, vel potiùs quum poteris, ſcribes, si quid erit, quum videris. Nec ego Brutum vito, nec tamen ab eo levationem ullam exſpecto: ſed erant cauſæ, cur hoc tempore iſtic eſſe nollem: quæ si manebunt, quærenda erit excuſatio ab Brutum; &, ut nunc eſt, manſuræ videntur. De hortis, quæſo, explica. Caput illud eſt, quod ſcis: ſequitur, ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit; nec enim eſſe in turba poſſum, nec a vobis abeſſe. Huic meo consilio nihil reperio iſto loco aptius: & de hac re quid tui consilii sit, mihi perſuaſum eſt, & eò magis, quod idem intellexi tibi videri, me ab Oppio & Balbo valde diligi. Cum iis communices quanto opere & quare velim hortos; ſed id ita poſſe, si expediatur illud Faberianum: sintne igitur auctores futuri; si qua etiam jactura facienda sit in repræſentando, quoad poſſunt adduci: totum enim illud deſperatum: denique intelliges, ecquid inclinent ad hoc meum consilium adjuvandum. Si quid erit, magnum eſt adjumentum:

mentum : si minùs, quacumque ratione contendamus. Vetus illud ἐστήρεμα, quemadmodum ſcripsiſti, vel ἐντάφιον putato. De illo Oſtiensi nihil eſt cogitandum. Si hoc non aſſequimur (a Lamia non puto poſſe) Damasippi experiendum eſt.

CICERO ATTICO SAL.

30. QUÆRO, quid ad te ſcribam; ſed nihil eſt: eadem quotidie. Quòd Lentulum invisis, valde gratum: pueros attribue ei, quot, & quos videbitur. De Silii voluntate vendendi, & de eo quanti, tu vereri videris, primùm ne nolit, deinde ne tanti: Sica aliter; ſed tibi aſſentior. Quare, ut ei placuit, ſcripsi ad Egnatium. Quòd Silius te cum Clodio loqui vult; potes id meâ voluntate facere; commodiuſque eſt, quàm, quod ille a me petit, me ipſum ſcribere ad Clodium. De mancipiis Caſtricianis, commodissimum eſſe credo, transigere Egnatium; quod ſcribis te ita futurum putare. Cum Ovia, quæſo, vide ut conficiatur. Quoniam, ut ſcribis, nox erat, in hodierna epiſtola plura exſpecto.

CICERO ATTICO SAL.

31. SILIUM mutaſſe ſententiam Sica mirabatur: equidem magis miror, quòd, quum in filium cauſam conferret, quæ

mihi non injuſta videtur (habet enim qualem vult) ais te putare, si addiderimus aliud, a quo refugiat, quum ab ipſo id fuerit deſtinatum, venditurum. Quæris a me, quod ſummum pretium conſtituam, & quantum anteire iſtos hortos Drusi; accessi numquam: Coponianam villam & veterem & non magnam novi; silvam nobilem; fructum autem neutrius; quod tamen puto nos ſcire oportere: ſed mihi utrivis iſtorum tempore magis meo, quam ratione æſtimandi ſunt. Possim autem aſſequi necne, tu velim cogites. Si enim Faberianum venderem, explicare vel repræſentatione non dubitarem de Silianis, si modò adduceretur ut venderet: si venales non haberet, transirem ad Druſum; vel tanti, quanti Egnatius illum velle ſibi dixit: magno etiam adjumento nobis Hermogenes poteſt eſſe in repræſentando. At tu concede mihi, quæſo, ut eo animo sim, quo is debeat eſſe, qui emere cupiat; & tamen ſervio ita cupiditati & dolori meo, ut a te regi velim. Egnatius mihi ſcripsit: is si quid tecum locutus erit (commodissimè enim per eum agi poteſt) ad me ſcribes; & id agendum puto: nam cum Silio non video confici poſſe. Piliæ & Atticæ ſalutem. Hæc ad te meâ manu. Vide, quæſo, quid agendum sit.

CICERO ATTICO SAL.

32. PUBLILIA ad me ſcripsit, matrem ſuam cum Publilio loqui ad me cum illo venturam, & ſe unà, si ego paterer: orat multis & ſupplicibus verbis ut liceat, & ut sibi reſcribam. Res quàm moleſta sit, vides: reſcripsi, me etiam graviùs eſſe affectum, quàm tum, quum illi dixiſſem, me ſolum eſſe velle; quare nolle me hoc tempore eam ad me venire. Putabam, si nihil reſcripsiſſem, illam cum matre venturam; nunc non puto: apparebat enim illas litteras non eſſe ipsius. Illud autem, quod fore video, ipſum volo vitare, ne illæ ad me veniant; & una eſt vitatio, ut ego nollem: ſed neceſſe eſt. Te hoc nunc rogo ut explores, ad quam diem hîc ita possim eſſe, ut ne opprimar. Ages, ut ſcribis, temperatè. Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, ut ſumptus hujus peregrinationis, quibus, si Romæ eſſet, domumque conduceret, quod facere cogitabat, facilè contentus futurus erat, accommodet ad mercedes Argileti, & Aventini: & quum ei propoſueris, ipſe velim reliqua moderere, quemadmodum ex iis mercedibus ſuppeditemus ei quod opus sit. Præſtabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Meſſallam, quos Athenis futuros audio,

majores ſumptus facturos, quàm quod ex eis mercedibus recipietur. Itaque velim videas primùm, conductores qui sint, & quanti; deinde ut sit qui ad diem ſolvat; & quid viatici, quid inſtrumenti ſatis sit: jumento certè Athenis nihil opus eſt: quibus autem in via utatur, domi ſunt plura, quàm opus erat; quod etiam tu animadvertis.

Cicero Attico Sal.

33. Ego, ut heri ad te ſcripsi, si & Silius is fuerit, quem tu putas, nec Druſus facilem ſe præbuerit, Damasippum velim aggrediare: is, opinor, ita partes fecit in ripa neſcio quotenorum jugerum, ut certa pretia conſtitueret; quæ mihi nota non ſunt: ſcribes ad me igitur, quidquid egeris. Vehementer me ſollicitat Atticæ noſtræ valetudo; ut verear etiam ne qua culpa sit: ſed & pædagogi probitas, & medici assiduitas, & tota domus in omni genere diligens, me rurſus id ſuſpicari vetat. Cura igitur: plura enim non poſſum.

Cicero Attico Sal.

34. Ego hîc vel sine Sica (Tironi enim melius eſt) facillimè poſſem eſſe, ut in malis: ſed, quum ſcribas videndum mihi eſſe ne opprimar, ex quo intelligam, te certum diem illius profectionis non ha-

bere; putavi eſſe commodius, me iſtuc venire; quod idem video tibi placere. Cras igitur in Sicæ ſuburbano: inde, quemadmodum ſuades, puto me in Ficulensi fore. Quibus de rebus ad me ſcripsiſti, quoniam ipſe venio, coràm videbimus. Tuam quidem & in agendis noſtris rebus, & in consiliis ineundis, mihique dandis, in ipsis litteris, quas mittis, benevolentiam, diligentiam, prudentiam mirificè diligo.

CICERO ATTICO SAL.

35. TU tamen, si quid cum Silio, vel illo ipſo die, quo ad Sicam venturus ero, certiorem me velim facias, & maximè cujus loci detractionem fieri velit; quod enim ſcribis, extremi, vide, ne is ipſe locus sit, cujus causâ de tota re, ut ſcis, eſt a nobis cogitatum. Hirtii epiſtolam tibi misi, & recentem, & benevolè ſcriptam. Antè, quàm a te proximè diſcessi, numquam mihi venit in mentem, quo plus inſumptum in monumentum eſſet, quàm neſcio quid, quod lege conceditur, tantumdem populo dandum eſſe: quod non magnopere moveret, nisi neſcio quomodo, ἀλόγως fortaſſe, nollem illud ullo nomine, nisi fani, appellari: quod si volumus, vereor ne aſſequi non possimus, nisi mutato loco. Hoc quale sit, quæſo, considera: nam etsi minùs urgeor, me-

que ipſe propemodum collegi; tamen indigeo tui consilii. Itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quàm a me vis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.

CICERO ATTICO SAL.

36. FANUM fieri volo; neque hoc mihi erui poteſt: ſepulcri ſimilitudinem effugere non tam propter pœnam legis ſtudeo, quàm ut maximè aſſequar ἀποθέωσιν; quod poteram, si in ipſa villa facerem: ſed, ut ſæpe locuti ſumus, commutationes dominorum reformido: in agro ubicumque fecero, mihi videor aſſequi poſſe, ut poſteritas habeat religionem. Hæ meæ tibi ineptiæ (fateor enim) ferendæ ſunt: non habeo, ne me quidem ipſum, quicum tam audacter communicem, quàm te. Si tibi res, si locus, si inſtitutum placet, lege, quæſo, legem, mihique eam mitte: si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus, utemur. Ad Brutum si quid ſcribes, nisi alienum putabis, objurgato eum, quòd in Cumano eſſe noluerit propter eam cauſam, quam tibi dixit: cogitanti enim mihi nihil tam videtur potuiſſe facere ruſticè. Et, si tibi placebit sic agere de fano ut cœpimus, velim cohortere & exacuas Cluatium: nam, etiam si alio loco placebit,

illius nobis operâ conſilioque utendum puto. Tu ad villam fortaſſe cras.

CICERO ATTICO SAL.

37. A TE heri duas epiſtolas accepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die tabellario; accepique ab Ægypta liberto eodem die, Piliam & Atticam planè bellè ſe habere. Hæ litteræ mihi redditæ ſunt tertio decimo die. Quòd mihi Bruti literas, gratum; ad me quoque miſit: eam ipſam ad te epiſtolam miſi, & ad eam exemplum mearum litterarum. De fano, ſi nihil mihi hortorum invenis (qui quidem tibi inveniendi ſunt, ſi me tanti facis, quanti certè facis) valde probo rationem tuam de Tuſculano: quamvis prudens ad cogitandum ſis, ſicut es, tamen, niſi magnæ curæ tibi eſſet, ut ego conſequerer id, quod magnopere vellem, numquam ea res tibi tam bellè in mentem venire potuiſſet. Sed neſcio quo pacto celebritatem requiro: itaque hortos mihi conficias, neceſſe eſt: maxima eſt in Scapulæ celebritas; propinquitas præterea ubi ſis, ne totum diem in villam. Quare, antequam diſcedis, Othonem, ſi Romæ eſt, convenias pervelim. Si nihil erit, etſi tu meam ſtultitiam conſueſti ferre, eò tamen progrediar, uti ſtomachere: Druſus enim certè

vendere vult. Si ergo aliud erit, non mea erit culpa, niſi emero; quâ in re ne labar, quæſo, provide: providendi autem una ràtio eſt, ſi quid de Scapulanis poſſumus. Et velim me certiorem facias, quàm diu in ſuburbano ſis futurus. Apud Terentiam gratiâ opus eſt nobis tuâ, tuâque auctoritate: ſed facies, ut videbitur: ſcio enim, ſi quid meâ interſit, tibi majori curæ ſolere eſſe, quàm mihi. Hirtius ad me ſcripsit, Sex. Pompeium Cordubâ exiſſe, & fugiſſe in Hiſpaniam citeriorem: Cnæum fugiſſe neſcio quò; neque enim curo. Nihil præterea novi. Litteras Narbone dedit XIV Kal. Maii. Tu mihi de Caninii naufragio, quasi dubia miſiſti: ſcribas igitur, ſi quid erit certius. Quòd me à mœſtitia avocas, multum levâris, ſi locum fano dederis: multa mihi εἰς ἀποθέωσιν in mentem veniunt; ſed loco valde opus eſt: quare etiam Othonem vide.

CICERO ATTICO SAL.

38. NON dubito, quin occupatiſſimus fueris, qui ad me nihil litterarum: ſed homo nequam, qui tuum commodum non exſpectarit, quum ob eam unam cauſam miſſus eſſet. Nunc quidem, niſi quid te tenuit, ſuſpicor te eſſe in ſuburbano: at ego hîc ſcribendo dies totos nihil equidem levor, ſed tamen aberro. Aſinius

Pollio ad me ſcripsit de impuro noſtro cognato: quod Balbus minor nuper ſatis planè, Dolabella obſcurè, hic apertiſſimè. Ferrem graviter, si novæ ægrimoniæ locus eſſet: ſed tamen ecquid impurius? O hominem cavendum! quamquam mihi quidem.... ſed tenendus dolor eſt. Tu, quoniam neceſſe nihil eſt, sic ſcribes aliquid, si vacabis. Quòd putas oportere pervideri jam animi mei firmitatem, graviúſque quoſdam ſcribis de me loqui, quàm aut te ſcribere, aut Brutum; si qui me fractum eſſe animo, & debilitatum putant, ſciant quid litterarum, & cujus generis conficiam; credo, si modò homines sint; exiſtiment me, sive ita levatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles ſcribendas afferam, reprehendendum non eſſe; sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quæ maximè liberalis una, doctoque homine digniſſima, laudari me etiam oportere. Sed quum ego faciam omnia, quæ facere poſsim ad me adjuvandum; tu effice id, quod video te non minùs, quàm me, laborare: hoc mihi debere videor, neque levari poſſe, nisi ſolvero, aut videro me poſſe ſolvere; id eſt, locum, qualem volo, invenero. Heredes Scapulæ, si iſtos hortos, ut ſcribis tibi Othonem dixiſſe, partibus quatuor factis, liceri cogitant; nihil

eſt ſcilicet emptori loci : ſin venibunt ; quid fieri possit, videbimus. Nam ille locus Publicianus, qui eſt Trebonii, & Cuſinii, erat ad me allatus ; ſed ſcis aream eſſe : nullo pacto probo. Clodiæ ſanè placent ; ſed non puto eſſe venales. De Druſi hortis, quamvis ab iis abhorreas, ut ſcribis, tamen eò confugiam, nisi quid inveneris. Ædificatio me non movet : nihil enim aliud ædificabo, nisi id quod etiam ſi illos non habuero. Κῦρος δ, ε, mihi ſic placuit, ut cætera Antiſthenis, hominis acuti magis, quàm eruditi.

CICERO ATTICO SAL.

39. TABELLARIUS ad me quum ſine litteris tuis veniſſet, exiſtimavi tibi eam cauſam non ſcribendi fuiſſe, quòd pridie ſcripsiſſes ea ipſa, ad quæ reſcripsi hac epiſtolâ : exſpectaram tamen aliquid de litteris Asinii Pollionis ; ſed nimiùm ex meo otio tuum ſpecto : quamquam tibi remitto, nisi quid neceſſe erit, neceſſe ne habeas ſcribere, nisi eris valde otioſus. De tabellariis facerem quod ſuades, si eſſent ullæ neceſſariæ litteræ, ut erant olim, quum brevioribus diebus, tamen quotidie reſpondebant tempori tabellarii ; & erat aliquid, Silius, Druſus, alia quædam. Nunc, nisi Otho exſtitiſſet, quod ſcriberemus non erat. Id ipſum dilatum eſt :

tamen allevor, quum loquor tecum abſens, & multò etiam magis, quum tuas litteras lego. Sed quoniam & abes (sic enim arbitror) & ſcribendi neceſſitas nulla eſt, conquieſcent litteræ, niſi quid novi exſtiterit.

CICERO ATTICO SAL.

40. QUALIS futura ſit Cæſaris vituperatio contra laudationem meam perſpexi ex eo libro, quem Hirtius ad me miſit, in quo colligit vitia Catonis, ſed cum maximis laudibus meis. Itaque miſi librum ad Muſcam, ut tuis librariis daret: volo enim eum divulgari; quod quò faciliùs fiat, imperabis tuis. Συμβουλευτικὸν ſæpe conor: nihil reperio; & quidem mecum habeo & Ἀριστοτέλους & Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον: ſed quid ſimile? illi & quæ ipſis honeſta eſſent ſcribebant, & grata Alexandro: ecquid tu ejuſmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem venit. Quòd ſcribis te vereri, ne & gratia & auctoritas noſtra hoc meo mœrore minuatur; ego, quid homines aut reprehendant, aut poſtulent, neſcio: ne doleam? qui poteſt? ne jaceam? quis umquam minùs? dum tua me domus levabat, quis a me excluſus? quis venit, qui offenderetur? Aſturam ſum a te profectus: legere iſti læti, qui me reprehendunt, tam multa non poſſunt, quàm

ego ſcripsi : quàm bene, nihil ad rem; ſed genus ſcribendi id fuit, quod nemo abjecto animo facere poſſet. Triginta dies in hortis fui : quis aut congreſſum meum, aut facilitatem ſermonis desideravit? nunc ipſum, ea lego, ea ſcribo, ut ii, qui mecum ſunt, difficiliùs otium ferant, quàm ego laborem. Si quis requirit, cur Romæ non sim : quia diſceſſus eſt. Cur non sim in his meis prædiolis, quæ ſunt hujus temporis : quia frequentiam illam non facilè ferrem. Ibi ſum igitur, ubi is, qui optimas Baias habebat, quotannis hoc tempus conſumere ſolebat. Quum Romam venero, nec vultu, nec oratione reprehendar : illam hilaritatem, quâ hanc triſtitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi : conſtantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc videtur effici poſſe, aliud tuâ gratiâ, aliud noſtrâ, ut præconi ſubjiciantur : id nisi fit, excludemur : sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis noſtrâ cupiditate. Nam quod ad me de Lentulo ſcribis, non eſt in eo. Faberiana modò res certa sit, tuque enitare, quod facis; quod volumus, conſequemur. Quòd quæris, quàm diu hîc : paucos dies; ſed certum non habeo : simul ac conſtituero, ad te ſcribam : & tu ad me, quàm diu in ſuburbano sis futurus.

Quo die ego ad te hæc miſi, de Pilia, & Attica mihi quoque eadem, quæ ſcribis; & ſcribuntur, & nuntiantur.

CICERO ATTICO SAL.

41. NIHIL erat quod ſcriberem: ſcire tamen volebam, ubi eſſes; si abes, aut abfuturus es, quando rediturus eſſes: facies igitur me certiorem. Et quod tu ſcire volebas, ego quando ex loco; poſtridie Idus Lanuvii conſtitui manere: inde poſtridie in Tuſculano, aut Romæ: utrum sim facturus, eo ipſo die ſcies. Scis, quàm sit φιλαίτιον συμφορὰ, minimè in te quidem: ſed tamen avidè ſum affectus de fano; quod nisi, non dico, effectum erit, ſed fieri videro (audebo hoc dicere; & tu, ut ſoles, accipies) incurſabit in te dolor meus; non jure ille quidem; ſed tamen feres hoc ipſum, quod ſcribo, ut omnia mea fers, ac tuliſti. Omnes tuas conſolationes unam hanc in rem velim conferas. Si quæris, quid optem; primùm Scapulæ, deinde Clodiæ; poſtea, si Silius nolet, Druſus aget injuſtè, Cusinii & Trebonii: puto Terentium eſſe dominum; Rebilum fuiſſe certè ſcio. Sin autem tibi Tuſculanum placet, ut significaſti quibuſdam litteris, tibi aſſentiar. Hoc quidem utique perficies, si me levari vis; quem jam etiam graviùs accuſas, quàm pa-

titur tua conſuetudo; ſed facis ſummo amore, & victus fortaſſe vitio meo: ſed tamen, si me levari vis, hæc eſt ſumma levatio, vel (si verum ſcire vis) una. Hirtii epiſtolam si legeris, quæ mihi quasi πρόπλασμα videtur ejus vituperationis, quam Cæſar ſcripsit de Catone; facies me, quid tibi viſum sit, si tibi erit commodum, certiorem. Redeo ad fanum: nisi hac æſtate abſolutum erit, quam vides integram reſtare, ſcelere me liberatum non putabo.

CICERO ATTICO SAL.

42. NULLUM a te desideravi diem litterarum: videbam enim quæ ſcribis; & tamen ſuſpicabar, vel potiùs intelligebam, nihil fuiſſe, quod ſcriberes: A. d. VI Id. verò abeſſe te putabam, & planè videbam nihil te habere. Ego tamen ad te ferè quotidie mittam: malo enim fruſtra, quàm te non habere, cui des, si quid fortè sit, quod putes me ſcire oportere. Itaque accepi VI Id. litteras tuas inanes: quid enim habebas, quod ſcriberes? mî tamen illud, quidquid erat, non moleſtum fuit, nihil aliud ſcire me, novi te nihil habere. Scripsiſti tamen neſcio quid de Clodia. Ubi ergo ea eſt? aut quando ventura? placet mihi res sic, ut ſecundùm Othonem nihil magis: ſed neque hanc vendituram puto; delectatur enim, & copioſa eſt: & illud

alterum quàm ſit difficile, te non fugit. Sed obſecro enitamur, ut aliquid ad id, quod cupio, excogitemus. Ego me hinc poſtridie exiturum puto, ſed aut in Tuſculanum, aut domum; inde fortaſſe Arpinum; quum certum ſciero, ſcribam ad te. Venerat mihi in mentem monere te, ut id ipſum, quod facis, faceres: putabam enim commodiùs te idem iſtud domi agere poſſe, interpellatione ſublatâ.

CICERO ATTICO SAL.

43. Ego poſtridie Idus, ut ſcripsi ad te antè, Lanuvii manere conſtitui; inde aut Romæ, aut in Tuſculano: ſcies antè utrumque. Quòd siles rectè mî illam rem fore levamento, bene facis; quum id eſſet, mihi crede, perinde, ut exiſtimare tu non poſſes. Res indicat, quanto opere id cupiam, quum tibi audeam confiteri; quem id non ita valde probare arbitrer: ſed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus? immo verò etiam adjuvandus. De Othone, diffido; fortaſſe, quia cupio: ſed tamen major etiam res eſt, quàm facultates noſtræ, præſertim adverſario & cupido, & locuplete, & herede. Proximum eſt, ut velim Clodiæ. Sed, si iſta minùs confici poſſunt, effice quidvis. Ego me majore religione, quàm quiſquam fuit ullius voti, obſtrictum puto. Videbis etiam Trebonianos; etsi abſunt do-

mini. Sed ut ad te heri ſcripsi, conſiderabis etiam de Tuſculano, ne æſtas effluat; quod certè non eſt committendum.

CICERO ATTICO SAL.

44. Et Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς de me ſcripsiſſe facilè patior (fecit enim humanè) & te ejus epiſtolam ad me non misiſſe, multò faciliùs; tu enim etiam humaniùs. Illius librum, quem ad me misit de Catone, propterea volo divulgari a tuis, ut ex iſtorum vituperatione sit illius major laudatio. Quòd per Muſtellam agis, habes hominem valde idoneum, meique ſanè ſtudioſum jam inde a Pontiano. Perfice igitur aliquid: quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? quod per quemvis heredem poteſt effici: ſed Muſtellam id perfecturum, si rogaris, puto. Mihi verò & locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis, & præterea ἐγγήραμα. Nam illa Silii, & Drusi non ſatis οἰκοδεσποτικὰ mihi videntur: quid enim ſedere totos dies in villa iſta? Igitur malim primùm Othonis, deinde Clodiæ. Si nihil fiet, aut Druſo ludus eſt ſuggerendus, aut utendum Tuſculano. Quòd domi te incluſiſti, ratione feciſti; ſed, quæſo, confice, & te vacuum redde nobis. Ego hinc, ut ſcripsi antea, poſtridie Id. Lanuvium, deinde poſtridie in Tuſculano. Contudi enim ani-

Jodia Romæ futura eſt, & quis tanti rem ſtimas, eò prorſus ſpecto; non quin illud nalim; ſed & magna res eſt, & difficile ertamen cum cupido, cum locuplete, um herede; etsi de cupiditate nemini conedam: ceteris rebus inferiores ſumus. Sed æc coràm. Hirtii librum, ut facis, diulga. De Philotimo idem & ego arbiabar. Domum tuam pluris video futuam vicino Cæſare. Tabellarium meum hoie exſpectamus: is nos de Pilia & Attica ertiores faciet.

CICERO ATTICO SAL.

8. Domi te libenter eſſe, facilè credo: ed velim ſcire, quid tibi reſtet, aut jamie confeceris. Ego te in Tuſculano expecto, eóque magis, quòd Tironi ſtatim e venturum ſcripſiſti, & addidiſti, te puare opus eſſe. Sentiebam omnino, quanum mihi præſens prodeſſes; ſed multò nagis poſt diſceſſum tuum ſentio. Quambrem, ut antè ad te ſcripsi, aut ego d te totus, aut tu ad me: quod licebit.

CICERO ATTICO SAL.

9. Heri non multò pòſt, quàm tu a me liſcessiſti, puto, quidam urbani, ut viebantur, ad me mandata & litteras attuerunt a C. Mario C. F. C. N. multis erbis agere mecum per cognationem,

quæ mihi ſecum eſſet, per eum Marium; quem ſcripsiſſem, per eloquentiam L. Crassi, avi ſui, ut ſe defenderem: cauſamque ſuam mihi perſcripsit. Reſcripſi patrono illi nihil opus eſſe, quoniam Cæſaris, propinqui ejus, omnis poteſtas eſſet; viri optimi, & hominis liberalissimi: me tamen ei fauturum. O tempora! fore, quum dubitet Curtius conſulatum petere? ſed hæc hactenus. De Tirone, mihi curæ eſt: ſed jam ſciam, quid agat; heri enim miſi, qui videret; cui etiam ad te litteras dedi. Epiſtolam ad Cæſarem tibi miſi. Horti quam in diem proſcripti ſint, velim ad me ſcribas.

CICERO ATTICO SAL.

50. UT me levarat tuus adventus, sic diſceſſus afflixit: quare quum poteris, id eſt, quum Sexti auctioni operam dederis, reviſes nos: vel unus dies mihi erit utilis; quid dicam, gratus? Ipſe Romam venirem, ut unà eſſemus, si ſatis consilium quadam de re haberem.

CICERO ATTICO SAL.

51. TIRONEM habeo citiùs, quàm verebar: venit etiam Nicias; & Valerium hodie audiebam eſſe venturum. Quamvis multi sint, magis tamen ero ſolus, quàm si unus eſſes: ſed exſpecto te, a Pedu-

o utique : tu autem ſignificas aliquid am antè : verùm id quidem, ut pote-. De Virgilio, ut ſcribis : hoc tamen lim ſcire, quando auctio. Epiſtolam ad æſarem mitti video tibi placere : quid ıæris ? mihi quoque hoc idem maximè acuit, & eò magis, quòd nihil eſt in , niſi optimi civis; ſed ita optimi, ut mpora, quibus parêre omnes πολιτικοὶ æcipiunt. Sed ſcis ita nobis eſſe viſum, iſti antè legerent: tu igitur id curabis. d, niſi planè iis intelliges placere, mit-nda non eſt: id autem utrùm illi ſen-ınt, anne ſimulent, tu intelliges: mihi mulatio pro repudiatione fuerit. Τȣ̃το δὲ ηλάση. De Çærellia quid tibi placeret, ïro mihi narravit: debere, non eſſe di-nitatis meæ: perſcriptionem tibi placere: oc metuere, alterum in metu non po-ere. Sed & hæc, & multa alia coràm: ſtinenda tamen, ſi tibi videbitur, ſolu-o eſt nominis Cærelliani, dum & de Me-ne, & de Faberio ſciamus.

CICERO ATTICO SAL.

2. LUCIUM Tullium Montanum noſti, ui cum Cicerone profectus eſt. Ab ejus roris viro litteras accepi, Montanum lanco debere, quòd præs pro Flaminio t, H-S XXV: de ea re neſcio quid te a Iontano rogatum. Sanè velim, ſive Plan-

mum Clodiæ : quòd ſi neutrum, metuo ne turbem, & irruam in Druſum. Intemperans ſum in ejus rei cupiditate, quam noſti : itaque revolvor identidem in Tuſculanum; quidvis enim potiùs, quàm ut non hac æſtate abſolvatur. Ego, ut tempus eſt noſtrum, locum habeo nullum, ubi faciliùs eſſe poſsim, quàm Aſturæ : ſed quia qui mecum ſunt (credo, quod mœſtitiam meam non ferunt) domum properant; etsi poteram remanere, tamen, ut ſcripsi tibi, proficiſcar hinc, ne relictus videar. Quò autem? Lanuvium? Conor equidem in Tuſculanum; ſed faciam te ſtatim certiorem. Tu litteras conficies. Equidem, credibile non eſt, quantum ſcribam die, quin etiam noctibus : nihil enim ſomni. Heri etiam effeci epiſtolam ad Cæſarem; tibi enim placebat : quam non fuit malum ſcribi, si fortè opus eſſe putares : ut quidem nunc eſt, nihil ſanè eſt neceſſe mittere; ſed id quidem, ut tibi videbitur. Mittam tamen ad te exemplum fortaſſe Lanuvio, niſi fortè Romam. Sed cras ſcies.

CICERO ATTICO SAL.

2. AD Ciceronem ita ſcripsiſti, ut neque ſeveriùs, neque temperatiùs ſcribi po uerit, nec magis, quàm quemadmodum ego maximè vellem : prudentissimè etiam ad Tullios :

Tullios : quare aut iſta proficient, aut aliud agamus. De pecunia verò video a te omnem diligentiam adhiberi, vel potiùs jam adhibitam : quod si efficis, a te hortos habebo. Nec verò ullum genus poſſeſſionis eſt, quod malim, maximè ſcilicet ob eam cauſam, quæ ſuſcepta eſt; cujus feſtinationem mihi tollis, quoniam de æſtate polliceris, vel potiùs recipis : deinde etiam ad καταβίωσιν, mœſtitiamque minuendam nihil mihi reperiri poteſt aptius : cujus rei cupiditas impellit me interdum, ut te hortari velim : ſed me ipſe revoco; non enim dubito, quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipſum cupiditate vincas. Itaque iſtuc jam pro facto habeo. Exſpecto quid iſtis placeat de epiſtola ad Cæſarem. Nicias te, ut debet, amat, vehementerque tuâ ſui memoriâ delectatur. Ego verò Peduceum noſtrum vehementer diligo. Nam ecquanti patrem feci, totum in hunc : ipſum per ſe æquè amo, atque illum amavi : te verò plurimùm, qui hoc ab utroque noſtrûm fieri velis. Si hortos inſpexeris, & si de epiſtola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te ſcribam; sin minùs, ſcribam tamen aliquid : numquam enim deerit.

CICERO ATTICO SAL.

3. GRATIOR mihi celeritas tua, quàm ipſa res: quid enim indignius? ſed jam ad iſta obduruimus, & humanitatem omnem exſuimus. Tuas litteras hodie exſpectabam, nihil equidem ut ex iis novi: quid enim? verumtamen. Oppio & Balbo epiſtolas deferri jubebis, & tamen Piſonem sicubi de auro. Faberius si venerit, videbis ut tantum attribuatur, si modò attribuetur, quantum debetur: accipies ab Erote. Ariarathes Ariobarzanis filius Romam venit: vult, opinor, regnum aliquod emere a Cæſare; nam, quo modo nunc eſt, pedem ubi ponat in ſuo non habet. Omnino eum Sextius noſter parochus publicus occupavit; quod quidem facilè patior: verumtamen, quòd mihi, ſummo beneficio meo, magna cum fratribus illius necessitudo eſt, invito eum per litteras, ut apud me deverſetur: ad eam rem quum mitterem Alexandrum, has ei dedi litteras. Cras igitur auctio Pedacei: quum poteris ergo; etsi impediet fortaſſe Faberius: ſed tamen, quum licebit. Dionysius noſter graviter queritur, & tamen jure, a diſcipulis abeſſe tamdiu: multis verbis ſcripsit ad me, credo item a te: mihi quidem videtur etiam diutius ab futurus: ac nollem; valde enim hominem desidero.

CICERO ATTICO SAL.

4. EPISTOLAM ad Cæſarem, nobis verò ſemper rectiſſimè placuit, ut iſti antè legerent: aliter enim fuiſſemus & in hos inofficiosi; & in noſmetipſos, si illum offenſuri fuimus, pene periculosi. Iſti autem ingenuè; mihique gratum, quòd, quid ſentirent, non reticuerunt: illud verò vel optimè, quòd ita multa mutari volunt, ut mihi de integro ſcribendi cauſa non sit: quamquam de Parthico bello quid ſpectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar? quod enim aliud argumentum epiſtolæ noſtræ, nisi κολακεία, fuit? an, si ea, quæ optima putaram, ſuadere voluiſſem, oratio mihi defuiſſet? Totis igitur litteris nihil opus eſt. Ubi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα vel non magnum moleſtum futurum sit; quid opus eſt παρακινδυνεύειν? præſertim quum illud occurrat, illum, quum antea nihil ſcripſerim, exiſtimaturum, me, nisi toto bello confecto, nihil ſcripturum fuiſſe. Atque etiam vereor, ne putet, me hoc quasi Catonis μείλιγμα eſſe voluiſſe. Quid quæris? valde me pœnitebat; nec mihi in hac quidem re quidquam magis ut vellem accidere potuit, quàm quòd σπουδὴ noſtra non eſt probata: incidiſſemus etiam in illos; in eis in cognatum tuum. Sed

redeo ad hortos. Planè illuc te ire, niſi tuo magno commodo, nolo; nihil enim urget: quidquid erit, operam in Faberio ponamus. De die tamen auctionis, ſi quid ſcies. Eum, qui e Cumano venerat, quòd & planè valere Atticam nuntiabat, & litteras ſe habere aiebat, ſtatim ad te miſi.

CICERO ATTICO SAL.

5. HORTOS quoniam hodie eras inſpecturus, quid viſum tibi ſit, cras ſcilicet: de Faberio autem, quum venerit. De epiſtola ad Cæſarem, jurato mihi crede, non poſſum; nec me turpitudo deterret; etsi maximè debeat: quàm enim turpis eſt aſſentatio, quum vivere ipſum turpe ſit nobis? Sed ut cœpi, non me hoc turpe deterret; ac vellem quidem; eſſem enim qui eſſe debeam: ſed in mentem nihil venit. Nam, quæ ſunt ad Alexandrum hominum eloquentium, & doctorum ſuasiones, vides quibus in rebus verſentur: adoleſcentem, incenſum cupiditate veriſſimæ gloriæ, cupientem ſibi aliquid consilii dari, quod ad laudem ſempiternam valeret, cohortantur: ad decus non deeſt oratio: ego quid poſſum? Tamen neſcio quid e quercu exſculpſeram, quod videretur simile ſimulacri: in eo quia nonnulla erant paulò meliora, quàm ea, quæ fiunt & facta ſunt, reprehenduntur;

quod minimè pœnitet: ſi enim perveniſſent iſtæ litteræ, mihi crede, nos pœniteret. Quid? tu non vides ipſum illum Ariſtotelis diſcipulum, ſummo ingenio, ſummâ modeſtiâ, poſteaquam Rex appellatus ſit, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe? quid? tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his noſtris moderatis epiſtolis lætaturum putas? ille verò potius non ſcripta deſideret, quàm ſcripta non probet. Poſtremò, ut volet. Abiit illud, quod tum me ſtimulabat; quòd tibi dabam, πρόβλημα Ἀρχιμήδειον. Multò mehercule magis nunc opto caſum illum, quàm tum timebam, vel quem libebit. Niſi quid te aliud impediet, mî optatò veneris. Nicias a Dolabella magno opere arcessitus (legi enim litteras) etsi invito me, tamen eòdem me auctore profectus eſt. Hoc manu meâ.

CICERO ATTICO SAL.

6. QUUM quaſi alias res quærerem de philologis e Nicia, incidimus in Talnam: ille de ingenio nihil nimis; modeſtum & frugi. Sed hoc mihi non placuit: ſe ſcire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam ſanè, & multarum nuptiarum: non eſſe probatum mulieribus, quòd ita reperirent, rem non majorem DCCC: hoc putavi te ſcire oportere.

De hortis ex tuis litteris cognovi, & Chryſippo: in villa, cujus inſulſitatem bene noram, video nihil, aut pauca mutata: balnearia tamen laudat majora; de minoribus ait hiberna effici poſſe. Tecta igitur ambulatiuncula addenda eſt; quam ut tantam faciamus, quantam in Tuſculano fecimus, prope dimidio minoris conſtabit iſto loco. Ad id autem, quod volumus, ἀφίδρυμα, nihil aptius videtur, quàm lucus, quem ego noram: ſed celebritatem nullam tum habebat; nunc audio maximam: nihil eſt, quod ego malim. In hoc τὸν τῦφόν μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. Reliquum eſt, ſi Faberius nobis nomen illud explicat, noli quærere, quanti: Othonem vincas volo: nec tamen inſaniturum illum puto; noſſe enim mihi hominem videor: ita malè autem audio ipſum eſſe tractatum, ut mihi ille emptor non eſſe videatur: quid enim? pateretur? Sed quid argumentor? Si Faberianum explicas, emamus vel magno; ſin minùs, ne parvo quidem poſſumus. Clodiam igitur, a qua ipſa ob eam cauſam ſperare videor, quòd & multò minoris ſunt, & Dolabellæ nomen jam expeditum videtur, ut etiam repræſentatione confidam. De hortis ſatis. Cras aut te, aut cauſam; quam quidem futuram Faberianam. Sed, ſi poteris.

CICERO ATTICO SAL.

7. CICERONIS epiſtolam tibi remiſi. O te ferreum, qui illius periculis non moveris! me quoque accuſat. Eam tibi epiſtolam miſiſſem: nam illam alteram de rebus geſtis eodem exemplo puto. In Cumanum hodie miſi tabellarium: ei dedi tuas ad Veſtorium, quas Pharnaci dederas. Commodùm ad te miſeram Demeam, quum Eros ad me venit: ſed in ejus epiſtola nihil erat novi, niſi auctionem biduum. Ab ea igitur, ut ſcribis: & velim, confecto negotio Faberiano: quem quidem negat Eros hodie: cras manè putat. A te colendus eſt: iſtæ autem κολακείας longè abſunt a ſcelere. Te, ut ſpero, perendie. Sicunde potes eruere, qui decem legati Mummio fuerint. Polybius non nominat. Ego memini Albinum conſularem, & Sp. Mummium. Videor audiſſe ex Hortenſio, Tuditanum: ſed in Libonis annali, XIV annis pòſt prætor eſt factus Tuditanus, quàm conſul Mummius: non ſanè quadrat. Volo aliquem Olympiæ, aut ubi viſum, πολιτικὸν σύλλογον, more Dicæarchi, familiaris tui.

CICERO ATTICO SAL.

8. QUINTO Kal. manè accepi a Demea litteras pridie datas, ex quibus aut

hodie, aut cras te exſpectare debe
ſed, ut opinor, idem ego, qui exſ
tuum adventum, morabor te: non
puto tam expeditum Faberianum n
tium futurum, etiam si eſt futurum
non habeat aliquid moræ: quum p
igitur, quoniam etiamdum abes. Di
chi, quos ſcribis, libros ſanè velim
mittas: addas etiam καταβάσεως. De
tola ad Cæſarem, κέκρικα: atque idip
quod isti aiunt illum ſcribere, ſe
conſtitutis rebus, non iturum in Pa
idem ego ſuadebam in illa epiſtola.
utrum liberet, facere poſſe, auctori
hoc enim ille exſpectat videlicet, 1
eſt facturus quidquam, nisi de meo
silio. Obſecro abjiciamus iſta, & ſ
beri ſaltem simus; quod aſſequem
tacendo, & latendo. Sed & agg
Othonem, ut ſcribis: confice, mi A
iſtam rem: nihil enim aliud reperio
& in foro non sim, & tecum eſſe p
quanti autem, hoc mihi venit in me
C. Albanius proximus eſt vicinus;
jugerum de M. Pilio emit, ut me
moria eſt, H-S cxv. Omnia ſcilicet
minoris: ſed accedit cupiditas; in
præter Othonem, non puto nos ullu
verſarium habituros: ſed eum ipſ
poteris movere; faciliùs etiam, si C
haberes. O gulam inſulſam! pudet r
tris. Reſcribes, si quid voles.

CICERO ATTICO SAL.

9. ALTERAM a te epiſtolam quum hodie accepiſſem, nolui te unâ meâ contentum. Tu verò age, quod ſcribis, de Faberio; in eo enim totum eſt poſitum id, quod cogitamus: quæ cogitatio si non incidiſſet (mihi crede iſtuc, ut cetera) non laborarem: quamobrem, ut facis (iſtuc enim addi nihil poteſt) urge, inſta, perfice. Dicæarchi περὶ ψυχῆς utroſque velim mittas, & καταβάσεως. Τριπολιτικὸν non invenio, & epiſtolam ejus, quam ad Ariſtoxenum miſit: tres eos libros maximè nunc vellem; apti eſſent ad id, quod cogito. Torquatus Romæ eſt: juſſi ut tibi daretur: Catulum & Lucullum, ut opinor, antea: his libris nova procemia ſunt addita, quibus eorum uterque laudatur: eas litteras volo habeas; & ſunt quædam alia. Et, quod ad te de decem legatis ſcripsi, parum intellexti; credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram. De C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortenſio audieram fuiſſe in decem: eum video in Libonis prætorem P. Popilio, P. Rupilio conſulibus: annis XIV antè, quàm prætor factus eſt, legatus eſſe potuiſſet? nisi admodum ſerò quæſtor eſt factus; quod non arbitror: video enim curules magiſtratus eum legitimis annis perfacilè cepiſſe. Poſ-

tumium autem, cujus ſtatuam in Iſth
meminiſſe te dicis, in iis ſciebam fui
is autem eſt, qui cum Lucullo fuit; q
tu mihi addidiſti, ſanè ad illum σύμ
perſonam idoneam. Videbis igitur; si
teris, ceteros; ut possimus κομπεῦσαι
τοῖς περιοῦσι.

CICERO ATTICO SAL.

10. NEGLIGENTIAM miram! ſem
putas mihi dixiſſe Balbum, & Faberi
professionem relatam? quin etiam eo
juſſu miſeram, qui profiteretur; ita e
oportere dicebant: profeſſus eſt Phil
mus libertus. Noſti credo librarium:
ſcribes, & quidem confeſtim. Ad Fa
rium, ut tibi placet, litteras misi:
Balbo autem puto te aliquid feciſſe
die in Capitolio. In Virgilio mihi n
eſt δυσωπία: nec enim ejus causâ ſanè
beo; &, si emero, quid erit, quod
tulet? ſed videbis, ne is quum si
Africa, ut Cœlius. De nomine tu vi
bis cum Ciſpio: ſed, si Plancus deſti
tum habet res difficultatem. Te ad
venire uterque noſtrûm cupit; ſed iſta
nullo modo relinquenda eſt. Othon
quòd ſperas poſſe vinci, ſanè bene r
ras. De æſtimatione, ut ſcribis, qu
agere cœperimus; etsi nihil ſcripsit,
de modo agri. Cum Piſone, si quid

teris. Dicæarchi librum accepi ; & καταϐάσεως exſpecto. Negotium dederis ; reperiet ex eo libro, in quo ſunt ſenatuſconſulta Cn. Cornelio, L. Mummio coſſ. De Tuditano autem, quod putas, εὔλογον eſt, tum illum, quoniam fuit ad Corinthum (*non* enim temerè dixit Hortensius) aut quæſtorem, aut tribunum militum ; idque potiùs fuiſſe credo. Tu de Antiocho ſcire poteris. Vide etiam quo anno quæſtor, aut tribunus militum fuerit. Si neutrum quadret, in præfectis, an in contubernalibus fuerit, modò fuerit in eo bello. De Varrone loquebamur ; lupus in fabula : venit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus eſſet : ſed ego ita egi, ut non ſcinderem penulam ; memini enim tuum : & multi erant, noſque imparati. Quid *refert ? paulò pòſt* C. Capito cum T. Carrinate : horum ego vix attigi penulam ; tamen remanſerunt ; ceciditque bellè. Sed caſu ſermo a Capitone de urbe augenda. A ponte Milvio Tiberim duci ſecundùm montes Vaticanos ; campum Martium coædificari ; illum autem campum Vaticanum fieri, quasi Martium campum. Quid ais ? inquam ; at ego ad tabulam, ut, si rectè poſſem, Scapulanos hortos. Cave facias, inquit ; nam iſta lex perferetur : vult enim Cæſar. Audire me facilè paſſus ſum ; fieri autem moleſtè fero.

Sed tu quid ais? quamquam quid quæro noſti diligentiam Capitonis in rebus no vis perquirendis; non concedit Camillc Facies me igitur certiorem de Idibus: iſt enim me res adducebat: eò adjunxerai ceteras; quas conſequi tamen biduo, ai triduo pòſt facilè potero. Te tamen i via confici minimè volo: quin etiam Dio nysio ignoſco. De Bruto quod ſcribis feci ut ei liberum eſſet, quod ad me atti neret; ſcripsi enim ad eum heri, Idil Maii ejus operâ mihi nihil opus eſſe.

CICERO ATTICO SAL.

11. A TE litteras exſpectabam; nondum ſc licet: nam has manè reſcribebam. Ego vei iſta nomina sic probo, ut nihil aliud m moveat, nisi quòd tu videris dubitare illud enim non accipio in bonam partem quòd ad me refers; qui si ipſe negotiu meum gererem, nihil gererem, nisi coı silio tuo: ſed tamen intelligo, magis id facere diligentiâ, quâ ſemper uteris quàm quòd dubites de nominibus iſti Etenim Cœlium non probas: plura nc vis: utrumque laudo. His igitur utendu eſt. Præs aliquando factus eſſes, & in h quidem tabulis. A me igitur omnia. Quò dies longior eſt (teneamus modò quc volumus) puto fore iſtam etiam a præ cone diem, certè ab heredibus. De Cri

po & Muſtella videbis : & velim ſcire, quæ sit pars duorum. De Bruti adventu eram factus certior ; attulerat enim ab eo Ægypta libertus litteras : misi ad te epiſtolam, quia commodè ſcripta erat.

CICERO ATTICO SAL.

12. HABEO munus a te elaboratum decem legatorum, & quidem puto ; nam filius anno pòſt quæſtor fuit, quàm conſul Mummius. Sed quoniam ſæpius de nominibus quæris quid placeat ; ego quoque tibi ſæpius reſpondeo, placere. Si quid poteris cum Piſone, conficies : Avius enim videtur in officio futurus. Velim antè possis ; si minùs, utique simul simus quum Brutus veniet in Tuſculanum : magni intereſt meâ, unà nos eſſe : ſcies autem, qui dies is futurus sit, si puero negotium dederis, ut quærat.

CICERO ATTICO SAL.

13. SPURIUM Mummium putaram in decem legatis fuiſſe : ſed videlicet. Etenim εὔγολον fratri fuiſſe : fuit enim ad Corinthum. Misi tibi Torquatum. Colloquere tu quidem cum Silio ut ſcribis, & urge : illam diem negabat eſſe menſe Maio, iſta non negabat : ſed tu, ut omnia, iſtuc quoque ages diligenter. De Criſpo & Muſtella, ſcilicet quum quid egeris. Quoniam

ad Bruti adventum fore te nobiſcum polliceris, ſatis eſt, præſertim quum hi tibi dies in magno noſtro negotio conſumantur.

CICERO ATTICO SAL.

14. De aquæductu probè feciſti. Columnarium vide ne nullum debeamus: quamquam mihi videor audiſſe a Camillo, commutatam eſſe legem. Piſoni quid eſt quod honeſtius reſpondere poſsimus, quàm ſolitudinem Catonis? nec coheredibus ſolùm Herennianis, ſed etiam, ut ſcis (tu enim mecum egiſti) de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet) in Achaia ſumpſerat. Sed agit liberaliter, quoniam negat ſe quidquam facturum contra noſtram voluntatem. Coràm igitur, ut ſcribis, conſtituemus, quemadmodum rem explicemus. Quòd reliquos coheredes conveniſti, planè bene feciſti. Quòd epiſtolam meam ad Brutum poſcis, non habeo ejus exemplum, ſed tamen ſalvum eſt, & ait Tiro te habere oportere; &, ut recordor, unà cum illius objurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum reſcripſeram, miſi. Judiciali moleſtiâ ut caream, videbis. Tuditanum iſtum, proavum Hortensii, planè non noram; & filium, qui tum non potuerat eſſe legatus, fuiſſe putaram. Mum-

mium fuiſſe ad Corinthum pro certo habeo : ſæpe enim hic Spurius , qui nuper eſt , epiſtolas mihi pronuntiabat verſiculis facetis, ad familiares miſſas a Corintho : ſed non dubito quin fratri fuerit legatus , non in decem. Atque hoc etiam accepi , non ſolitos majores noſtros legare in decem , qui eſſent imperatorum neceſſarii , ut nos ignari pulcherrimorum inſtitutorum , aut negligentes potiùs , M. Lucullum , & L. Murenam , & ceteros conjunctiſſimos ad L. Lucullum miſimus : illudque εὐλογώτατον , illum fratri in primis ejus legatis fuiſſe. Operam tuam multam ! qui & hæc cures , & mea expedias , & ſis in tuis multò minùs diligens , quàm in meis.

CICERO ATTICO SAL.

15. SEXTIUS apud me fuit , & Theopompus pridie : veniſſe a Cæſare narrabat litteras ; hoc ſcribere , ſibi certum eſſe Romæ manere ; cauſamque eam adſcribere , quæ erat in epiſtola noſtra , ne ſe abſente leges ſuæ negligerentur , ſicut eſſet neglecta ſumptuaria. Eſt εὔλογον : idque eram ſuſpicatus : ſed iſtis mos gerendus eſt ; niſi placet hanc ipſam ſententiam nos perſequi. Et Lentulum cum Metella certè feciſſe divortium. Hæc omnia meliùs. Reſcribes igitur quidquid ve-

les, dum modò quid: jam enim non reperio, quid te reſcripturum putem, niſi fortè de Muſtella, aut ſi Silium videris. Brutus heri venit in Tuſculanum poſt horam decimam: hodie igitur me videbit: ac vellem tum tu adeſſes. Miſi equidem ei nuntiari, te, quoad potuiſſes, exſpectaſſe ejus adventum, venturumque, ſi audiſſes, meque, ut facio, continuò te certiorem eſſe facturum.

CICERO ATTICO SAL.

16. PLANE nihil erat, quod ad te ſcriberem: modò enim diſceſſeras, & paulò pòſt triplices remiſeras. Velim cures faſciculum ad Veſtorium deferendum: & alicui des negotium, qui quærat, Q. Faberii fundus num quis in Pompeiano, Nolanove venalis ſit. Epitomen Bruti Cœlianorum velim mihi mittas, & a Philoxeno Παναιτίου περὶ προνοίας. Te Idib. videbo cum tuis.

CICERO ATTICO SAL.

17. COMMODUM diſceſſeras heri, quum Trebatius venit, paulò pòſt Curtius; hic ſalutandi cauſâ: ſed manſit invitatus. Trebatium nobiſcum habemus: hodie manè Dolabella: multus ſermo ad multum diem: nihil poſſum dicere ἐκτενέστερον, nihil φιλοστοργότερον. Ventum eſt tamen ad Quin-

tum : multa ἄφατα , ἀδιήγητα : ſed unum ejuſmodi , quod niſi exercitus ſciret , non modo Tironi dictare , ſed ne ipſe quidem auderem ſcribere. Sed hactenus. Εὐκαίρως ad me venit , quum haberem Dolabellam , Torquatus ; humaniſſiméque Dolabella , quibus verbis ſecum egiſſem , expoſuit : commodùm enim egeram diligentiſſimè ; quæ diligentia grata eſt viſa Torquato. A te exſpecto , ſi quid de Bruto : quamquam Nicias confectum putabat ; ſed divortium non probari : quò etiam magis laboro idem , quod tu : ſi quid eſt enim offenſionis , hæc res mederi poteſt. Mihi Arpinum eundum eſt : nam & opus eſt conſtitui a nobis illa prædiola ; & vereor ne exeundi poteſtas non ſit , quum Cæſar venerit ; de cujus adventu eam opinionem Dolabella habet , quam tu conjecturam faciebas ex litteris Meſſallæ. Quum illuc venero , intellexeroque quid negotii ſit ; tum , ad quos dies rediturus ſim , ſcribam ad te.

CICERO ATTICO SAL.

18. MINIME miror te & graviter ferre de Marcello , & plura vereri periculi genera : quis enim hoc timeret , quod neque acciderat antea , nec videbatur natura ferre , ut accidere poſſet ? Omnia igitur metuenda : ſed illud παρὰ τὴν ἱστορίαν , tu

præſertim; me reliquum conſularem. Quid? tibi Servius quid videtur? quamquam hoc nullam ad partem valet ſcilicet, mihi præſertim, qui non minùs bene actum cum illis putem: quid enim ſumus? aut quid eſſe poſſumus? domine, an foris? quid nisi mihi hoc veniſſet in mentem, ſcribere iſta neſcio quæ; quò verterem me, non haberem. Ad Dolabellam, ut ſcribis, ita puto faciendum, κοινότερα quædam, & πολιτικώτερα: faciendum certè aliquid eſt; valde enim desiderat. Brutus si quid egerit, curabis ut ſciam; cui quidem quamprimum agendum puto, præſertim si ſtatuit: ſermunculum enim omnem aut reſtinxerit, aut ſedarit: ſunt enim qui loquantur etiam mecum. Sed hæc ipſe optimè, præſertim si etiam tecum loquetur. Mihi eſt in animo proficiſci XI. Kalendas: hîc enim nihil habeo quod agam, ne hercule illic quidem, nec uſquam; ſed tamen aliquid illic. Hodie Spintherem exſpecto: misit enim Brutus ad me: per litteras purgat Cæſarem de interitu Marcelli; in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus eſſet, caderet ulla ſuſpicio: nunc verò, quum de Magio conſtet, nonne furor ejus cauſam omnem ſuſtinet? planè quid sit non intelligo; explanabis igitur: quamquam nihil habeo quod dubitem, nisi, ipsi Magio quæ fuerit cauſa

tiæ; pro quo quidem etiam ſponſor factus eſt. Nimirum id fuit; ſolvendo non erat: credo eum petiiſſe a Mar- aliquid, & illum, ut erat, conſtan- eſpondiſſe. Οὐ ταυτὸν εἶδος.

CICERO ATTICO SAL.

REDEBAM eſſe facile: totum eſt , poſteaquam ſum a te dijunctior: uit faciendum, ut & conſtituerem edulas prædiorum, & ne magnum obſervantiæ Bruto noſtro impone- Poſthac enim poterimus commodiùs e inter nos in Tuſculano: hoc au- tempore, quum ille me quotidie vi- vellet, ego ad illum ire non poſ- privabatur omni delectatione Tuſ- i. Tu igitur, si Servilia venerit, si s quid egerit, etiam si conſtituerit, lo obviam; quidquid denique erit ſcire me oporteat, ſcribes. Piſo- , si poteris, convenies: vides quàm rum sit: ſed tamen, quod commodo iat.

CICERO ATTICO SAL.

VALDE me momorderunt epiſtolæ de Attica noſtra: eædem tamen ſa- unt: quòd enim te ipſe conſolabare n litteris, id mihi erat ſatis firmum niendam ægritudinem. Ligariana præ-

clarè vendidiſti: poſthac quidquid ſcripſero, tibi præconium deferam. Quod ad me de Varrone ſcribis, ſcis me antè orationes, aut aliquid id genus ſolitum ſcribere, ut Varronem nuſquam poſſem intexere: poſtea autem quàm hæc cœpi φιλολογώτερα, jam Varro mihi denuntiaverat magnam ſanè, & gravem προσφώνησιν. Biennium præteriit, quum ille Καλλιπίδης assiduo curſu cubitum nullum proceſſerit. Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misiſſet, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, si modò potuiſſem: nam hoc etiam Hesiodus adſcribit, αἴ κε δύνηαι. Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν, ſanè mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, deſpondimus; idque tu eum non nolle mihi ſcripsiſti. Ergo illam Ἀκαδημικὴν, in qua homines, nobiles illi quidem, ſed nullo modo philologi, nimis acutè loquuntur, ad Varronem transferamus: etenim ſunt Ἀντιόχεια, quæ iſte valde probat: Catulo & Lucullo alibi reponemus; ita tamen, si tu hoc probas; deque eo mihi reſcribas velim. De Brinniana auctione accepi a Veſtorio litteras: ait, sine ulla controverſia rem ad me eſſe collatam (Romæ videlicet, aut in Tuſculano me fore putaverunt) a. d. VIII Kal. Quintiles. Dices igitur vel amico tuo, Sp. Vectio coheredi meo, vel Labeoni noſtro, pau-

rant auctionem; me circiter No-
aſculano fore. Cum Piſone Ero-
s. De Scapulanis hortis toto pec-
temus: dies adeſt.

CICERO ATTICO SAL.

IMOTUS tuis litteris, quòd ad
'arrone ſcripſeras, totam Aca-
b hominibus nobilissimis abſtuli,
ad noſtrum ſodalem, & ex duo-
contuli in quatuor: grandiores
ino, quàm erant illi; ſed tamen
racta. Tu autem mihi pervelim
qui intellexeris illum velle: illud
ue ſcire cupio, quem intelle-
eo ζηλοτυπεῖσθαι, nisi fortè Bru-
herde reſtabat: ſed tamen ſcire
. Libri quidem ita exierunt (nisi
communis φιλαυτία decipit) ut
enere ne apud Græcos quidem
idquam. Tu illam jacturam feres
imo, quòd illa, quæ habes de
cis, fruſtra deſcripta ſunt: multò
ec erunt ſplendidiora, breviora,
Nunc autem ἀπορῶ, quò me ver-
lo Dolabellæ valde deſideranti:
rio quid; & simul αἰδέομαι Τρῶας;
i aliquid, quî potero μέμψιν effu-
unt. ceſſandum igitur, aut aliquid
ndum. Sed quid hæc levia cura-
tica mea, obſecro te, quid agit?

quæ me valde angit : ſed crebrò reguſto tuas litteras : in his acquieſco : tamen exſpecto novas.

CICERO ATTICO SAL.

22. BRINNII libertus, coheres noſter, ſcripsit ad me, velle, si mihi placeret, coheredes, ſe & Sabinum Albium ad me venire : id ego planè nolo : hereditas tanti non eſt : & tamen obire auctionis diem facilè poterunt (eſt enim III Id.) si me in Tuſculano poſtridie Nonas manè convenerint : quòd si laxiùs volent proferre diem, poterunt vel biduum, vel triduum, vel ut videbitur ; nihil enim intereſt : quare, nisi jam profecti ſunt, retinebis homines. De Bruto, si quid erit : de Cæſare, si quid ſcies ; si quid erit præterea, ſcribes. Illud etiam atque etiam conſideres velim, placeatne tibi mitti ad Varronem quod ſcripsimus : etsi etiam ad te aliquid pertinet : nam ſcito, te ei dialogo adjunctum eſſe tertium. Opinor igitur consideremus ; etsi nomina jam facta ſunt : ſed vel induci, vel mutari poſſunt.

CICERO ATTICO SAL.

23. QUID agit, obſecro te, Attica noſtra ? nam triduo abs te nullas acceperam : nec mirum ; nemo enim venerat ; nec fortaſſe cauſa fuerat : itaque ipſe quid ſcribe-

m, non habebam. Quo autem die has lerio dabam, exſpectabam aliquem meo-m; qui ſi veniſſet, & a te quid attuliſſet, videbam non defuturum quod ſcriberem.

CICERO ATTICO SAL.

Nos, quum flumina, & ſolitudines ſequeremur, quo faciliùs ſuſtentare nos poſſemus, pedem e villa adhuc egreſſi non ſumus; ita magnos, & aſſiduos imbres habebamus. Illam Academicen σύνταξιν totam ad Varronem traduximus: primò fuit Catuli, Luculli, Hortensii: deinde quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quòd erat hominibus nota, non illa quidem ἀπαιδευσία, ſed in iis rebus ἄτριψια, ſimul ut veni ad villam, eoſdem illos ſermones ad Catonem, Brutumque tranſtuli. Ecce tuæ literæ de Varrone: nemini viſa eſt aptior Antiochia ratio. Sed tamen velim ſcribas ad me, primùm placeatne tibi aliquid ad illum; deinde, ſi placebit, hoc potiſſimum. Quid Servilia, jamne venit? Brutus ecquid agit, ecquando? de Cæſare quid auditur? Ego ad Nonas, quemadmodum dixi. Tu cum Piſone, ſi quid poteris.

CICERO ATTICO SAL.

25. QUINTO Kalend. exſpectabam Româ aliquid; non quò imperaſſem: igitur aliquid tuis. Nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit, ecquid a Cæſare. Sed quid iſta, quæ minùs curo? Attica noſtra quid agat, ſcire cupio: etsi tuæ litteræ (ſed jam nimis veteres ſunt) rectè ſperare jubent; tamen exſpecto recens aliquid.

CICERO ATTICO SAL.

26. VIDES propinquitas quid habeat. Nos verò conficiamus hortos: colloqui videbamur, in Tuſculano quum eſſem; tanta erat crebritas litterarum: ſed id quidem jam erit. Ego interea admonitu tuo perfeci ſanè argutulos libros ad Varronem: ſed tamen exſpecto, quid ad ea, quæ ſcripsi ad te; primùm, quî intellexeris eum desiderare a me, quum ipſe homo πολυγραφώτατος numquam me lacessiſſet: deinde, quem ζηλοτυπεῖν, nisi fortè Brutum: quem si non ζηλοτυπεῖ, multò Hortensium minùs, aut eos qui de republica loquuntur. Planè hoc mihi explices velim; in primis, maneaſne in ſententia, ut mittam ad eum, quæ ſcripsi; an nihil neceſſe putes. Sed hæc coràm.

CICERO

.. fuit, quòd Attica noſtra ro-
ę triſtis ſis, quódque tu ἀκίνδυνα
is. Ligarianam, ut video, præ-
toritas tua commendavit: ſcripsit
me Balbus, & Oppius, mirificè
re; ob eamque cauſam ad Cæ-
m ſe oratiunculam misiſſe: hoc
m. tu mihi antea ſcripſeras. In
iſta cauſa me non moveret, ne
μωνόδοξον: sic enim conſtitue-
minem includere in dialogos eo-
i viverent: ſed, quia ſcribis &
i a Varrone, & magni illum æſti-
os confeci; & abſolvi, neſcio
ne, ſed ita accuratè, ut nihil poſ-
, Academicam omnem quæſtio-
s quatuor. In eis, quæ erant con-
λῆψιν præclarè collecta ab An-
Varroni dedi: ad ea ipſe reſpon-
es tertius in ſermone noſtro. Si
, & Varronem feciſſem inter ſe

libris fecimus. Sunt etiam de Oratore noſtri tres, mihi vehementer probati: in eis quoque eæ perſonæ ſunt, ut mihi tacendum fuerit: Craſſus enim loquitur, Antonius, Catulus ſenex, C. Julius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius: puero me hic ſermo inducitur, ut nullæ eſſe poſſent partes meæ. Quæ autem his temporibus ſcripsi Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo ſermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipſum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Piſoni darem. Ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quòd omnes illi deceſſerant. Hæc Academica, ut ſcis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram: ſanè in perſonas non cadebant: erant enim λογικώτερα, quàm ut illi de iis ſomniaſſe umquam viderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tamquam ἕρμαιον arripui: aptius eſſe nihil potuit ad id philoſophiæ genus, quo ille maximè mihi delectari videtur, eaſque partes, ut non sim conſecutus, ut ſuperior mea cauſa videatur: ſunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia; quæ diligenter a me expreſſa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis noſtrum; si modò is eſt aliquis in nobis. Sed tu, dandoſne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam videbis. Mihi quædam occurrunt: ſed ea coràm.

CICERO ATTICO SAL.

8. A CÆSARE litteras accepi conſolatorias, datas prid. Kal. Maii Hiſpali. De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi : id ſanè ſcire velim. Torquato noſtra officia grata eſſe facilè patior; eaque augere non desinam. Ad Ligarianam de uxore Tuberonis, & privigna, neque poſſum jam addere; eſt enim res pervulgata; neque Tuberonem volo defendere: mirificè eſt enim φιλαίτιος: theatrum quidem ſanè bellum habuiſti. Ego, etsi hoc loco facillimè ſuſtentor, tamen te videre cupio: itaque, ut conſtitui, adero. Fratrem credo a te eſſe conventum; ſcire igitur ſtudeo quid egeris. De fama nihil ſanè laboro; etsi ſcripſeram ad te tunc ſtultè, *nihil meliùs*: curandum enim non eſt: atque hoc, *In omni vita ſua quemque a recta conſcientia tranſverſum unguem non oportet diſcedere.* Viden' quàm φιλοτέχνως? an tu nos fruſtra exiſtimas hæc in manibus habere? Δεδῆχθαι te nollem, quod nihil erat: redeo enim rurſus eòdem. Quidquam me putas curare in toto, nisi ut ei ne desim? id ago ſcilicet ut judicia videar tenere. Μὴ γὰρ αὐτοῖς. Vellem tam domeſtica ferre poſſem, quàm iſta contemnere. Putas autem me voluiſſe aliquid, quod perfectum non sit? Non licet ſcili-

cet ſententiam ſuam: ſed tamen quæ tum acta ſunt, non poſſum non probare; & tamen non curare pulchrè poſſum, sicuti facio. Sed nimiùm multa de nugis.

CICERO ATTICO SAL.

29. AD Hirtium dederam epiſtolam ſanè grandem, quam ſcripſeram proximè in Tuſculano. Huic, quam tum mihi miſiſti, reſcribam aliàs; nunc aliis malo. Quid poſſum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella? quod simul ac, continuò ſcietis: exſpectabam hodie, aut ſummùm cras ab eo tabellarios; qui simul ac venerint, mittentur ad te. A Quinto exſpecto: proficiſcens enim e Tuſculano VIII Kal. ut ſcis, misi ad eum tabellarios. Nunc, ad rem ut redeam, *inhibere* illud tuum, quod valde mihi arriſerat, vehementer diſplicet: eſt enim verbum totum nauticum: quamquam id quidem ſciebam; ſed arbitrabar ſuſtineri remos, quum inhibere eſſent remiges jussi: id non eſſe ejuſmodi didici heri, quum ad villam noſtram navis appelleretur: non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant: id ab ἐποχῇ remotissimum eſt: quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si fortè mutavit: nec eſt melius quidquam, quàm, ut Lucullus:

Suſtineat currum, ut bonu' ſæpe agitator, equoſque;
ſemperque Carneades προβολὴν pugilis, & retentionem aurigæ, similem facit ἐποχῇ. Inhibitio autem remigum, motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis navem convertentis ad puppim. Vides quantò hoc diligentiùs curem, quàm aut de rumore, aut de Pollione: de Panſa etiam, si quid certius; credo enim palam factum eſſe; de Critonio, si quid eſſet: certéne de Metello & Balbino? Dic mihi, placetne tibi primùm edere injuſſu meo? hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros ſolitus eſt divulgare; ex quo λόγοισιν Ἑρμόδωρος. Quid illud? rectumne exiſtimas cuiquam antè, quàm Bruto? cui, te auctore, προσφωνῶ. Scripsit enim Balbus ad me, ſe a te quintum de finibus librum deſcripsiſſe; in quo non ſanè multa mutavi: ſed tamen quædam. Tu autem commodè feceris, si reliquos ontinueris, ne & ἀδιόρθωτα habeat Balus, & ἕωλα Brutus. Sed hæc hactenus, videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν: etsi nunc idem maxima mihi ſunt hæc: quid eſt im aliud? Varroni quidem quæ ſcripsi auctore, ita propero mittere, ut jam mam miſerim deſcribenda: ea si vo- ſtatim habebis: ſcripsi enim ad libra-, ut fieret tuis, si tu velles, deſcri-

bendi poteſtas. Ea verò continebis, quoad ipſe te videam; quod diligentissimè facere ſoles, quum a me tibi dictum eſt: quum autem fugit me tibi dicere; mirificè Cærellia, ſtudio videlicet philoſophiæ flagrans, deſcribit a tuis: iſtos ipſos *de finibus* habet: ego autem tibi confirmo (poſſum falli, ut humanus) a meis eam non habere: numquam enim ab oculis meis abſuerunt: tantum porrò aberat ut binos ſcriberent; vix ſingulos confecerunt. Tuorum tamen ego nullum delictum arbitror; idemque te volo exiſtimare: a me enim prætermiſſum eſt, ut dicerem, me eos exire nondum velle. Hui quàm diu de nugis? de re enim nihil habeo, quod loquar. De Dolabella tibi aſſentior. Cohæredes, ut ſcribis, in Tuſculano. De Cæſaris adventu ſcripsit ad me Balbus, non ante Kal. Sext. De Attica optimè, quòd leviùs, ac leniùs, & quòd fert εὐκόλως. Quod autem de illa noſtra cogitatione ſcribis, in qua nihil tibi cedo; ea, quæ novi, valde probo, hominem, domum, facultates: quod caput eſt, ipſum non novi; ſed audio laudabilia de Scrofa: etiam proximè accedit, si quid hoc ad rem: εὐγενέστερος eſt etiam, quàm pater. Coràm igitur, & quidem propenſo animo ad probandum; accedit enim, quòd patrem, ut ſcire te puto, plus etiam, quàm non mo-

quàm ipſe ſcit, amo, idque
& jam diu.

CICERO ATTICO SAL.

Varrone non sine cauſa quid tibi
tam diligenter exquiro: occur-
quædam; ſed ea coràm. Te au-
intexui, faciamque id cre-
enim tuis litteris primùm
non nolle cognovi. De Marcello,
ad me Cassius antea: τὰ κατὰ
Servius. O rem acerbam! ad pri-
Scripta noſtra nuſquam malò
apud te; ſed ea tum foras
utrique noſtrûm videbitur. Ego
tuos culpâ libero, neque te
tamen aliud quiddam ad te
Cærelliam quædam habere,
a te non potuerit. Balbo qui-
intelligebam ſat faciendum fuiſſe:
nolebam, aut obſoletum Bruto,
inchoatum dari. Varroni, simul
videro; si tibi videbitur, mittam:
dubitarim, quum videro te,
Attributos quòd appellas, valde pro-
de prædio aviæ exerceri moleſtè
De Bruto noſtro perodioſum; ſed
mulieres autem vix ſatis hu-
quæ inimico animo ferant, quum
officio pareat. Tullium ſcribam
quòd appellares; nam tibi man-

daſſem, si fuiſſet: nihil enim eſt apud eum positum nomine voti; ſed eſt quiddam apud illum meum: id ego in hanc rem ſtatui conferre. Itaque & ego rectè tibi dixi ubi eſſet; & tibi ille rectè negavit: ſed hoc quoque ipſum continuò adoriamur. Lucum hominibus non ſanè probo, quòd eſt deſertior; ſed habet εὐλογίαν. Verùm hoc quoque, ut cenſueris; quippe qui omnia. Ego, ut conſtitui, adero; atque utinam tu quoque eodem die: sin quid (multa enim) utique poſtridie: etenim coheredes; a quîs sine te opprimi malitia eſt. Alteris jam litteris nihil ad me de Attica; ſed id quidem in optima ſpe pono: illud accuſo, non te, ſed illam, ne ſalutem quidem. At tu & illi, & Piliæ plurimam; nec me tamen iraſci indicaris. Epiſtolam Cæſaris misi, si minùs legiſſes.

CICERO ATTICO SAL.

31. ANTEMERIDIANIS tuis litteris heri ſtatim reſcripsi; nunc reſpondeo veſpertinis. Brutus mallem me arceſſeret; nam & æquius erat; quum illi iter inſtaret & ſubitum, & longum: & mehercule nunc, quum ita simus affecti, ut non poſſimus planè simul vivere (intelligis enim profectò, in quo maximè posita sit συμβίωσις) facilè patiebar nos potiùs Romæ unà eſſe, quàm in Tuſculano. Libri ad Varronem

non morabantur : ſunt enim deficti , ut vidiſti ; tantùm librariorum menda tolluntur : de quibus libris ſcis me dubitaſſe ; ſed tu videris. Item , quos Bruto mittimus , in manibus habent librarii. Mea mandata , ut ſcribis , explica ; quamquam iſtâ retentione omnes ait uti Trebatius : quid tu iſtos putas ? noſti domum : quare confice εὐάφεγως. Incredibile eſt , quàm ego iſta non curem : omni tibi aſſeveratione affirmo , quod mihi credas velim , mihi majori offenſioni eſſe , quàm delectationi , poſſeſſiunculas meas : magis enim doleo , me non habere cui tradam , quàm habere qui utar. Atque illud Trebatius ſe tibi dixiſſe narrabat ; tu autem veritus es forsaſſe , ne ego invitus audirem : fuit id quidem humanitatis ; ſed , mihi crede , jam iſta non curo. Quare da te in ſermonem , & perſeca , & confice , excita , compella , loquere , ut te cum illo Scæva loqui putes : ne exiſtimes eos , qui non debita conſectari ſoleant , quod debeatur , remiſſuros. De die tantùm videto , & id ipſum bono modo.

CICERO ATTICO SAL.

QUID eſt , quod Hermogenes mihi Clodius , Andromenem ſibi dixiſſe , ſe Ciceronem vidiſſe Corcyræ ? ego enim audita tibi putaram. Nil igitur ne ei qui-

dem litterarum ? an non vidit ? facies ergo ut ſciam. Quid tibi ego de Varrone reſcribam ? quatuor διφθερίαι ſunt in tua poteſtate : quod egeris, id probabo. Nec tamen αἰδέομαι Τρῶας : quid enim ? ſed ipsi quàm res illa probaretur, magis verebar. Sed quoniam tu ſuſcipis, in alteram aurem.

Cicero Attico Sal.

33. De retentione reſcripsi ad tuas accuratè ſcriptas litteras : conficies igitur, & quidem sine ulla dubitatione, aut retrectatione : hoc fieri & oportet, & opus eſt. De Andromene ut ſcribis, ita putaram : ſciſſes enim ; mihique dixiſſes. Tu tamen ita mihi de Bruto ſcribis, ut de te nihil : quando autem illum putas ? nam ego Romam pridie Idus. Bruto ita volui ſcribere (ſed quoniam tu te legiſſe ſcribis, fui fortaſſe ἀναφίστερος) me ex tuis litteris intellexiſſe, nolle eum, me quasi proſequendi ſui causâ Romam nunc venire. Sed quoniam jam adeſt meus adventus, fac quæſo, ne quid eum Idus impediant, quò minùs ſuo commodo in Tuſculano sit : nec enim ad tabulam eum desideraturus eram ; in tali enim negotio cur tu unus non ſatis es ? ſed ad teſtamentum volebam ; quod jam malo alio die ; ne ob eam cauſam Romam veniſſe videar. Scripsi igitur ad Brutum, jam illud, quod putaſſem, Idib.

nihil opus eſſe: velim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minimâ quidem re ullâ Bruti commodum impediamus. Sed quid eſt tandem, quod perhorreſcas, quia tuo periculo jubeam libros dari Varroni? etiam nunc si dubitas, fac ut ſciamus: nihil eſt enim illis elegantius. Volo Varronem, præſertim quum ille deſideret: ſed eſt, ut ſcis,

Δεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.

Ita mihi ſæpe occurrit vultus ejus, querentis fortaſſe vel hoc, meas partes in iis libris copiosiùs defenſas eſſe, quàm ſuas; quod mehercule non eſſe intelliges, si quando in Epirum veneris: nam nunc Alexionis epiſtolis cedimus. Sed tamen ego non deſpero probatum iri Varroni; & id, quoniam impenſam fecimus in macrocolla, facilè patior teneri. Sed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet: quare, si addubitas, ad Brutum tranſeamus: eſt enim is quoque Antiochius. O Academiam volaticam, & ſui similem, modò huc, modò illuc. Sed, quæſo, epiſtola mea ad Varronem valdene tibi placuit? malè mî sit, si umquam quidquam tam enitar ἔργον. At ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς perſequi ſolet, ſed Spintharo ſyllabatim.

CICERO ATTICO SAL.

34. O REM indignam! gentilis tuus urbem auget, quam hoc biennio primùm vidit; & ei parum magna viſa eſt, quæ etiam ipſum capere potuerit: hac de re igitur exſpecto litteras tuas. Varroni, ſcribis, te simul ac venerit: dati igitur jam ſunt; nec tibi integrum eſt: hui, si ſcias quanto periculo tuo: aut fortaſſe litteræ meæ te retardarunt: ſed eas nondum legeras, quum has proximas ſcripsiſti. Scire igitur aveo, quo modo res ſe habeat.

CICERO ATTICO SAL.

35. ASTURAM veni VIII Kal. vitandi enim caloris causâ, Lanuvii III horas acquieveram. Tu velim, si grave non erit, efficias, ne ante Nonas mihi illuc veniendum sit: id potes per Egnatium Maximum. Illud in primis, ut cum Publilio, me pene abſente, conficias; de quo quæ fama sit ſcribes: *id populus curat ſcilicet*: non mehercule arbitror; etenim hæc decantata erat fabula: ſed complere paginam volui. Quid plura? ipſe enim adſum, nisi quid tu prorogas. Scripsi enim ad te de hortis.

CICERO ATTICO SAL.

36. De Bruti amore, veſtraque ambulatione, etsi mihi nihil novi afferſ, ſed idem, quod ſæpe; tamen hòc audio libentiùs, quò ſæpius: eóque mihi jucundius eſt, quòd tu eo lætaris; certiuſque eò eſt, quòd a te dicitur.

CICERO ATTICO SAL.

37. Has alteras hodie litteras. De Xenonis nomine, & de Epiroticis XL, nihil poteſt fieri nec commodius, nec aptius, quàm ut ſcribis. Id erat locutus mecum eodem modo Balbus minor: novi nihil ſanè, nisi Hirtium cum Quinto acerrimè pro me litigaſſe: omnibus eum locis facere, maximéque in conviviis: quum multa de me, tum redire ad patrem: nihil autem ab eo tam ἀξιοπίστως dici, quàm alienissimos nos eſſe a Cæſare: fidem nobis habendam non eſſe: me verò etiam cavendum (φοβερὸν ἦν, nisi viderem ſcire regem, me animi nihil habere) Ciceronem verò meum vexari. Sed id quidem arbitratu ſuo. Laudationem Porciæ gaudeo me antè dediſſe Leptæ tabellario, quàm tuas acceperim litteras: eam tu igitur, si me amas, curabis, si modò mittetur, iſto modo mittendam Domitio & Bruto. De gladiatoribus, de ceteris quæ

ſcribis ἀνημοφόρητα, facies me quotidie certiorem. Velim, si tibi videtur, appelles Balbum, & Offilium de auctione proſcribenda: equidem locutus ſum cum Balbo: placebat. Puto conſcripta habere Offilium omnia; habet & Balbus: ſed Balbo placebat, propinquum diem, & Romæ: si Cæſar moraretur, poſſe diem differri: ſed is quidem adeſſe videtur. Totum igitur considera: placet enim Veſtorio.

CICERO ATTICO SAL.

38. ANTE lucem quum ſcriberem contra Epicureos, de eodem oleo & operâ exaravi neſcio quid ad te, & ante lucem dedi: deinde quum, ſomno repetito, simul cum ſole experrectus eſſem, datur mî epiſtola a ſororis tuæ filio, quam ipſam tibi misi; cujus eſt principium non sine maxima contumelia: ſed fortaſſe ἐν ἐπίστασιν. Eſt autem sic: *Ego enim non probo quidquid non bellè in te dici poteſt.* Poſſe vult in me multa dici non bellè, ſed ea ſe negat approbare: hòc quidquam pote impurius? Jam cetera leges; misi enim ad te; judicabiſque, Bruti noſtri quotidianis assiduiſque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiaverunt, commotum iſtum aliquando, ſcripsiſſe aliquid ad me: credo & ad te; idque ut ſciam, facies: nam, ad patrem

de me quid ſcripſerit, neſcio: de matre quàm piè? *Volueram*, inquit, *ut quàm plurimùm tecum eſſem, conduci mihi domum; & id ad te ſcripſeram: neglexiſti. Ita minùs multùm unà erimus: nam ego iſtam domum videre non poſſum: qua de cauſa, ſcis.* Hanc autem cauſam pater odium matris eſſe dicebat. Nunc me juva, mi Attice, conſilio, πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον, id eſt, utrùm apertè hominem aſperner, & reſpuam, ἢ σκολιαῖς ἀπάταις. Ut enim Pindaro, sic δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν. Omnino moribus meis illud aptius, ſed hoc fortaſſe temporibus: tu autem, quod ipſe tibi ſuàſeris, idem mihi perſuaſum putato. Equidem vereor maximè, ne in Tuſculano opprimar: in turba hæc eſſent faciliora. Utrùm igitur Aſturæ? Quid, si Cæſar ſubitò? Juva me, quæſo; conſilio: utar eo, quod tu decreveris.

CICERO ATTICO SAL.

39. O CREDIBILEM vanitatem! ad patrem, domo sibi carendum propter matrem! plena pietatis! Hic autem jam langueſcit, & ait sibi illum jure iratum. Sed utar tuo conſilio: σκολιὰ enim tibi video placere. Romam, ut cenſes, veniam, ſed invitus; valde enim in ſcribendo hæreo. Brutum, inquis, eâdem ſcilicet: ſed niſi hoc eſſet, res me iſta non cogeret: nec

enim inde venit, unde mallem; neque diu abſuit; neque ullam litteram ad me: ſed tamen ſcire aveo, qualis ei totius itineris ſumma fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea ſcripsi, velim mittas, & maximè Φαίδρυ περιττῦ, & Ἑλλάδος.

CICERO ATTICO SAL.

40. ITANE nuntiat Brutus, illum ad bonos viros ἐυαγγέλια? ſed ubi eos? niſi fortè ſe ſuſpendit. Hîc autem ut fultum eſt? ubi igitur φιλοτέχνημα illud tuum, quod vidi in Parthenone, Ahalam, & Brutum? ſed quid faciat? illud optimè, *ſed ne is quidem qui omnium flagitiorum auctor, bene de noſtro.* At ego verebar, ne etiam Brutus eum diligeret: ita enim ſignificarat iis litteris, quas ad me. At vellem aliquid deguſtaſſe de fabulis: ſed coràm, ut ſcribis. Etsi, quid mî auctor es? Advolone, an maneo? Equidem & in libris hæreo, & illum hîc excipere nolo; ad quem, ut audio, pater hodie ad Saxa Acronoma: mirum quàm inimicus ibat; ut ego objurgarem. Sed ego ipſe κεκορύφωμαι. Itaque poſthac. Tu tamen vide, quid de adventu meo cenſeas; & τὰ ὅλα, cras si perſpici potuerint, manè ſtatim ut ſciam.

as ad matrem litteras , ad te nul-
alterum mirabatur ; de te autem
pam , quòd ſæpe graviter ad filium
t de ſua in illum injuria. Quòd
elanguiſſe ſe dicit ; ego ei , tuis
ſtis σκολιαῖς ἀπάταις , ſignificavi me
. Tum enim mentio Canæ. Om-
id conſilium placeret , eſſet ne-
d , ut ſcribis , ratio eſt habenda
; & utriuſque noſtrûm idem con-
e debet : etsi in me graviores in-
& certè notiores. Si verò etiam
iquid afferet , nulla dubitatio eſt.
m): magna enim res , & multæ
. Cras igitur ; niſi quid a te com-

ICERO ATTICO SAL.

IIT ille ad me , καὶ μάλα κατη-
go ; σὺ δὲ δὴ τί σύννους ; Rogas ? in-
oi iter inſtet , & iter ad bellum ,
um periculoſum , tum etiam tur-

quentia : nam tacui. At ille : ſed me maximè angit avunculus. Quidnam ? inquam. Quòd mihi, inquit, iratus eſt. Cùr patèris ? inquam : malo enim ita dicere, quàm cur committis. Non patiar, inquit; cauſam enim tollam. Et ego, rectiſsimè quidem. Sed si grave non eſt, velim ſcire quid sit cauſæ. Quia, dùm dubitabam quam ducerem, non ſatisfaciebam matri, ita ne illi quidem : nunc nihil mihi tanti eſt; faciam quod volunt. Feliciter velim, inquam, teque laudo. Sed quando ? Nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probo. At ego, inquam, cenſeo, priuſquam proficiſcaris : ita patri quoque morem geſſeris. Faciam, inquit, ut cenſes. Hic dialogus sic concluſus eſt. Sed heus tu, diem meum ſcis eſſe III Non. Jan. Aderis igitur. Scripſeram jam : ecce tibi, orat Lepidus ut veniam. Opinor Augures nil habere ad templum effandum. Eatur μίας κέρδυ. Videbimus te igitur.

CICERO ATTICO SAL.

43. EGO verò utar prorogatione diei : tuque humanissimè feciſti, qui me certiorem feceris, atque ita, ut eo tempore acciperem litteras, quo non exſpectarem; tuque ut ab ludis ſcriberes. Sunt omnino mihi quædam agenda Romæ : ſed conſequemur biduo pòſt.

CICERO ATTICO SAL.

4. SUAVES tuas litteras! etsi acerba pompa. Verumtamen ſcire omnia non acerbum eſt, vel de Cotta: populum verò præclarum, quòd propter malum vicinum, ne Victoriæ quidem plauditur. Brutus apud me fuit; cui quidem valde placebat, me aliquid ad Cæſarem. Annueram; ſed pompam videret. Tu tamen auſus es Varroni dare? Exſpecto quid judicet: quando autem perleget? De Attica probo. Eſt quiddam etiam animum levari cum ſpectatione, tum etiam religionis opinione, & famâ. Cottam mihi velim mittas: Libonem mecum habeo, & habueram antè Caſcam. Brutus mihi T. Livii verbis nuntiavit, quòd appelletur L. Curſidius in oratione Ligariana, erratum eſſe meum; ſed, ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Curſidium perneceſſarium Ligariorum; ſed eum video antè eſſe mortuum: da igitur, quæſo, negotium Pharnaci, Antæo, Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.

CICERO ATTICO SAL.

5. FUIT apud me Lamia poſt diſceſſum tuum; epiſtolamque ad me attulit miſſam ibi a Cæſare; quæ quamquam antè data erat, quàm illæ Diocharinæ, tamen planè

declarabat illum ante ludos Romanos eſſe venturum : in qua extrema ſcriptum erat, ut ad ludos omnia pararet, neve committeret, ut fruſtra ipſe properaſſet. Prorſus ex his litteris non videbatur eſſe dubium, quin ante eam diem venturus eſſet; idemque Balbo, quum eam epiſtolam legiſſet, videri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos video; ſed quàm multos fac, si me amas, ſciam: de Bæbio poteris, & de altero vicino Egnatio. Quòd me hortaris, ut eos dies conſumam in philoſophia explicanda; currentem tu quidem : ſed cum Dolabella vivendum eſſe iſtis diebus vides : quòd nisi me Torquati cauſa teneret, ſatis erat dierum, ut Puteolos excurrere poſſem, & ad tempus redire. Lamia quidem a Balbo (ut videbatur) audiverat, multos nummos domi eſſe numeratos, quos oporteret quamprimum dividi : magnum pondus argenti, præter prædia: auctionem primo quoque tempore fieri oportere. Scribas ad me velim quid tibi placeat: equidem, si ex omnibus eſſet eligendum, nec diligentiorem, nec officiosiorem, nec noſtri ſtudiosiorem facilè delegiſſem Veſtorio; ad quem accuratissimas litteras dedi, quod idem te feciſſe arbitror. Mihi quidem hoc ſatis videtur : tu quid dicis ? unum enim pungit, ne negligentiores eſſe videamur. Exſpectabo igitur tuas litteras.

CICERO ATTICO SAL.

5. POLLEX quidem, ut dixerat, ad Idus ext. ita mihi Lanuvii pridie Idus præſtò iit; ſed planè pollex, non index: co-aoſces igitur ex ipſo. Balbum conveni: epta enim de ſua vi in curatione labo-ans, me ad eum perduxerat. In eo au-m Lanuvino, quod Lepido tradidit, ex hoc primum: *Paulò antè acceperam is litteras, in quibus magnopere confir-at, ante ludos Romanos.* Legi epiſtolam: ulta de meo Catone, quo ſæpissime le-endo ſe dicit copiosiorem factum: Bruti atone lecto, ſe ſibi viſum diſertum. Ex o cognovi cretionem Cluvii (ô Veſto-um negligentem!) liberam cretionem, ſtibus præſentibus, ſexaginta diebus. Me-uebam ne ille arcendus eſſet: nunc mit-endum eſt, ut meo juſſu cernat: idem gitur Pollex. Etiam de hortis Cluvianis gi cum Balbo: liberaliùs: ſe enim ſtatim d Cæſarem ſcripturum: Cluvium autem Tito Hordeonio legare, & Terentiæ I-S ıↄↄↄ, & ſepulcro, multiſque rebus; ihil a nobis. Subaccuſa, quæſo, Veſtorium: uid minùs probandum, quàm Plotium nguentarium per ſuos pueros omnia tantò ntè Balbo, illum mî ne per meos qui-dem? De Coſſinio doleo; dilexi homi-nem. Quinto delegabo, ſi quid æri meo

alieno ſuperabit, & èmptionibus; ex quibus mî etiam æs alienum faciendum puto. De domo Arpini nihil ſcio.

Veſtorium nihil eſt quod accuſes. Jam enim obsignatâ hac epiſtolâ, noctu tabellarius noſter venit, & ab eo litteras diligenter ſcriptas attulit, & exemplum teſtamenti.

CICERO ATTICO SAL.

47. POSTEAQUAM *abs te Agamemno, non ut venirem* (nam id quoque feciſſem, nisi Torquatus eſſet) ſed ut ſcriberem, *tetigit;* omisi ea, quæ in manibus habebam, abjeci; quod juſſeras, edolavi. Tu velim e Pollice cognoſcas rationes noſtras ſumptuarias: turpe eſt enim nobis illum, qualiſcumque eſt, hoc primo anno egere; pòſt moderabimur diligentiùs. Idem Pollex remittendus eſt, ut ille cernat. Planè Puteolos non fuit eundum, quum ob ea quæ ad te ſcripsi, tum quòd Cæſar adeſt. Dolabella ſcribit ſe ad me poſtridie Idus. O magiſtrum moleſtum! Lepidus ad me heri veſperi litteras misit Antio; nam ibi erat: habet enim domum, quam nos vendidimus: rogat magnopere ut sim Kal. in ſenatu; me & sibi, & Cæſari vehementer gratum eſſe facturum. Puto equidem nihil eſſe; dixiſſet enim tibi fortaſſe aliquid Oppius;

noniam Balbus eſt æger: ſed tamen ma-
m venire fruſtra, quàm desiderari, si
pus eſſet: moleſtè ferrem poſtea. Itaque
odie Antii; cras ante meridiem domi.
Tu velim, nisi te impediviſti; apud nos
ridie Kal. cum Pilia. Te ſpero cum Pu-
lilio confeciſſe. Equidem Kal. in Tuſcu-
num recurram; me enim abſente om-
ia cum illis tranſigi malo. Q. Fratris
piſtolam ad te misi, non ſatis humanè
llam quidem reſpondentem meis litteris,
ed tamen quod tibi ſatis sit, ut equidem
xiſtimo. Tu videbis.

CICERO ATTICO SAL.

18. HERI neſcio quid in ſtrepitu videor
xaudiſſe, quum diceres te in Tuſcula-
um venturum: quod utinam; iterum uti-
am; tuo tamen commodo. Lepta me
ogat, ut, si quid sibi opus sit, accur-
am: mortuus enim Babullius: Cæſar,
opinor, ex uncia; etsi nihil adhuc: ſed
Lepta ex triente. Veretur autem ne non
iceat tenere hereditatem, ἀλόγως omni-
no; ſed veretur tamen: is igitur si accie-
rit, accurram; sin minùs, haud antequam
neceſſe erit. Tu Pollicem, quum poteris.
Laudationem Porciæ tibi misi correctam;
at eò properavi, ut si fortè aut Domi-
tio filio, aut Bruto mitteretur, hæc mit-
teretur: id si tibi erit commodum, ma-

gnopere cures velim. Et velim M. V
ronis, & Lollii mittas laudationem; L
utique: nam illam legi: volo tamen
guſtare; quædam enim vix mihi cr
legiſſe me.

CICERO ATTICO SAL.

49. ATTICÆ primùm ſalutem, q
equidem ruri eſſe arbitror, Multam ig
ſalutem & Piliæ. De Tigellio, si
novi: qui quidem, ut mihi Gallus
bius ſcripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi qu
dam iniquissimam, me Phameæ deſui
quum ejus cauſam recepiſſem: quam
dem receperam contra pueros Octa
Cn. filios non libenter; ſed & Pha
causâ volebam: erat enim, si memin
in conſulatûs petitione per te mihi p
citus, si quid opus eſſet: quod ego
inde tuebar, ac si uſus eſſem. Is ad
venit, dixitque judicem operam dare
conſtituiſſe eo die ipſo, quo de Se
noſtro lege Pompeiâ in consilium iri
ceſſe erat: ſcis enim dies illorum jud
rum præſtitutos fuiſſe. Reſpondi,
ignorare eum, quid ego deberem S
tio: quem vellet, alium diem si ſu
siſſet, me ei non defuturum: ita tum
diſcessit iratus: puto me tibi narraſſe.
laboravi ſcilicet, nec hominis alieni
juſtissimam iracundiam mihi curandam

tavi. Gallo autem narravi, quum proximè Romæ fui, quid audiſſem; neque nominavi Balbum minorem. Habuit ſuum negotium Gallus, ut ſcribit: ait illum, me animi conſcientiâ, quòd Phameam deſtituiſſem, de ſe ſuſpicari. Quare tibi hactenus mando, de illo noſtro, si quid poteris, exquiras; de me ne quid labores. Eſt bellum, aliquem libenter odiſſe; eſt; quemadmodum non omnibus ſervire: etsi mehercule, ut tu intelligis, magis mihi iſti ſerviunt, si obſervare, ſervire eſt.

CICERO ATTICO SAL.

50. ADMONITUS quibuſdam tuis litteris, ut ad Cæſarem uberiores litteras mittere inſtituerem, quum mihi Balbus nuper in Lanuvino dixiſſet, ſe & Oppium ſcripsiſſe ad Cæſarem, me legiſſe libros contra Catonem, & vehementer probaſſe, conſcripsi de his ipsis libris epiſtolam Cæſari, quæ deferretur ad Dolabellam: ſed ejus exemplum misi ad Oppium, & Balbum; ſcripsique ad eos, ut tum deferri ad Dolabellam juberent meas litteras, si ipsi exemplum probaſſent: ita mihi reſcripſerunt, nihil umquam ſe legiſſe melius, epiſtolamque meam juſſerunt dari Dolabellæ. Veſtorius ad me ſcripsit, ut juberem mancipio dari ſervo ſuo, pro mea parte, Hetereio cuidam fundum Brinnia-

num; ut ipſe ei Puteolis rectè mancipio dare poſſet: eum ſervum, si tibi videbitur, ad me mittes; opinor enim ad te etiam ſcripsiſſe Veſtorium. De adventu Cæſaris idem, quod a te, mihi ſcriptum eſt ab Oppio, & Balbo. Miror te nihildum cum Tigellio, vel ut hoc ipſum, quantum acceperit: prorſus aveo ſcire, nec tamen flocci facio. Quæris quid cogitem de obviam itione: quid cenſes, nisi Alsium? & quidem ad Murenam de hoſpitio ſcripſeram; ſed opinor cum Matio profectum: Salluſtius igitur urgebitur.

Scripto jam ſuperiore versiculo, Eros mihi dixit, sibi Murenam liberalissimè reſpondiſſe: eo igitur utamur: nam Silius culcitras non habet; Dida autem, opinor, hoſpitibus totam villam conceſſit.

CICERO ATTICO SAL.

51. AD Cæſarem quam misi epiſtolam, ejus exemplum fugit me tum tibi mittere; nec id fuit quod ſuſpicaris, ut me puderet tui, ne ridiculè Micillus: nec mehercule ſcripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον ὁμοιόνque ſcriberem: bene enim exiſtimo de illis libris, ut tibi coràm: itáque ſcripsi, & ἀκολακεύτως, & tamen sic, ut nihil eum exiſtimem lecturum libentiùs. De Attica nunc demum mihi eſt exploratum: itaque ei de integro gratulare. Tigellium totum

mihi, & quidem quamprimum: nam. pendeo animi. Narro tibi, Quintus cras: ſed ad me, an ad te neſcio: mî ſcripsit Romam VIII Kal. ſed misi, qui invitaret: ètsi hercle jam Romam veniendum eſt, ne ille antè advolet.

CICERO ATTICO SAL.

52. O HOSPITEM mihi tam gravem! ἀμεταμέλητον: fuit enim perjucundè: ſed quum ſecundis Saturnalibus ad Philippum veſperi veniſſet, villa ita completa militibus eſt, ut vix triclinium, ubi cœnaturus ipſe Cæſar eſſet, vacaret: quippe hominum CIↃ CIↃ. Sanè ſum commotus, quid futurum eſſet poſtridie: ac mihi Barba Cassius ſubvenit: cuſtodes dedit. Caſtra in agro: villa defenſa eſt. Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII, nec quemquam admisit. Rationes opinor cum Balbo. Inde ambulavit in littore. Poſt horam VIII, in balneum: tum audivit de Mamurra: vultum non mutavit. Unctus eſt; accubuit, ἐμετικὴν agebat: itaque & edit, & bibit ἀδεῶς, & jucundè; opiparè ſanè, & apparatè: nec id ſolùm, *ſed bene cocto, & Condito ſermone bono, & si quæri', libenter.* Præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copioſè: libertis minùs lautis, ſerviſque nihil defuit; nam lautiores eleganter accepti.

Quid multa? homines visi ſumus. Hoſpes tamen non is, cui diceres, Amabo te, eódem ad me quum revertêre: ſemel ſatis eſt. Σπουδαῖον οὐδὲν in ſermone: φιλόλογα multa. Quid quæris? delectatus eſt; & libenter fuit. Puteolis ſe aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hoſpitium, sive ἐπισταθμίαν odioſam, mihi, dixi, non moleſtam. Ego pauliſper hîc, deinde in Tuſculanum. Dolabellæ villam quum præteriret, omnis armatorum copia, dextrâ siniſtrâ ad equum, nec uſquam alibi. Hoc ex Nicia.

EPISTOLÆ
AD ATTICUM.
LIBER DECIMUS-QUARTUS.

Tres ampliùs menſes nullæ exſtant ſcriptæ litteræ, ex tertiis videlicet Saturnalibus, quæ fuerunt XII *Kal. Jan. ad poſt Id. Martias, quo die Cæſar occiſus eſt. Occiſus eſt autem, ut Velleius ait, quum quinque menſes poſt reditum ex Hiſpania Romæ fuiſſet. Scriptæ ſunt autem hæ M. Antonio, & P. Cornelio Dolabellâ coſſ. Nam is, interfecto Cæſare, faſces ſtatim, ut ait Paterculus, & insignia conſulatûs ſibi arripuit, antea designatus ab illo, quem ſibi ſubſtitueret, in Parthos proficiſcens. Continent verò potissimum reip. tempeſtates, quæ, illo cæſo, conſecutæ ſunt. Cicero quidem primis illis diebus, quum ſenatum in ſuam ſententiam perduxiſſet, ut communis concordiæ causâ, injuriarum memoria ſempiternâ oblivione tolleretur; Româ egreſſus eſt in ſuas villas, unde dedit has litteras, modò ſpei, modò deſperationis plenas. Privatim verò continent querelam de ementitis actis Cæſaris: factum Dolabellæ: de Amatio humillimæ ſortis homine, qui auſus fuerat in C. Marii nomen invadere, ſeque pro nepote illius gerere: & domeſtica quædam privatiùs. Datæ ſunt poſt Id. Mart. ad* XVI *circiter Kal. Jun.* Malaspinæ.

Quid multa? homines visi ſumus. Hoſpes tamen non is, cui diceres, Amabo te, eódem ad me quum revertêre: ſemel ſatis eſt. Σπουδαῖον οὐδὲν in ſermone: φιλόλογα multa. Quid quæris? delectatus eſt, & libenter fuit. Puteolis ſe aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hoſpitium, sive ἐπισταθμίαν odioſam, mihi, dixi, non moleſtam. Ego pauliſper hîc, deinde in Tuſculanum. Dolabellæ villam quum præteriret, omnis armatorum copia, dextrâ ſiniſtrâ ad equum, nec uſquam alibi. Hoc ex Nicia.

EPISTOLÆ
AD ATTICUM.
LIBER DECIMUS-QUARTUS.

Tres ampliùs menſes nullæ exſtant ſcriptæ litteræ, ex tertiis videlicet Saturnalibus, quæ fuerunt XII *Kal. Jan. ad poſt Id. Martias, quo die Cæſar occiſus eſt. Occiſus eſt autem, ut Velleius ait, quum quinque menſes poſt reditum ex Hiſpania Romæ fuiſſet. Scriptæ ſunt autem hæ M. Antonio, & P. Cornelio Dolabellâ coſſ. Nam is, interfecto Cæſare, faſces ſtatim, ut ait Paterculus, & insignia conſulatûs ſibi arripuit, antea designatus ab illo, quem ſibi ſubſtitueret, in Parthos proficiſcens. Continent verò potissimum reip. tempeſtates, quæ, illo cæſo, conſecutæ ſunt. Cicero quidem primis illis diebus, quum ſenatum in ſuam ſententiam perduxiſſet, ut communis concordiæ causâ, injuriarum memoria ſempiternâ oblivione tolleretur; Româ egreſſus eſt in ſuas villas, unde dedit has litteras, modò ſpei, modò deſperationis plenas. Privatim verò continent querelam de ementitis actis Cæſaris: factum Dolabellæ: de Amatio humillimæ ſortis homine, qui auſus fuerat in C. Marii nomen invadere, ſeque pro nepote illius gerere: & domeſtica quædam privatiùs. Datæ ſunt poſt Id. Mart. ad* XVI *circiter Kal. Jun.* Malaspina.

Quid multa? homines visi ſumus. Hoſpes tamen non is, cui diceres, Amabo te, eódem ad me quum revertêre: ſemel ſatis eſt. Σπουδαῖον οὐδὲν in ſermone: φιλόλογα multa. Quid quæris? delectatus eſt; & libenter fuit. Puteolis ſe aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hoſpitium, sive ἐπισταθμίαν odioſam, mihi, dixi, non moleſtam. Ego pauliſper hîc, deinde in Tuſculanum. Dolabellæ villam quum præteriret, omnis armatorum copia, dextrâ siniſtrâ ad equum, nec uſquam alibi. Hoc ex Nicia.

EPISTOLÆ
AD ATTICUM.
LIBER DECIMUS-QUARTUS.

Tres ampliùs menſes nullæ exſtant ſcriptæ litteræ, ex tertiis videlicet Saturnalibus, quæ fuerunt XII *Kal. Jan. ad poſt Id. Martias, quo die Cæſar occiſus eſt. Occiſus eſt autem, ut Velleius ait, quum quinque menſes poſt reditum ex Hiſpania Romæ fuiſſet. Scriptæ ſunt autem hæ M. Antonio, & P. Cornelio Dolabellâ coſſ. Nam is, interfecto Cæſare, faſces ſtatim, ut ait Paterculus, & insignia conſulatûs ſibi arripuit, antea designatus ab illo, quem ſibi ſubſtitueret, in Parthos proficiſcens. Continent verò potissimum reip. tempeſtates, quæ, illo cæſo, conſecutæ ſunt. Cicero quidem primis illis diebus, quum ſenatum in ſuam ſententiam perduxiſſet, ut communis concordiæ causâ, injuriarum memoria ſempiternâ oblivione tolleretur; Româ egreſſus eſt in ſuas villas, unde dedit has litteras, modò ſpei, modò deſperationis plenas. Privatim verò continent querelam de ementitis actis Cæſaris: factum Dolabellæ: de Amatio humillimæ ſortis homine, qui auſus fuerat in C. Marii nomen invadere, ſeque pro nepote illius gerere: & domeſtica quædam privatiùs. Datæ ſunt poſt Id. Mart. ad* XVI *circiter Kal. Jun.* MALASPINA.

CICERO ATTICO SAL.

1. DEVERTI ad illum, de quo tecum manè. Nihil perditius: explicari rem non poſſe: etenim si ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nunc reperiet? Quid quæris? periiſſe omnia aiebat, quod haud ſcio an ita sit: verùm ille gaudens; affirmabatque minùs diebus xx tumultum Gallicum: in ſermonem ſe poſt Idus Mart. præterquam Lepidi, veniſſe neminis: ad ſummam, non poſſe iſthæc sic abire. O prudentem Oppium, qui nihilò minùs illum desiderat; ſed loquitur nihil, quod quemquam bonum offendat. Sed hæc hactenus. Tu, quæſo, quidquid novi (multa autem exſpecto) ſcribere ne pigrere: in his, de Sexto ſatiſne certum; maximè autem de Bruto noſtro; de quo quidem ille, ad quem deverti, Cæſarem ſolitum dicere, *Magni refert hic quid velit: ſed quidquid volet, valde volet*: idque eum animadvertiſſe, quum pro Dejotaro Niceæ dixerit, valde vehementer eum viſum, & liberè dicere: atque etiam (ut enim quidque ſuccurrit, libet ſcribere) proximè quum Sextii rogatu apud eum fuiſſem, exſpectaremque ſedens quoad vocarer, dixiſſe eum, *Ego dubitem quin ſummo in odio sim, quum M. Cicero ſedeat, nec ſuo commodo me convenire possit? Atqui si*

CICERO ATTICO SAL.

UAS a te accepi epiſtolas heri : ex
e theatrum , Publiumque cognovi ;
signa conſentientis multitudinis : plau-
ero L. Cassio datus , etiam facetus
quidem viſus eſt. Altera epiſtola de
po ſcripta , apud quem nullum φα-
μα , ut putas : processi enim , ſed
e diutius ſermone enim ſum reten-
Quod autem ad te ſcripſeram , ob-
fortaſſe , id ejuſmodi eſt : aiebat Cæ-
u ſecum , quo tempore Sextii rogatu
ad eum , quum exſpectarem ſedens ,
e : *Ego nunc tam ſim ſtultus , ut hunc*
facilem hominem , putem mihi eſſe
m , quum tamdiu ſedens meum com-
m exſpectet ? Habes igitur φαλάκρωμα
cissimum otii , id eſt , Bruti. In Tuſ-
um hodie ; Lanuvii cras ; inde Aſturæ
abam. Piliæ paratum eſt hoſpitium :
ellem Atticam (verùm tibi ignoſco)

CICERO ATTICO SAL.

3. TRANQUILLÆ tuæ quidem litte[r] quod utinam diutius : nam Matius p[e] negabat. Ecce autem ſtructores noſtri frumentum profecti, quum inanes red[i] ſent, rumorem afferunt magnum, Ro[mam] domum ad Antonium frumentum o[m] portari : πανικὸν certè ; ſcripſiſſes en[im] Corumbus Balbi nullus adhuc ; & [m] notum nomen : bellus enim eſſe dic[itur] architectus. Ad obsignandum tu adhib[i] non sine cauſa videris : volunt enim ita putare ; neſcio cur non animo quo[d] ſentiant : ſed quid hæc ad nos ? Odo[r] tamen Antonii διάθεσιν : quem quidem [e] epularum magis arbitror rationem habe[re] quàm quidquam mali cogitare. Tu, si q[uid] *pragmaticon* habes, ſcribe ; sin minus, [po]puli ἐπισημασίαν, & mimorum dicta perſ[cri]bito. Piliæ, & Atticæ ſalutem.

CICERO ATTICO SAL.

4. NUNC quid putas me Lanuvii ? [Et] ego te iſtic quotidie aliquid novi ſu[ſpi]cor : tument negotia : nam quum Mati[us,] quid cenſes ceteros ? Equidem doleo, q[uod] numquam in ulla civitate accidit, non [una] cum libertate rempublicam recuperat[am.] Horribile eſt quæ loquantur, quæ mi[ni]tentur : ac vereor Gallica etiam bel[la]

aliquid exſpecto) confeſtim ad me ;
i novi nihil, noſtro more tamen ne
mur intermitti litterulas : equidem
committam.

CICERO ATTICO SAL.

PERO tibi jam eſſe ut volumus; quo-
quidem ἠσίτησας, quum leviter com-
es eſſes : ſed tamen velim ſcire quid
Signa bella, quòd Calvena moleſtè
ſe ſuſpectum eſſe Bruto : illa signa
bona, si cum signis legiones veniunt
llia. Quid tu illas putas, quæ fue-
in Hiſpania, nonne idem poſtulatu-
quid, quas Annius tranſportavit? Ca-
mi volui, ſed μνημονικὸν ἁμάρτημα. Ab
ire φυρμὸς πολύς. Nam iſta quidem
ris libertorum conjuratio facilè oppri-
tur, si recta ſaperet Antonius. Meam
m verecundiam, qui legari noluerim
res prolatas, ne deſerere viderer

tus : vides tamen tyranni ſatellites in imperiis ; vides ejuſdem exercitus in latere veteranos ; quæ ſunt εὔριπα omnia ; eos autem qui orbis terræ cuſtodiis non modò ſepti, verùm etiam magni eſſe debebant, tantùm non laudari, atque amari, ſed parietibus contineri : atque illi quoquo modo beati ; civitas miſera. Sed velim ſcire quid adventus Octavii ; num qui concurſus ad eum, num quæ νεωτερισμοῦ ſuſpicio. Non puto equidem : ſed tamen quidquid eſt, ſcire cupio. Hæc ſcripsi ad te proficiſcens Aſturâ III Idus.

CICERO ATTICO SAL.

6. PRIDIE Idus Fundis accepi tuas litteras cœnans. Primùm igitur meliùs eſſe : deinde meliora te nuntiare : odioſa illa enim fuerant, legiones venire. Nam de Octavio ſuſque deque. Exſpecto quid de Mario ; quem quidem ego ſublatum rebar a Cæſare. Antonii colloquium cum heroibus noſtris pro re nata non incommodum : ſed tamen adhuc me nihil delectat præter Idus Mart. Nam, quoniam Fundis ſum cum Ligure noſtro, diſcrucior, Sextilii fundum a verberone Curtilio poſſideri : quod quum dico, de toto genere dico ; quid enim miſerius, quàm ea nos tueri, propter quæ illum oderamus ? Etiamne conſules & tribunos plebis

au bonorum. Exultant lætitia in mu-
is: dici enim non poteſt quanto opere
ant, ut ad me concurrant, ut au-
cupiant verba mea ea de re; nec
interea decreta: sic enim πεπολίτευ-
, ut victos metueremus. Hæc ad te
i appoſitâ ſecundâ menſâ: plura &
ἑκάτερα poſtea: & tu, quid agas,
que agatur.

CICERO ATTICO SAL.

OSTRIDIE Idus Paulum in Cajetæ
is mihi de Mario, & de republica
quædam ſanè peſſima. A te ſcilicet
; nemo enim meorum ſed Brutum
am audio viſum ſub Lanuvio. Ubi
m eſt futurus? nam quum reliqua,
de hoc ſcire aveo omnia. Ego e For-
o exiens XVII Kal. ut inde altero
in Puteolanum, ſcripſi hæc. A Cice-
mihi litteræ ſanè πεπινωμέναι, & bene
e: cetera autem vel fingi poſſunt;

ſit : id quum ad officium noſtrum pertinet, tum ad exiſtimationem, & dignitatem; quod idem intellexi tibi videri omnino. Si ergo eſt, volo menſe Quintili in Græciam: ſint omnia faciliora: ſed quum ſint ea tempora, ut certi nihil eſſe poſſit, quid honeſtum mihi ſit, quid liceat, quid expediat; quæſo da operam, ut illum quàm honeſtissimè copiosissiméque tueamur. Hæc & cetera, quæ ad nos pertinebunt, ut ſoles, cogitabis; ad meque aut quod ad rem pertineat, aut, si nihil erit, quod in buccam venerit, ſcribes.

CICERO ATTICO SAL.

8. Tu me jam rebare, quum ſcribebas, in actis eſſe noſtris: & ego accepi XVII Kal. in deverſoriolo Sinueſſano tuas litteras. De Mario probè; etsi doleo L. Crassi nepotem. Optimè tam etiam Bruto noſtro probari Antonium. Nam quòd Juniam ſcribis moderatè, & amicè ſcriptas litteras attuliſſe; mihi Paulus dedit ad ſe a fratre miſſas, quibus in extremis erat, ſibi insidias fieri; ſe id certis auctoribus comperiſſe: hoc nec mihi placebat, & multò illi minùs. Reginæ fuga mihi non moleſta: ſed Clodia quid egerit, ſcribas ad me velim. De Byzantiis curabis, ut cetera; & Pelopem ad te arceſſes. Ego, ut poſtulas, Baiana negotia, chorumque

illum, de quo ſcire vis, quum perſpexero, tum ſcribam, ne quid ignores. Quid Galli, quid Hiſpani, quid Sextus agat, vehementer exſpecto: ea ſcilicet tu declarabis, qui cetera. Nauſeolam tibi tum cauſam otii dediſſe facilè patiebar; videbare enim mihi legenti tuas litteras requieſſe paulliſper. De Bruto ſemper ad me omnia perſcribito; ubi ſit, quid cogitet; quem quidem ego ſpero jam tutò vel ſolum, totâ urbe vagari poſſe. Verumtamen.

CICERO ATTICO SAL.

9. De republica multa cognovi ex tuis litteris, quas quidem multijuges accepi uno tempore a Veſtorii liberto: ad ea autem quæ requiris, brevi reſpondebo. Primùm vehementer me Cluviana delectant. Sed quod quæris quid arceſſierim Chryſippum; tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæque rimas agunt: itaque non ſolùm inquilini, ſed mures etiam migraverunt. Hanc ceteri calamitatem vocant; ego ne incommodum quidem. O Socrates, & Socratici viri! numquam vobis gratiam referam. Dii immortales, quàm mihi iſta pro nihilo! Sed tamen ea ratio ædificandi initur, conſiliario quidem, & auctore Veſtorio, ut hoc damnum quæſtuoſum ſit. Hîc turba magna eſt, eritque, ut audio, major: duo quidem quaſi de-

ſignati conſules. O Dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit! ejus interfecti morte lætamur, cujus facta defendimus! Itaque quàm ſeverè nos M. Curtius accuſat; ut pudeat vivere: neque injuriâ: nam mori millies præſtitit, quàm hæc pati, quæ mihi videntur habitura etiam vetuſtatem. Et Balbus hîc eſt, multumque mecum: ad quem a Vetere litteræ datæ pridie Kal. Januar. quum a ſe Cæcilius circumſederetur, & jam teneretur; veniſſe cum maximis copiis Pacorum Parthum: ita ſibi eſſe eum ereptum, multis ſuis amiſſis: in qua re accuſat Volcatium. Ita mihi videtur bellum illud inſtare: ſed Dolabella, & Nicias viderint. Idem Balbus meliora de Gallia XXI die litteras habebat; Germanos, illaſque nationes re auditâ de Cæſare, legatos miſiſſe ad Aurelium, qui eſt præpoſitus ab Hirtio, ſe, quod imperatum eſſet, eſſe facturos. Quid quæris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvena dixerat.

CICERO ATTICO SAL.

10. ITANE verò? hoc meus, & tuus Brutus egit, ut Lanuvii eſſet, ut Trebonius itineribus deviis proficiſceretur in provinciam? ut omnia facta, ſcripta, dicta, promiſſa, cogitata Cæſaris plus valerent, quàm ſi ipſe viveret? Meminiſti me cla-

mare, illo ipſo primo Capitolino die, ſenatum in Capitolium a prætoribus vocari? Dii immortales, quæ tum opera effici potuerunt, lætantibus omnibus bonis, etiam ſat bonis, fractis latronibus? Liberalia tu accuſas: quid fieri tum potuit? jam pridem perieramus. Meminiſtine te clamare, cauſam periiſſe, si funere elatus eſſet? at ille etiam in foro combuſtus, laudatuſque miſerabiliter; ſervique, & egentes in tecta noſtra cum facibus immissi. Quæ deinde? ut audeant dicere, Tune contra Cæſaris nutum? Hæc & alia ferre non poſſum: itaque γῆν πρὸ γῆς cogito: tua tamen ὑπηνέμιον. Nauſea jamne planè abiit? mihi quidem ex tuis litteris conjectanti ita videbatur. Redeo ad Thebaſſos, Scævas, Frangones: hos tu exiſtimas confidere ſe illa habituros, ſtantibus nobis? in quibus plus virtutis putarunt, quàm experti ſunt: pacis iſti ſcilicet amatores, & non latrocinii auctores? At ego quum tibi de Curtilio ſcripsi, Sextilianoque fundo, ſcripsi de Cenſorino, de Meſſalla, de Planco, de Poſtumio, de genere toto: melius fuit periiſſe illo interfecto, quod numquam accidiſſet, quàm hæc videre. Octavius Neapolim venit XIV Kalendas: ibi eum Balbus manè poſtridie; eodemque die mecum in Cumano illum hereditatem aditurum: ſed, ut ſcribis, ῥιζόθεμιν ma-

gnam cum Antonio. Buthrotia mi res eſt, ut debet, eritque curæ. quæris, jamne ad centena Cluvia adventare videtur: ſed primo anno detersimus. Quintus pater ad me de filio, maximè quòd matri nunc geat, cui antea bene merenti fuer mïcus: ardentes in eum litteras ad n sit. Ille autem quid agat, si ſcis, dum Româ es profectus, ſcribas a velim; & hercule, si quid aliud. menter delector tuis litteris.

CICERO ATTICO SAL.

II. NUDIUS tertius dedi ad te e lam longiorem: nunc ad ea, quæ mè. Velim mehercule, Aſturæ. I Α'κολασίαν iſtorum ſcribis: an ce aliter? equidem etiam majora exſ Quum equidem concionem lego, *de viro, de clarissimo civi*, ferre non etsi iſta jam ad riſum. Sed mement alitur conſuetudo perditarum concic ut noſtri illi, non heroes, ſed dii, quidem in gloria ſempiterna sint, ſe sine invidia, ne sine periculo qu Verùm illis magna conſolatio, con tia maximi & clarissimi facti; nobis qui interfecto rege liberi non ſumus hæc fortuna viderit, quoniam ratic gubernat. De Cicerone, quæ ſcribi

cunda mihi ſunt; velim ſint proſpera: quòd verò curæ tibi eſt, ut ei ſuppeditetur ad uſum & cultum copiosè, per mihi gratum eſt; idque ut facias, te etiam rogo. De Buthrotiis & tu rectè cogitas, & ego non dimitto iſtam curam: ſuſcipiam omnem etiam actionem; quam video quotidie faciliorem. De Cluviano, quoniam in re mea me ipſum diligentiâ vincis, res ad centena perducitur: ruina rem non fecit deteriorem, haud ſcio an jam fructuoſiorem. Hîc mecum Balbus, Hirtius, Panſa. Modò venit Octavius, & quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me; cras manè vadit.

CICERO ATTICO SAL.

12. O MI Attice, vereor, ne nobis Idus Mart. nihil dederint præter lætitiam, & odii pœnam ac doloris. Quæ mihi iſtinc afferuntur? quæ hîc video? Ὢ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. Scis quàm diligam Siculos, & quàm illam clientelam honeſtam judicem: multa illis Cæſar, neque me invito; etsi Latinitas erat non ferenda: verumtamen. Ecce autem Antonius, acceptâ grandi pecuniâ, fixit legem, a dictatore comitiis latam, quâ Siculi cives Romani: cujus rei, vivo illo, mentio nulla. Quid? Dejotari noſtri cauſa non

similis ? dignus ille quidem omni regno, ſed non per Fulviam. Sexcenta similia. Verùm illuc referor : tam claram tamque teſtatam rem, tamque juſtam Buthrotiam non tenebimus aliqua ex parte ? & eo quidem magis, quò iſte plura ? Nobiſcum hîc perhonorificè, & amicè Octavius : quem quidem ſui Cæſarem ſalutabant, Philippus non ; itaque ne nos quidem ; quem nego poſſe bonum civem, ita multi circumſtant, qui quidem noſtris mortem minitantur. Negant hæc ferri poſſe : quid cenſes, quum Romam puer venerit, ubi noſtri liberatores tuti eſſe non poſſunt ? qui quidem ſemper erunt clari ; conſcientiâ verò facti ſui etiam beati ; ſed nos, nisi me fallit, jacebimus. Itaque exire aveo, ubi *nec Pelopidarum*, inquit. Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coëgerunt ; ut ne apud aquas quidem acquieſcere liceret : ſed hoc meæ nimiæ facilitatis : nam id erat quondam quasi neceſſe ; nunc, quoquo modo ſe res habet, non eſt item. Quàm dudum nihil habeo, quod ad te ſcribam : ſcribo tamen, non ut delectem his litteris, ſed ut eliciam tuas. Tu, si quid erit de ceteris ; de Bruto utique, quidquid. Hæc conſcripsi x Kal. accubans apud Veſtorium, hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis ſatis exercitatum.

CICERO ATTICO SAL.

...PTIMO denique die litteræ mihi ... ſunt, quæ erant a te XIII Kal. ... quibus quæris, atque etiam me ... neſcire arbitraris, utrùm magis tu... proſpectuque, an ambulatione ἀλιτενεῖ ...ter. Eſt mehercule, ut dicis, utriuſque ...nta amœnitas, ut dubitem, utra ...ponenda ſit:

ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν.
ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
δείδιμεν· ἐν δοιῇ δὲ σαώσεμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

...avis enim tu magna, & mihi ju... ... ſcripſeris de D. Bruti adventu ad legiones, in quo ſpem maximam vi... ...amen, si eſt bellum civile futu... quod certè erit, ſi Sextus in armis ...nebit, quem permanſurum eſſe cer... ..., quid nobis faciendum eſt, igno... neque enim jam licebit, quod Cæ... ...ello licuit, neque huc, neque illuc: ...cumque enim hæc pars perditorum ...um morte Cæſaris putabit (lætitiam ... apertissimè tulimus omnes) hunc ...ſtium numero habebit: quæ res ad ...m maximam ſpectat. Reſtat, ut in ... Sexti, aut, ſi fortè, Bruti nos con... ...us: res odioſa, & aliena noſtris æ... ..., & incerto exitu belli; & neſcio.

quo pacto tibi ego poſſum, mihi tu dicere.

> *Τέκνον ἐμὸν οὔ τοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,*
> *Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.*

Sed hæc fors viderit, ea, quæ talibus in rebus plus, quàm ratio, poteſt: nos autem id videamus, quod in nobis ipsis eſſe debet, ut, quidquid acciderit, fortiter & ſapienter feramus, & accidiſſe hominibus meminerimus; noſque quum multum litteræ, tum non minimum Idus quoque Mart. conſolentur. Suſcipe nunc meam deliberationem, quâ ſollicitor: ita multa veniunt in mentem in utramque partem. Proficiſcor, ut conſtitueram, legatus in Græciam? cædis impendentis periculum nonnihil vitare videor, ſed caſurus in aliquam vituperationem, quòd reipublicæ defuerim tam gravi tempore. Sin autem manſero, fore me quidem video in diſcrimine; ſed accidere poſſe ſuſpicor, ut prodeſſe possim reipublicæ. Jam illa conſilia privata ſunt, quòd ſentio valde eſſe utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire; nec alia cauſa profectionis mihi ulla fuit tum, quum consilium cepi legari ab Cæſare. Tota igitur hac de re, ut ſoles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epiſtolam tuam. Scribis enim eſſe rumores, me, ad lacum quod

o, venditurum; minuſculam verò vil-utique Quinto traditurum, vel im-i pretio, quò introducatur, ut tibi dixerit, dotata Aquilia. Ego verò enditione nihil cogito, nisi quid, magis me delectet, invenero: Quin-utem de emendo nihil curat hoc tem-: ſatis enim torquetur debitione do-in qua mirificas Egnatio gratias agit: cenda autem uxore sic abhorret, ut o lectulo neget eſſe quidquam jucun-Sed hæc quoque hactenus. Redeo ad miſeram, ſeu nullam potiùs publicam. M. Antonius ad me ſcripsit eſtitutione Sex. Clodii: quàm hono-è, quod ad me attinet, ex ipsius lit-cognoſces (misi enim tibi exemplum) n diſſolutè, quàm turpiter, quámque perniciosè, ut nonnumquam Cæſar lerandus eſſe videatur, facilè exiſti-is: quæ enim Cæſar numquam ne-feciſſet, neque paſſus eſſet, ea nunc alsis ejus commentariis proferuntur. autem Antonio facillimum me præ-: etenim ille, quoniam ſemel indu-animum sibi licere quod vellet, feciſ-nihilò minùs me invito. Itaque mea-quoque litterarum misi tibi exemplum.

ANTONIUS CONSUL S. D. M. CICERONI.

OCCUPATIONIBUS *eſt factum meis, & ſubitâ tuâ profectione, ne tecum coràm de hac re agerem: quam ob cauſam vereor, ne abſentia mea levior sit apud te. Quòd si bonitas tua reſponderit judicio meo, quod ſemper habui de te, gaudebo. A Cæſare petii, ut Sex. Clodium reſtitueret: impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio ejus, si tu conceſſiſſes: quò magis laboro, ut tuâ voluntate id per me facere nunc liceat. Quòd si duriorem te ejus miſeræ, & afflictæ fortunæ præbes, non contendam ego adversùs te; quamquam videor debere tueri commentarium Cæſaris: ſed mehercule, si humaniter, & ſapienter, & amabiliter in me cogitare vis, facilem profectò te præbebis; & voles P. Clodium, in optima ſpe puerum repositum, exiſtimare, non te inſectatum eſſe, quum potueris, amicos paternos. Patere, obſecro te, pro republica videri geſſiſſe simultatem cum patre ejus: non contempſeris hanc familiam: honeſtiùs enim, & libentiùs deponimus inimicitias reipublicæ nomine ſuſceptas, quàm contumaciæ. Me deinde sine ad hanc opinionem jam nunc dirigere puerum, & tenero animo ejus perſuadere, non eſſe tradendas poſteris inimicitias. Quamquam tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abeſſe*

rtum habeo ; tamen arbitror malle te quie-
m ſenectutem , & honorificam potiùs age-
: , quàm ſollicitam. Poſtremò meo jure te
oc beneficium rogo : nihil enim non tuâ
uſâ feci. Quòd ſi non impetro , per me
lodio daturus non ſum ; ut intelligas ,
uanti apud me auctoritas tua ſit , atque
ò te placabiliorem præbeas.

CICERO ANTONIO COS. S.

QUOD mecum per litteras agis , unam
b cauſam mallem coràm egiſſe : non
nim ſolùm ex oratione , ſed etiam ex
ultu , & oculis , & fronte (ut aiunt)
ieum erga te amorem perſpicere potuiſ-
es. Nam quum te ſemper amavi , primùm
uo ſtudio , pòſt etiam beneficio provoca-
is ; tum his temporibus reſpublica te mihi
a commendavit , ut cariorem habeam
eminem. Litteræ verò tuæ , quum aman-
iſſimè , tum honorificentiſſimè ſcriptæ
ic me affecerunt , ut non dare tibi be-
eficium viderer , ſed accipere a te , ita
etente , ut inimicum meum , neceſſarium
uum , me invito ſervare nolles , quum
d nullo negotio facere poſſes. Ego verò
ibi iſtuc , mi Antoni , remitto ; atque
a , ut me a te , quum his verbis ſcri-
ſeris , liberaliſſimè atque honorificentiſ-
imè tractatum exiſtimem : idque quum
otum , quoquo modo ſe res haberet ,

tibi dandum putarem; tum do etiam humanitati & naturæ meæ: nihil enim unquam non modò acerbum in me fuit, ſed ne paulò quidem triſtius, aut ſeverius, quàm necessitas reipublicæ poſtulavit. Accedit, ut ne in ipſum quidem Clodium meum insigne odium fuerit umquam; ſemperque ita ſtatui, non eſſe inſectandos inimicorum amicos, præſertim humiliores; nec his præsidiis noſmetipſos eſſe ſpoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes eſſe arbitror, ut ejus animum tenerum, quemadmodum ſcribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias reſidere in familiis noſtris arbitretur. Contendi cum P. Clodio, quum ego publicam cauſam, ille ſuam defenderet: noſtras concertationes reſpublica dijudicavit: si viveret, mihi cum illo nulla contentio jam maneret. Quare, quoniam hoc a me sic petis, ut, quæ tua poteſtas eſt, eâ neges te me invito uſurum; puero quoque hoc a me dabis, si tibi videbitur: non quò aut ætas noſtra ab illius ætate quidquam debeat periculi ſuſpicari, aut dignitas mea ullam contentionem extimeſcat; ſed ut noſmetipsi inter nos conjunctiores simus, quàm adhuc fuimus: interpellantibus enim his inimicitiis animus tuus mihi magis patuit, quàm domus. Sed hæc hactenus. Illud extremum; ego, quæ te

te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, ſemper sine ulla dubitatione ſummo ſtudio faciam: hoc velim tibi penitus perſuadeas.

CICERO ATTICO SAL.

14. ITERADUM eadem iſta mihi: coronatus Quintus noſter Parilibus? Parilibus? ſoluſne? etsi addis Lamiam; quod demiror equidem: ſed ſcire cupio, qui fuerint alii; quamquam ſatis ſcio, nisi improbum neminem: explanabis igitur hoc diligentiùs. Ego autem caſu quum dediſſem ad te litteras VI Kalend. ſatis multis verbis, tribus ferè horis pòſt accepi tuas, & magni quidem ponderis. Itaque joca tua plena facetiarum, de hæresi Veſtoriana, & de Phetriorum more Puteolano, risiſſe me ſatis, nihil eſt neceſſe ſcribere: πολιτικώτερα illa videamus. Ita Brutos Cassiumque defendis, quasi eos ego reprehendam, quos ſatis laudare non poſſum. Rerum ego vitia collegi, non hominum: ſublato enim tyranno, tyrannida manere video: nam quæ ille facturus non fuit, ea fiunt, ut de Clodio; de quo mihi exploratum eſt, illum non modò non facturum, ſed etiam ne paſſurum quidem fuiſſe. Sequetur Rufio Veſtorianus, Victor numquam ſcriptus, ceteri, quis non? Cui ſervire ipsi non potuimus, ejus libellis paremus. Nam

Liberalibus quis potuit in ſenatum non venire? fac id potuiſſe aliquo modo; num, etiam quum veniſſemus, liberè potuimus ſententiam dicere? nonne omni ratione veterani, qui armati aderant, quum præſidii nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? illam ſeſſionem Capitolinam mihi non placuiſſe, tu teſtis es. Quid ergo? iſta culpa Brutorum? minimè illorum quidem, ſed aliorum brutorum, qui ſe cautos, ac ſapientes putant; quibus ſatis fuit lætari; nonnullis etiam, gratulari; nullis, permanere. Sed præterita omittamus: iſtos omni curâ præſidioque tueamur; & quemadmodum tu præcipis, contenti Idibus Mart. ſimus: quæ quidem noſtris amicis, divinis viris, aditum ad cœlum dederunt; libertatem populo R. non dederunt. Recordare tua: nonne meminiſti, clamare te, omnia periiſſe, si ille funere elatus eſſet? ſapienter id quidem: itaque ex eo quæ manarint vides. Quæ ſcribis Kal. Juniis Antonium de provinciis relaturum, ut & ipſe Gallias habeat, & utriſque dies prorogetur; licebitne decerni liberè? si licuerit; libertatem eſſe recuperatam lætabor: si non licuerit, quid mihi attulerit iſta domini mutatio præter lætitiam, quam oculis cepi juſto interitu tyranni? Rapinas ſcribis ad Opis fieri; quas nos quoque tum videbamus. Næ nos & libe-

rati ab egregiis viris, nec liberi ſumus: ita laus illorum eſt, culpa noſtra. Et hortaris me, ut hiſtorias ſcribam? ut colligam tanta eorum ſcelera, a quibus etiam nunc obsidemur? poterone eos ipſos non laudare, qui te obsignatorem adhibuerunt? Nec mehercule me raudusculum movet; ſed homines benevolos, qualeſcumque ſunt, grave eſt inſequi contumeliâ. Sed de omnibus meis conſiliis, ut ſcribis, exiſtimo exploratiùs nos ad Kalendas Junias ſtatuere poſſe; ad quas adero, & omni ope, atque operâ enitar, adjuvante me ſcilicet auctoritate tuâ, & gratiâ, & ſummâ æquitate cauſæ, ut de Buthrotiis ſenatusconſultum quale ſcribis, fiat. Quod me cogitare jubes, cogitabo equidem; etsi tibi dederam ſuperiore epiſtolâ cogitandum. Tu autem, quasi jam recuperatâ republicâ, vicinis tuis Massiliensibus ſua reddis: hæc armis, quæ, quàm firma habeamus ignoro, reſtitui fortaſſe poſſunt, auctoritate non poſſunt.

CICERO ATTICO SAL.

15. EPISTOLA brevis, quæ poſtea a te ſcripta eſt, ſanè mihi fuit jucunda. De Bruti ad Antonium, & de ejuſdem ad te litteris, poſſe videntur eſſe meliora, quàm adhuc fuerunt: ſed nobis ubi ſimus, & quò jam nunc nos conferamus,

providendum eſt. O mirificum Dolabellam meum! jam enim dico meum; antea, crede mihi, ſubdubitabam. Magnam ἀναθεώρησιν res habet: de ſaxo; in crucem; columnam tollere; locum illum ſternendum locare. Quid quæris? heroica: ſuſtuliſſe mihi videtur ſimulationem deſiderii, adhuc quæ ſerpebat in dies, & inveterata, verebar, ne periculoſa noſtris tyrannoctonis eſſet. Nunc prorſus aſſentior tuis litteris, ſperoque meliora: quamquam iſtos ferre non poſſum, qui, dum ſe pacem velle ſimulant, acta nefaria defendunt. Sed non poſſunt omnia ſimul: incipit res meliùs ire, quàm putaram: nec verò diſcedam, nisi quum tu me id honeſtè putabis facere poſſe. Bruto certè meo nullo loco deero; idque etiam si mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem propter ejus ſingularem, incredibilemque virtutem. Piliæ noſtræ villam totam, quæque in villa ſunt, trado, in Pompeianum ipſe proficiſcens Kalend. Maiis. Quàm velim Bruto perſuadeas, ut Aſturæ sit.

CICERO ATTICO SAL.

16. QUINTO Non. conſcendens ab hortis Cluvianis in phaſelum epicopum has dedi litteras, quum Piliæ noſtræ villam ad Lucrinum, villicoſque, & procuratores tradidiſſem. Ipſe autem eo die in Pæti

noſtri tyrotarichum imminebam ; perpaucis diebus in Pompeianum : pòſt in hæc Puteolana, & Cumana regna renavigaro. O loca ceteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine pene fugienda ! Sed ad rem ut veniam, ô Dolabellæ noſtri magnam ἀριστείαν ! quanta eſt ἀναθεώρησις ? Equidem laudare eum & hortari non desiſto. Rectè tu omnibus epiſtolis significas, quid de re, quid de viro ſentias. Mihi quidem videtur Brutus noſter jam vel coronam auream per forum ferre poſſe : quis enim audeat violare, propositâ cruce, aut ſaxo ? præſertim tantis plausibus, tantâ approbatione infimorum ? Nunc, mi Attice, me fac ut expedias. Cupio, quum Bruto noſtro affatim ſatisfecerim, excurrere in Græciam : magni intereſt Ciceronis, vel meâ potiùs, vel mehercule utriuſque, me intervenire diſcenti : nam epiſtola Leonidæ, quam ad me misiſti, quid habet, quæſo, in quo magnopere lætemur ? Numquam ille mihi ſatis laudari videbitur, quum ita laudabitur, *quomodo nunc eſt* : non fidentis hoc teſtimonium, ſed potiùs timentis. Herodi autem mandaram, ut mihi κατὰ μίτον ſcriberet : a quo adhuc nulla littera eſt : vereor, ne nihil habuerit, quod mihi, quum cognoſſem, jucundum putaret fore. Quòd ad Xenonem ſcripsiſti, valde mihi

gratum eſt; nihil enim deeſſe Ciceroni, quam ad officium, tum ad exiſtimationem meam pertinet. Flammam Flaminium audio Romæ eſſe: ad eum ſcripsi, me tibi mandaſſe per litteras, ut de Montani negotio cum eo loquerere: & velim cures epiſtolam, quam ad eum misi, reddendam; & ipſe, quod commodo tuo fiat, cum eo colloquare: puto, si quid in homine pudoris eſt, præſtaturum eum, ne pro ſe quodam modo dependatur. De Attica pergratum mihi feciſti, quòd curaſti, ut antè ſcirem rectè eſſe, quàm non bellè fuiſſe.

Cicero Attico Sal.

17. In Pompeianum veni v Nonas Maii, quum pridie, ut antea ad te ſcripsi, Piliam in Cumano collocaviſſem. Ibi mihi cœnanti litteræ tuæ ſunt redditæ, quas dederas Demetrio liberto prid. Kal. in quibus multa ſapienter, ſed tamen talia, quemadmodum tute ſcribebas, ut omne conſilium in fortuna poſitum videretur: itaque his de rebus ex tempore, & coràm. De Buthrotio negotio, utinam quidem Antonium conveniam: multum profectò proficiam: ſed non arbitrantur eum a Capua declinaturum; quò quidem, metuo, ne magno reipublicæ malo venerit: quod idem L. Cæſari videbatur, quem pridie Neapoli affectum graviter videram. Quam-

obrem iſta nobis ad Kal. Jun. tractanda & perficienda ſunt : ſed hactenus. Q. filius ad patrem acerbissimas litteras misit ; quæ ſunt ei redditæ, quum veniſſemus in Pompeianum : quarum tamen erat caput, *Aquiliam novercam non eſſe laturum*. Sed hoc tolerabile fortaſſe ; illud verò ? *Se ab Cæſare habuiſſe omnia, nihil a patre, reliqua ſperare ab Antonio*. O perditum hominem ! ſed μελήσει. Ad Brutum noſtrum, ad Caſsium, ad Dolabellam epiſtolas ſcripsi : earum exempla tibi misi, non ut deliberarem reddendæne eſſent (planè enim judico eſſe reddendas) ſed quòd non dubito, quin tu idem exiſtimaturus sis. Ciceroni meo, mi Attice, ſuppeditabis quantum videbitur, meque hoc tibi onus imponere patiere : quæ adhuc feciſti, mihi ſunt gratissima. Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, ut volui, perpolivi : iſta verò, quæ tu contexi vis, aliud quoddam ſeparatum volumen exſpectant. Ego autem (credas mihi velim) minore periculo exiſtimo contra illas nefarias partes, vivo tyranno, dici potuiſſe, quàm mortuo : ille enim neſcio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter ; nunc, quacumque nos commovimus, ad Cæſaris non modò acta, verùm etiam cogitata revocamur. De Montano, quoniam Flamma venit, videbis : puto rem meliore loco eſſe debere.

CICERO DOLABELLÆ COS. SUO S.

ETSI contentus eram, mi Dolabella, tuâ gloriâ, ſatiſque ex ea magnam lætitiam voluptatemque capiebam: tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd vulgò hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus. Neminem conveni (convenio autem quotidie plurimos: ſunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causâ in his locis conveniunt; præterea ex municipiis frequentes neceſſarii mei) quin omnes, quum te ſummis laudibus ad cœlum extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant: negant enim ſe dubitare, quin tu meis præceptis, & conſiliis obtemperans, præſtantissimum te civem, & singularem conſulem præbeas. Quibus ego quamquam veriſſimè poſſum reſpondere, te, quæ facias, tuo judicio, & tuâ ſponte facere, nec cujuſquam egere conſilio; tamen neque planè aſſentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis conſiliis profecta videatur; neque valde nego. Sum enim avidior, etiam quàm ſatis eſt, gloriæ. Et tamen non alienum dignitate tuâ, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honeſtum, habere aliquem in conſiliis capiendis Neſtorem: mihi verò glorioſum, te juvenem conſulem florere laudibus,

quaſi alumnum diſciplinæ meæ. L. quidem Cæſar, quum ad eum ægrotum Neapolim veniſſem, quamquam erat oppreſſus totius corporis doloribus, tamen antè, quàm me planè ſalutavit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, quum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud ſororis filium valerem, jam ſalvi eſſe poſſemus: Dolabellæ verò tuo & gratulor, & gratias ago; quem quidem, poſt te conſulem, ſolum poſſumus verè conſulem dicere. Dein multa de facto, ac de re geſta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum umquam, nihil reipublicæ ſalutarius: atque hæc una vox omnium eſt. A te autem peto, uti me hanc quasi falſam hereditatem alienæ gloriæ sinas cernere, meque aliqua ex parte in ſocietatem tuarum laudum venire patiare. Quamquam, mi Dolabella (hæc enim jocatus ſum) libentiùs omnes meas, si modò ſunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauſerim ex tuis: nam quum te ſemper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti; tum his tuis factis sic incenſus ſum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. Nihil eſt enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut ſcis, M. Brutum, propter ejus ſummum ingenium, ſuavissimos mores, sin-

gularem probitatem atque conſtantiam ; tamen Idibus Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere ? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe. Quare quid eſt, quòd ego te hortter, ut dignitati & gloriæ ſervias ? proponam tibi claros viros, quod facere ſolent, qui hortantur ? neminem habeo clariorem, quàm te ipſum. Te imitere oportet, tecum ipſe certes : ne licet quidem tibi jam, tantis rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. Quod quum ita ſit, hortatio non eſt neceſſaria ; gratulatione magis utendum eſt. Contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini, ut ſumma ſeveritas animadverſionis non modò non invidioſa, ſed etiam popularis eſſet, & quum bonis omnibus, tum infimo cuique gratiſſima. Hoc ſi tibi fortunâ quadam contigiſſet, gratularer felicitati tuæ : ſed contigit magnitudine quum animi, tum etiam ingenii, atque conſilii. Legi enim concionem tuam : nihil illâ ſapientius : ita pedetentim & gradatim tum acceſſus a te ad cauſam facti, tum receſſus, ut res ipſa maturitatem tibi animadvertendi omnium conceſſu daret. Liberaſti igitur & urbem periculo, & civitatem metu ; ne-

quæ ſolùm ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes, in te poſitam eſſe remp. ſibique non modò tuendos, ſed etiam ornandos illos viros, a quibus initium libertatis profectum eſt. Sed his de rebus coràm plura propediem, ut ſpero. Tu, quoniam remp. noſque conſervas, fac ut diligentiſſimè te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias.

CICERO ATTICO SAL.

18. SÆPIUS me jam agitas, quòd rem geſtam Dolabellæ nimis in cœlum videar efferre: ego autem, quamquam ſanè probo factum, tamen ut tantopere laudarem, adductus ſum tuis unis, & alteris litteris. Sed totum ſe a te abalienavit Dolabella, eâ de cauſâ, quâ me quoque ſibi inimiciſſimum reddidit. O hominem pudentem! Kalend. Jan. debuit; adhuc non ſolvit, præſertim quum ſe maximo ære alieno Faberii manu liberarit, & opem ab eo petierit: licet enim jocari, ne me valde conturbatum putes. Atque ego ad eum VIII Idus litteras dederam bene manè: eodem autem die tuas litteras veſperi acceperam in Pompeiano, ſanè celeriter, tertio abs te die. Sed, ut ad te eo ipſo die ſcripſeram, ſatis aculeatas ad Dolabellam litteras dedi; quæ ſi nihil profecerint, puto

fore, ut me præſentem non ſuſtineat. Albianum te confeciſſe arbitror. De Patulciano nomine, quòd mihi ſuppeditatus es, gratissimum eſt, & simile tuorum omnium: ſed ego Erotem ad iſta expedienda factum mihi videbar reliquiſſe; cujus non sine magna culpa vacillarunt: ſed cum ipſo videro. De Montano, ut ſæpe ad te ſcripsi, erit tibi tota res curæ. Servius proficiſcens, quòd deſperanter tecum locutus eſt, minimè miror; neque ei quidquam in deſperatione concedo. Brutus noſter, singularis vir, si in ſenatum non eſt Kal. Juniis venturus, quid facturus sit in foro, neſcio: ſed hoc ipſe meliùs. Ego ex his, quæ parari video, non multum Idibus Martiis profectum judico: itaque de Græcia quotidie magis & magis cogito: nec enim Bruto meo, exsilium, ut ſcribis ipſe, meditanti, video quid prodeſſe possim. Leonidæ me litteræ non ſatis delectarunt. De Herode tibi aſſentior. Saufeii legiſſe vellem. Ego ex Pompeiano VI Idus Mai. cogitabam.

Cicero Attico Sal.

19. Non. Mai. quum eſſem in Pompeiano, accepi binas a te litteras, alteras ſexto die, alteras quarto: ad ſuperiores igitur priùs. Quàm mihi jucundum, opportunè tibi Barnæum litteras reddidiſſe! Tu verò cum Caſsio, ut cetera. Quàm commo-

dè autem, quòd id ipſum quod me mones, quatriduo antè ad eum ſcripſeram, exemplumque mearum litterarum ad te miſeram! Sed quum Dolabellæ ἀτιστία (sic enim tu ad me ſcripſeras) magnâ deſperatione affectus eſſem; ecce tibi & Bruti, & tuæ litteræ: ille exsilium meditari. Nos autem alium portum propiorem huic ætati videbamus; in quem mallem equidem pervehi florente Bruto noſtro, conſtitutâque republicâ: ſed nunc quidem, ut ſcribis, *non* utrumvis: aſſentiris enim mihi, noſtram ætatem a caſtris, præſertim civilibus, abhorrere. Antonius ad me tantùm de Clòdio reſcripsit, meam lenitatem & clementiam & sibi eſſe gratam, & mihi voluptati magnæ fore. Sed Panſa furere videtur de Clodio, itemque de Dejotaro; & loquitur ſeverè, si velis credere: illud tamen non bellè, ut mihi quidem videtur, quòd factum Dolabellæ vehementer improbat. De coronatis, quum ſororis tuæ filius a patre accuſatus eſſet, reſcripsit ſe coronam habuiſſe honoris Cæſaris causâ; poſuiſſe luctûs gratiâ: poſtremò, ſe libenter vituperationem ſubire, quòd amaret etiam mortuum Cæſarem. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, ſcripsi diligenter: ergo etiam ad Sicam: tibi hoc oneris non impono: nolo te illum iratum habere. Servii orationem

cognoſco ; in qua plus timoris video , quàm conſilii : ſed quoniam perterriti omnes ſumus , aſſentior Servio. Publilius tecum tricatus eſt : huc enim Cærellia miſſa ab iſtis eſt legata ad me ; cui facilè perſuasi , mihi id , quod rogaret , ne licere quidem , non modò non lubere. Antonium si videro , accuratè agam de Buthroto. Venio ad recentiores litteras : quanquam de Servio jam reſcripsi , me facere magnam πρᾶξιν Dolabellæ. Mihi mehercule ita videtur , non potuiſſe major tali re , talique tempore ; ſed tamen , quidquid ei tribuo , tribuo ex tuis litteris : tibi verò aſſentior , majorem πρᾶξιν ejus fore , si mihi , quod debuit , diſſolverit. Brutus , velim , sit Aſturæ. Quòd autem laudas me , quòd nihil antè de profectione conſtituam , quàm , iſta quò evaſura sint , videro , muto ſententiam ; neque quidquam tamen antè , quàm te videro. Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo : cui quidem ego totam villam , cellamque tradidi ; eamque cogitabam v Idus videre. Tu Atticæ ſalutem dices : nos Piliam diligenter tuebimur.

CICERO ATTICO SAL.

20. E POMPEIANO navi advectus ſum in Luculli noſtri hoſpitium vi Idus , horâ ferè tertiâ : egreſſus autem e navi , accepi

s litteras, quas tuus tabellarius in Cu-
num attuliſſe dicebatur, Nonis Mai.
is; a Lucullo poſtridie eâdem ferè ho-
quâ veni, VII Idus Lanuvio datas:
i igitur ad omnes. Primùm, quæ de re
l geſta & in ſolutione, & in Albiano ne-
lo, grata. De tuo autem Buthroto,
m in Pompeiano eſſem, Miſenum ve-
Antonius: inde antè diſceſſit, quàm
m veniſſe audiſſem: a quo in Samnium:
e, quid ſperes. Romæ igitur de Bu-
to. L. Antonii horribilis concio, Do-
llæ præclara: jam vel ſibi habeat num-
s, modò numeret Idibus. Tertullæ nol-
abortum: tam enim Caſſii ſunt jam,
m Bruti ferendi. De regina velim, at-
etiam de Cæſare illo. Perſolvi primæ
tolæ: venio ad ſecundam. De quin-
Buthroto, quum veneto, ut ſcri-
Quòd Ciceroni ſuppeditas, gratum.
od errare me putas, qui rempublicam
un pendere e Bruto; sic ſe res habet:
nulla erit, aut ab iſto iſtiſve ſervabi-
Quòd me hortaris, ut ſcriptam con-
iem mittam; accipe a me, mi Attice,
λικὸν θεώρημα earum rerum, in quibus
s exercitati ſumus. Nemo umquam ne-
poeta, neque orator fuit, qui quem-
m meliorem quàm ſe arbitraretur: hoc
m malis contingit: quid tu Bruto pu-
& ingenioſo, & erudito? de quo

etiam experti ſumus nuper in edicto. Scripſeram rogatu tuo: meum mihi placebat, illi ſuum. Quin etiam, quum ipsius precibus pene adductus ſcripsiſſem ad eum de optimo genere dicendi, non modò mihi, ſed etiam tibi ſcripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. Quare sine, quæſo, sibi quemque ſcribere. *Suam cuique ſponſam, mihi meam; ſuum cuique amorem, mihi meum.* Non ſcitè; hoc enim Attilius, poeta durissimus. Atque utinam liceat iſti concionari; cui si eſſe in urbe tuto licebit, vicimus: ducem enim novi belli civilis aut nemo ſequetur, aut ii ſequentur, qui facilè vincantur. Venio ad tertiam. Gratas fuiſſe meas litteras Bruto, & Cassio gaudeo: itaque iis reſcripsi. Quòd Hirtium per me meliorem fieri volunt; do equidem operam; & ille optimè loquitur: ſed vivit, habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur: quid credas, videris. Dolabellam valde placere tibi video; mihi quidem egregiè. Cum Panſa vixi in Pompeiano: is planè mihi probabat ſe bene ſentire, & cupere pacem. Cauſam armorum quæri planè video. Edictum Bruti & Cassii probo. Quæris, ut ſuſcipiam cogitationem, quidnam iſtis agendum putem: consilia temporum ſunt; quæ in horas commutari vides. Dolabellæ & prima illa actio, & hæc contra Antonium concio

mihi profeciſſe permultum videtur. Prorſus ibat res : nunc autem videmur habituri ducem ; quod unum municipia bonique deſiderant. Epicuri mentionem facis, & audes dicere, μὴ πολιτεύεσθαι ? non te Bruti noſtri vulticulus ab iſta oratione deterret ? Q. filius, ut ſcribis, Antonii eſt dextella : per eum igitur, quod volemus, facilè auferemus. Exſpecto, si, ut putas, L. Antonius produxit Octavium, qualis concio fuerit. Hæc ſcripsi citatim ; ſtatim enim Cassii tabellarius. Eram continuò Piliam ſalutaturus : deinde ad epulas Veſtorii, naviculâ. Atticæ plurimam ſalutem.

Cicero Attico Sal.

21. Quum paulò antè dediſſem ad te Cassii tabellario litteras, v Idus venit noſter tabellarius, & quidem portenti simile, sine tuis litteris : ſed citò conjeci Lanuvii te fuiſſe : Eros autem feſtinavit, ut ad me litteræ Dolabellæ perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat) ſed reſcripsit ad eas, quarum exemplum tibi miſeram, ſanè luculentè. Ad me autem, quum Cassii tabellarium dimisiſſem, ſtatim Balbus. O dii boni, quàm facilè perſpiceres timere otium ! & noſti vultum, quàm tectus : ſed tamen Antonii consilia narrabat ; illum circumire veteranos, ut acta Cæſaris ſancirent ; id-

que ſe facturos eſſe jurarent, ut ra
nes haberent ; eaque Duumviri o
menſibus inſpicerent. Queſtus eſt
de ſua invidia ; eaque omnis ejus
fuit, ut amare videretur Antonium
quæris ? nihil sinceri. Mihi autem n
dubium, quin res ſpectet ad caſtr
enim illa res eſt animo virili, consili
rili. Quis enim hoc non vidit, he
redem relictum ? quid autem abſt
Hoc metuère, alterum in metu non p
Quin etiam hoc ipſo tempore mul
πόλισμα : Pontii Neapolitanum a ma
rannoctoni possideri ? Legendus m
pius eſt Cato major, ad te miſſus
riorem enim me ſenectus facit :
chor omnia. Sed mihi quidem p
viderint juvenes. Tu mea curabis,
ras. Hæc ſcripsi, ſeu dictavi, appo
cundâ menſâ apud Veſtorium. P
apud Hirtium cogitabam : & quid
πέλοιπον. Sic hominem traducere a
mates paro. Λῆρος πολύς. Nemo e
rum, qui otium non timeat. Qua
ria videamus : quidvis enim potius
caſtra. Atticæ ſalutem plurimam v
cas. Exſpecto Octavii concionem,
quid aliud ; maximè autem ecquid
bella tinniat ; an in meo nomine

CICERO ATTICO SAL.

22. CERTIOR a Pilia factus, mitti ad te Idibus tabellarios, ſtatim hoc neſcio quid exaravi. Primùm igitur ſcire te volui, me hinc Arpinum XVI Kalend. Jun. eò igitur mittes, si quid erit poſthac; quamquam ipſe jam jamque adero: cupio enim antè, quàm Romam venio, odorari diligentiùs, quid futurum sit. Quamquam vereor, ne nihil conjecturâ aberrem; minimè enim obſcurum eſt, quid iſti moliantur (meus verò diſcipulus, qui hodie apud me cœnat, valde amat illum, quem Brutus noſter ſauciavit) &, si quæris (perſpexi enim planè) timent otium: ὑπόθεσιν autem hanc habent, eamque præ ſe ferunt, virum clarissimum interfectum; totam rempublicam illius interitu perturbatam: irrita fore, quæ ille egiſſet, simul ac desiſteremus timere: clementiam illi malo fuiſſe; quâ si uſus non eſſet, nihil ei tale accidere potuiſſe. Mihi autem venit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo veniat, quod eſt εὔλογον, certè fore bellum. Hæc me ſpecies cogitatioque perturbat: neque enim jam, quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit; nam apertè lætati ſumus: deinde habent in ore, nos ingratos. Nullo modo licebit, quod tum & tibi licuit, & multis. Φαινοπροσωπητέον er-

go , & ἰτέον in caſtra ? millies mori
lius , huic præſertim ætati. Itaque me
Mart. non tam conſolantur , quàm a
magnum enim mendum continent. Et
juvenes :

Ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ' ἀπωθοῦνται ψόγ

Sed , si tu melius quippiam ſperas ,
& plura audis , & interes consiliis ;
bas ad me velim , simulque cogites ,
agendum nobis sit ſuper legatione v
Equidem in his locis moneor a m
ne in ſenatu Kalend. dicuntur enim
cultè milites ad eam diem comparati
quidem in iſtos ; qui mihi videntur u
tutiùs , quàm in ſenatu , fore.

EPISTOLÆ
D ATTICUM.
R DECIMUS QUINTUS.

valde differens eſt libri hujus argumentum prioris ſententiâ. Scriptæ enim epiſtolæ ſunt, quum adhuc Romæ negotia tume-Antoniuſque & Octavius ita omnia miſ-, ut, quamvis neque planè bellum, neque ſet, appareret tamen rem ad arma de-iri. Quo quidem tempore Cicero ſibi ſimulque filium Athenis philoſophiæ dantem, cupiens inviſere; quum jus legationis a Dolabella, non autem pro-lis; nempe Syriacæ, ut Plutarcho placet, (id enim ex his epiſtolis ac Philippicâ cognoſcitur) iter cœpit in Græciam, eo o, ut Kal. Jan. adeſſet, quod initium ſenatûs fore, Hirtio & Panſa conſu-ineuntibus, videbatur. Dum ſpes verò meliorum rerum fuit, Brutuſque & Caſ-ratores urbani, quibus maximè recupe-reip. ratio nitebatur, si non Romæ, in is tamen locis, manebant; perque lit-& edicta cum Antonio populoque agebant; ut ille pedem. Cedentibus autem illis, & onſilium cepit abeundi. Hæc illorum tem-hiſtoria eſt. Privatim tamen in his epiſto-ra continentur, quæ perſequi longum eſſet. a ſunt ex ante XVI Kalend. Jun. ad Quint. MALASPINA.

CICERO ATTICO SAL.

1. O FACTUM malè de Alexione! Incredibile eſt, quantâ me moleſtiâ affecerit; nec mehercule ex ea parte maximè, quòd plerique mecum: Ad quem igitur te medicum conferes? Quid mihi jam medico? aut si opus eſt, tanta inopia eſt? amorem erga me, humanitatem, ſuavitatemque desidero. Etiam illud; quid eſt, quod non pertimeſcendum sit; quum hominem temperantem, ſummum medicum, tantus improvisò morbus oppreſſerit? Sed ad hæc omnia una conſolatio eſt, quòd eâ conditione nati ſumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recuſare debeamus. De Antonio, jam antea tibi ſcripsi, non eſſe eum a me conventum: venit enim Miſenum, quum ego eſſem in Pompeiano: inde antè profectus eſt, quàm ego eum veniſſe cognovi. Sed caſu, quum legerem tuas litteras, Hirtius erat apud me in Puteolano: ei legi; & egi: primum quod attinet, nihil mihi concedebat: deinde ad ſummam, arbitrum me ſtatuebat non modò hujus rei, ſed totius conſulatûs ſui. Cum Antonio autem sic agemus, ut perſpiciat, si in eo negotio nobis ſatisfecerit, totum me futurum ſuum. Dolabellam ſpero domi eſſe. Redeamus ad noſtros; de quibus tu bonam ſpem te significas

ere propter ediſtorum humanitatem :
autem perſpexi , quum a me XVII
end. de Puteolano Neapolim Panſæ
veniendi causâ proficiſceretur Hirtius ,
nem ejus ſenſum ; ſeduxi enim , & ad
em ſum cohortatus. Non poterat ſcili-
negare , ſe velle pacem ; ſed non mi-
ſe noſtrorum arma timere , quàm An-
ii : & tamen utroſque non sine cauſa
sidium habere ; ſe autem utraque arma
tuere. Quid quæris ? ὑδὲν ὑγιές. De Q.
o tibi aſſentior : patri quidem certè
tissimæ , & bellissimæ tuæ litteræ fue-
nt. Cærelliæ verò facilè ſatisfeci ; nec
de laborare mihi viſa eſt ; & , si illa , ego
tè non laborarem. Iſtam verò , quam
i moleſtam ſcribis eſſe , auditam a te eſſe
mino demiror : nam quòd eam collau-
ii. apud amicos ; audientibus tribus filiis
s , & filiâ , ὐ ταυτὸ ἐκ τῦ αὐτῦ. Quid
hoc ? quid eſt autem , cur ego perſo-
tus ambulem ? parumne fœda perſona
ipsius ſeneſtutis ? Quòd Brutus rogat ,
ante Kalendas , ad me quoque ſcripsit ;
fortaſſe faciam : ſed planè quid velit ,
ſcio : quid enim illi aſſerre consilii poſ-
m , quum ipſe egeam consilio ? & quum
e ſuæ immortalitati meliùs , quàm noſ-
otio conſuluerit ? De regina rumor
ſtinguetur. De Flamma , obſecro te , si
id potes. Here dederam ad te litteras

exiens é Puteolano, deverteramque in Cumanum: ibi bene valentem videram Piliam: quin etiam Baulos Cumis eam vidi: venerat enim in funus; cui funeri ego quoque operam dedi. Cn. Lucullus, familiaris noſter, matrem efferebat. Manſi igitur eo die in Sinueſſano; atque inde manè poſtridie Arpinum proficiſcens hanc epiſtolam exaravi. Erat autem nihil novi, quod aut ſcriberem, aut ex te quærerem; niſi fortè hoc ad rem putas pertinere. Brutus noſter miſit ad me orationem ſuam, habitam in concione Capitolina; petivitque a me, ut eam nec ambitiosè corrigerem antè, quàm ederet: eſt autem oratio ſcripta elegantissimè ſententiis, verbis, ut nihil possit ultrà. Ego tamen, si illam cauſam habuiſſem, ſcripsiſſem ardentiùs ὑποθέσεως. Vides, quæ ſit perſona dicentis. Itaque eam corrigere non potui: quo enim in genere Brutus noſter eſſe vult, & quod judicium habet de optimo genere dicendi, id ita conſecutus eſt in ea oratione, ut elegantius eſſe nihil possit: ſed ego totus alius ſum; sive hoc rectè, sive non rectè. Tu tamen velim orationem legas, niſi fortè jam legiſti, certioremque me facias, quid judices ipſe. Quamquam vereor, ne cognomine tuo lapſus ὑπεραττικὸς sis in judicando: ſed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges poſſe & ἀττικώτατα gravissimè

gravissimè dici : ſed hæc coràm. Nunc nec sine epiſtola, nec cum inani epiſtola volui ad te Metrodorum venire.

CICERO ATTICO SAL.

2. QUINTO decimo Kalendas e Sinueſſano proficiſcens, quum dediſſem ad te litteras, devertiſſemque a Cumis in Veſciano, accepi a tabellario tuas litteras; in quibus nimis multa de Buthroto : non enim tibi ea res majori curæ aut eſt, aut erit, quàm mihi : sic enim decet, te mea curare, tua me : quamobrem id quidem sic ſuſceptum eſt mihi, ut nihil sim habiturus antiquius. L. Antonium concionatum eſſe, cognovi tuis litteris & aliis, ſordidè; ſed, id quale fuerit, neſcio : nihil enim ſcripsiſti. De Menedemo probè. Quintus certè ea dictitat, quæ ſcribis. Consilium meum a te probari, quòd ea non ſcribam, quæ tu a me poſtularis, facilè patior; multóque magis id probes, si orátionem eam, de qua hodie ad te ſcripsi, legeris. Quæ de legionibus ſcribis, ea vera ſunt : ſed non ſatis hoc mihi videris tibi perſuasiſſe, qui de Buthrotiis noſtris per ſenatum ſperes confici poſſe. Quod puto (tantùm enim video) non videmur eſſe victuri : ſed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. De Octavii concione idem ſentio, quod tu; ludorumque

ejus apparatus, & Matius, ac Poſtumius mihi procuratores non placent. Saſerna collega dignus. Sed iſti omnes, quemadmodum ſentis, non minùs otium timent, quàm nos arma. Balbum levari invidiâ per nos velim; ſed ne ipſe quidem id fieri poſſe confidit: itaque alia cogitat. Quòd prima diſputatio Tuſculana te confirmat, ſanè gaudeo; neque enim ullum eſt perfugium aut melius, aut paratius. Flamma quòd bene loquitur, non moleſtè fero. Tyndaritanorum cauſa, de qua tam laboras, quæ ſit ignoro. Hos tamen. Πεντέλοιπον movere iſta videntur, in primis erogatio pecuniæ. De Alexione doleo; ſed, quoniam inciderat in ita gravem morbum, bene actum cum illo arbitror: quos tamen ſecundos heredes, ſcire vellem, & diem teſtamenti.

CICERO ATTICO SAL.

3. UNDECIMO Kalend. accepi in Atinati duas epiſtolas tuas, quibus duabus meis reſpondiſti: una erat XV Kal. altera XII data: ad ſuperiorem igitur priùs. Accurres in Tuſculanum, ut ſcribis: quò me VI Kal. venturum arbitrabar. Quòd ſcribis parendum victoribus: non mihi quidem, cui ſunt multa potiora. Nam illa, quæ recordaris Lentulo & Marcello coſſ. facta in æde Apollinis; nec cauſa eadem eſt,

nec ſimile tempus ; præſertim quum Marcellum ſcribas, alioſque diſcedere. Erit igitur nobis coràm odorandum, & conſtituendum, tutóne Romæ eſſe poſſimus. Novi conventûs habitatores ſanè movent ; in magnis enim verſamur anguſtiis : ſed ſint iſta parvi : quin & majora contemnimus. Calvæ teſtamentum cognovi, hominis turpis ac ſordidi. Tabula Demonici quòd tibi curæ eſt, gratum. De Mario ſcripsi jam pridem ad Dolabellam accuratiſſimè ; modò redditæ litteræ ſint : ejus causâ & cupio, & debeo. Venio ad propiorem. Cognovi de Alexione, quæ deſiderabam. Hirtius eſt tuus. Antonio quàm eſt, volo pejus eſſe. De Quinto filio, ut ſcribis, ἰλλώς. De patre coràm agemus. Brutum omni re, quâ poſſum, cupio juvare ; cujus de oratiuncula idem te, quod me, ſentire video : ſed parum intelligo, quid me velis ſcribere, quasi a Bruto habitâ oratione, quum ille ediderit : quî tandem convenit ? an sic ut in tyrannum jure optimo cæſum ? multa dicentur, multa ſcribentur a nobis ; ſed alio modo & tempore. De ſella Cæſaris bene tribuni : præclaros etiam XIV ordines. Brutum apud me fuiſſe gaudeo ; modò & libenter fuerit, & ſat diu.

CICERO ATTICO SAL.

4. DECIMO Kalend. horâ VIII ferè a Q. Fufio venit tabellarius : neſcio quid ab eo litterularum, uti me sibi reſtituerem, ſanè inſulsè, ut ſolet; nisi fortè, quæ non ames, omnia videntur inſulsè fieri : ſcripsi ita, ut te probaturum exiſtimem. Mihi duas a te epiſtolas reddidit, unam XI, alteram X : ad recentiorem priùs. Et legio ? rem laudo : si verò etiam Carſulenus, ἄνω ποταμῶν. Antonii consilia narras turbulenta : atque utinam potiùs per populum agat, quàm per ſenatum ! quod quidem ita credo. Sed mihi totum ejus consilium ad bellum ſpectare videtur, si quidem D. Bruto provincia eripitur : quoquo modo ego de illius nervis exiſtimo, non videtur fieri poſſe sine bello ; ſed non cupio, quoniam cavetur Buthrotiis. Rides ? At ego doleo, non meâ potiùs assiduitate, diligentiâ, gratiâ perfici. Quòd ſcribis te neſcire, quid noſtris faciendum sit ; jam pridem me illa ἀπορία ſollicitat. Itaque ſtulta jam Iduum Martiarum eſt conſolatio : animis enim usi ſumus virilibus ; consiliis, mihi crede, puerilibus : exciſa enim eſt arbor, non evulſa ; itaque quàm fruticetur, vides. Redeamus igitur, quoniam ſæpe uſurpas, ad Tuſculanas diſputationes. Saufeium per te celemus : ego numquam indicabo. Quòd

te a Bruto ſcribis, ut certior fieret, quo die in Tuſculanum eſſem venturus; ut ad te antè ſcripsi, VI Kal. & quidem ibi te quamprimum pervidere velim: puto enim nobis Lanuvium eundum, & quidem non sine multo ſermone: ſed μελήσει. Redeo ad ſuperiorem: ex qua prætereo illa prima de Buthrotiis, quæ mihi ſunt incluſa medullis; sit modò, ut ſcribis, locus agendi. De oratione Bruti prorſus contendis, quum iterum tam multis verbis agis: egone ut eam cauſam, quam is ſcripsit? ego ſcribam non rogatus ab eo? nulla παρεγχείρησις fieri poteſt contumeliosior. At, inquis, Ἡρακλείδειον aliquod: non recuſo id quidem; ſed & componendum argumentum eſt, & ſcribendi exſpectandum tempus maturius. Licet enim de me, ut libet, exiſtimes (velim quidem quàm optimè) si hæc ita manent, ut videntur (feres quod dicam) me Idus Martiæ non delectant: ille enim numquam revertiſſet: nos timor confirmare ejus acta non coëgiſſet: aut (ut in Saufeii eam, relinquamque Tuſculanas diſputationes, ad quas tu etiam Veſtorium hortaris) ita gratiosi eramus apud illum, quem dii mortuum perduint, ut noſtræ ætati, quoniam interfecto domino liberi non ſumus, non fuerit dominus ille fugiendus. Rubeo, mihi crede: ſed jam ſcripſeram; delere nolui. De Me-

nedemo, vellem verum fuiſſet. De regina, velim verum sit. Cetera coràm, & maximè, quid noſtris faciendum sit; quid etiam nobis, si Antonius militibus obſeſſurus eſt ſenatum. Hanc epiſtolam si illius tabellario dediſſem, veritus ſum, ne ſolveret; itaque misi deditâ operâ; erat enim reſcribendum tuis. Quàm vellem, Bruto ſtudium tuum navare potuiſſes! ego igitur ad eum litteras. Ad Dolabellam Tironem misi cum mandatis, & litteris: eum ad te vocabis; &, si quid habebis, quod placeat, ſcribes. Ecce autem de traverſo L. Cæſar, ut veniam ad ſe, rogat, in Nemus; aut ſcribam, quò ſe venire velim: Bruto enim placere, ſe a me conveniri. O rem odioſam & inexplicabilem! puto me ergo iturum, & inde Romam; nisi quid mutaro. Summatim adhuc ad te; nihil dum enim a Balbo: tuas igitur exſpecto, nec actorum ſolùm, ſed etiam futurorum.

CICERO ATTICO SAL.

5. POST tuum diſceſſum binas a Balbo: nihil novi: itemque ab Hirtio; qui ſe ſcribit vehementer offenſum eſſe veteranis. Exſpectat animus, quidnam agant de Kal. misi igitur Tironem, & cum Tirone plures, quibus singulis, ut quidque accidiſſet, dares litteras: atque etiam ſcripsi ad Antonium de legatione; ne, si ad Do-

labellam ſolum ſcripsiſſem, iracundus homo commoveretur : quòd autem aditus ad eum difficilior eſſe dicitur ; ſcripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas litteras redderet, legatione mihi opus eſſe. Honeſtior eſt votiva : ſed licet uti utrâque. De re, quæſo, etiam atque etiam vide : velim possis coràm; si minùs possis, litteris idem conſequemur. Græceius ad me ſcripsit, C. Cassium sibi ſcripsiſſe, homines comparari, qui armati in Tuſculanum mitterentur : id quidem mihi non videbatur ; ſed cavendum tamen, villæque plures videndæ. Sed aliquid craſtinus dies ad cogitandum nobis de ea re.

CICERO ATTICO SAL.

6. A BRUTO tabellarius rediit ; attulit & ab eo, & a Cassio. Consilium meum magnopere exquirunt ; Brutus quidem, utrum de duobus. O rem miſeram ! planè non habeo quid ſcribam : itaque silentio puto me uſurum ; nisi quid aliud tibi videtur : sin tibi quid venit in mentem, ſcribe, quæſo. Cassius verò vehementer orat ac petit, ut Hirtium quàm optimum faciam. Sanum putas? ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς. Epiſtolam tibi misi. Ut tu de provincia Bruti, & Cassii per ſenatusconſultum ; ita ſcribit & Balbus & Hirtius : qui quidem, ſe actutum ; etenim jam in Tuſculano eſt ; mihique, ut absim, vehementer auctor eſt :

& ille quidem periculi cauſâ, quod ſibi etiam fuiſſe dicit; ego autem, etiam ut nullum periculum ſit: tantum abeſt, ut Antonii ſuſpicionem fugere nunc curem, ne videar ejus ſecundis rebus non delectari, ut mihi cauſa ſit, cur Romam venire nolim, ne illum videam. Varro autem noſter ad me epiſtolam miſit, ſibi a neſcio quo miſſam (nomen enim delerat) in qua ſcriptum erat, veteranos eos, qui rejiciantur (nam partem eſſe dimiſſam) improbissimè loqui; ut magno periculo Romæ ſint futuri, qui ab eorum partibus diſſentire videantur. Qui porrò noſter itus, reditus, vultus, inceſſus inter iſtos? Quòd si, ut ſcribis, L. Antonius in Decimum, reliqui in noſtros; ego quid faciam? aut quo me pacto geram? Mihi verò deliberatum eſt, ut nunc quidem eſt, abeſſe ex ea urbe, in qua non modò florui cum ſumma, verùm etiam ſervivi cum aliqua dignitate; nec tam ſtatui ex Italia exire, de quo tecum deliberabo, quàm iſtuc non venire.

CICERO ATTICO SAL.

7. QUUM ad me Brutus noſter ſcripsiſſet & Cassius, ut Hirtium, quem adhuc bonum fuiſſe ſciebant, neque eum confidebant fore, meâ auctoritate meliorem facerem (Antonio eſt enim fortaſſe iratior,

cauſæ verò amicissimus) tamen ad eum ſcripsi, eique dignitatem Bruti, & Cassii commendavi. Ille quid mihi reſcripsiſſet, ſcire te volui; si fortè idem tu, quod ego, exiſtimares, iſtos etiam nunc vereri, ne fortè ipsi noſtri plus animi habeant, quàm habent.

HIRTIUS CICERONI SUO, S.

R**URE** *jam redierim, quæris; an ego, quum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam. Etiam ex urbe ſum profectus; utilius enim ſtatui abeſſe. Has tibi litteras exiens in Tuſculanum ſcripsi. Noli autem me tam ſtrenuum putare, ut ad Nonas recurram: nihil enim jam video opus eſſe noſtrâ curâ; quoniam præsidia ſunt in tot annos proviſa. Brutus, & Cassius utinam, quàm facilè a te de me impetrare poſſunt, ita per te exorentur, ne quod calidius ineant consilium! cedentes enim hæc ais ſcripsiſſe: quò? aut quare? Retine, obſecro te, Cicero, illos; & noli sinere hæc omnia perire, quæ funditus mediusfidius rapinis, incendiis, cædibus pervertuntur. Tantùm, si quid timent, caveant: nihil præterea moliantur. Non mediusfidius acerrimis consiliis plus, quàm etiam inertissimis, dum modò diligentibus, conſequentur: hæc enim, quæ fluunt, per ſe diuturna non ſunt; in contentione præſentes ad nocendum habent vires. Quid*

ſperes de illis, *in Tuſculanum ad me ſcribe.*

Habes Hirtii epiſtolam : cui reſcripsi, nil illos calidius cogitare, idque confirmavi. Hoc qualecumque eſſet, te ſcire volui Obsignatâ jam epiſtolâ, Balbus ad me, Serviliam rediiſſe, confirmare non diſceſſuros. Nunc exſpecto a te litteras.

CICERO ATTICO SAL.

8. TERTIO Nonas veſperi a Balbo redditæ mihi litteræ, fore Nonis ſenatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum, & ad urbem mittendum curarent O rem miſeram! primùm ullam ab iſtis; dein, si aliquam, hanc legatoriam provinciam : atque haud ſcio an melius sit, quàm ad Eurotam ſedere : ſed hæc caſus gubernabit. Ait autem, eodem tempore decretum iri, ut iis, & reliquis prætoriis provinciæ decernantur. Hoc certè melius, quàm illa Persice porticus : nolo enim Lacedæmonem longinquam Lanuvium exiſtimari. Rides, inquies, in talibus rebus? quid faciam? plorando feſſus ſum. Dii immortales! quàm me conturbatum tenuit epiſtolæ tuæ prior pagina! quid autem iſte in domo tua caſus armorum? ſed hunc quidem nimbum citò transiiſſe lætor. Tu quid egeris tuâ quum triſti, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exſpecto : eſt enim

inexplicabilis : ita circumſedemur copiis omnibus. Me quidem Bruti litteræ, quas oſtendis a te lectas, ita perturbarunt, ut, quamquam antè egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. Sed plura, quum iſta cognôro. Hoc autem tempore, quod ſcriberem, nihil erat, eóque minùs, quòd dubitabam, tu has ipſas litteras eſſesne accepturus : erat enim incertum, viſuruſne te eſſet tabellarius. Ego tuas litteras vehementer exſpecto.

CICERO ATTICO SAL.

9. O BRUTI amanter ſcriptas litteras! ô iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non possis! ego autem quid ſcribam? ut beneficio iſtorum utantur? quid turpius? ut moliantur aliquid? nec audent, nec jam poſſunt. Age, quieſcant auctoribus nobis? quis incolumitatem præſtet: si verò aliquid de Decimo gravius; quæ noſtris vita, etiam si nemo moleſtus sit? Ludos verò non facere, quid fœdius? Frumentum imponere, quæ eſt alia Dionis legatio? aut quod munus in republica ſordidius? Prorſus quidem consilia tali in re ne iis quidem tuta ſunt, qui dant : ſed possim id negligere proficiens; fruſtra verò quid ingrediar? Matris consilio quum utatur, vel etiam precibus, quid me interponam? Sed tamen cogitabo, quo ge-

nere utar litterarum ; nam ſilere non poſſum. Statim igitur mittam vel Antium, vel Circæos.

CICERO ATTICO SAL.

10. ANTIUM veni ante XI Kal. Bruto jucundus noſter adventus : deinde, multis audientibus, Serviliâ, Tertullâ, Porciâ, quærere, quid placeret : aderat etiam Favonius. Ego, quod eram meditatus in via, ſuadere, ut uteretur Asiaticâ curatione frumenti ; nihil eſſe jam reliqui, quod ageremus, niſi ut ſalvos eſſe ; in eo etiam ipſi republicæ eſſe præſidium : quam orationem quum ingreſſus eſſem, Caſſius intervenit. Ego eadem illa repetivi. Hoc loco, fortibus ſanè oculis, Caſſius (Martem ſpirare diceres) ſe in Siciliam non iturum. Egone, ut beneficium accepiſſe in contumeliam ? Quid ergo agis ? inquam. At ille, in Achaiam ſe iturum. Quid tu, inquam, Brute ? Romam, inquit, ſi tibi videtur. Mihi verò minimè ; tutò enim non eris. Quid ſi poſſem eſſe ? placeretne ? Atque ut omnino ; neque nunc, neque ex prætura in provinciam ires : ſed auctor non ſum, ut te urbi committas. Dicebam ea, quæ tibi profectò in mentem veniunt, cur non eſſet tutò futurus. Multo inde ſermone querebantur, atque id quidem Caſſius maximè, amiſſas oc-

ones ; Decimumque graviter accuſa-
. Ego negabam oportere præterita : aſ-
iebar tamen. Quumque ingreſſus eſſem
re , quid oportuiſſet, nec verò quid-
m novi , ſed ea , quæ quotidie omnes ;
tamen illum locum attingere, quem-
m præterea oportuiſſe tangi ; ſed ſena-
vocari , populum ardentem ſtudio
ementiùs incitari , totam ſuſcipere rem-
licam : exclamat tua familiaris ? *Hoc*
neminem umquam audivi. Ego repreſ-
Sed & Cassius mihi videbatur iturus
enim Servilia pollicebatur ſe curatu-
, ut illa frumenti curatio de ſenatus-
ſulto tolleretur) & noſter citò dejec-
eſt de illo inani ſermone ; velle enim
lixerat. Conſtituit igitur , ut ludi , ab-
e ſe , fierent ſuo nomine : proficiſci
m mihi in Asiam videbatur ab Antio
. Ne multa ; nihil me in illo itinere ,
ter conſcientiam , delectavit : non enim
committendum , ut ille ex Italia priùs ,
n a me conventus eſſet , diſcederet :
dempto munere amoris atque officii ,
iebatur , ut mecum ipſe :

' δεῦρ' ὁδός σοι τί δύναται νῦν θεοπρόπει ;

ſus diſſolutum offendi navigium , vel
ùs dissipatum : nihil consilio , nihil
ne , nihil ordine. Itaque etsi ne antea
em dubitavi , tamen nunc eò minùs ,

evolare hinc, idque quamprimum, ubi

Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.

Sed heus tu, ne fortè sis neſcius, Dolabella me ſibi legavit a d. IV Nonas: id mihi heri veſperi nuntiatum eſt. Votiva ne tibi quidem placebat: etenim erat abſurdum, quæ, ſi ſtetiſſet reſpublica, voviſſem, ea me, everſâ illâ, vota diſſolvere: & habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Juliâ; nec facilè addi poteſt ad hoc genus legationis, ut, quum velis, introire, exire, liceat; quod nunc mihi additum eſt: bella eſt autem hujus juris quinquennii licentia. Quamquam quid de quinquennio cogitem? contrahi mihi negotium videtur. Sed βλάσφημα mittamus.

CICERO ATTICO SAL.

11. BENE mehercule de Buthroto: at ego Tironem ad Dolabellam cum litteris, quia juſſeras, miſeram: quid nocet? De noſtris autem Antiatibus ſatis videbar planè ſcripsiſſe, ut non dubitares, eſſent quin otioſi futuri, uſurique beneficio Antonii contumelioſo. Cassius frumentariam rem aſpernabatur: eam Servilia ſublaturam ex ſenatusconſulto ſe eſſe dicebat. Noſter verò καὶ μάλα σκυθρωπὸς, in Asiam, poſtea quàm mihi eſt aſſenſus tutò ſe Romæ eſſe non

poſſe : ludos enim abſens facere malebat: navigia colligebat : erat animus in curſu: interea in eiſdem locis erant futuri: Brutus quidem ſe aiebat Aſturæ. L. quidem Antonius liberaliter litteris sine cura me eſſe jubet : habeo unum beneficium ; alterum fortaſſe, ni in Tuſculanum venerit. O negotia non ferenda ! quæ feruntur tamen. Τὴν δ' αἰτίαν τῶν βρούτων τίς εἶχεν; Octaviano, ut perſpexi, ſatis ingenii, ſatis animi ; videbaturque erga noſtros ἥρωας ita fore, ut nos vellemus, animatus : ſed quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει magni conſilii eſt : vitricus quidem nihil cenſebat ; quem Aſturæ vidimus. Sed tamen alendus eſt ; & ut nihil aliud, ab Antonio ſejungendus. Marcellus præclarè, si præcipit noſtro, noſtris ; cui quidem ille deditus mihi videbatur · Panſæ autem & Hirtio non nimis credebat. Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ.

CICERO ATTICO SAL.

12. OCTAVO Kal. duas a te accepi epiſtolas : reſpondebo igitur priori priùs. Aſſentior tibi, ut nec duces simus, nec agmen cogamus ; faveamus tamen. Orationem tibi misi : ejus cuſtodiendæ, & proferendæ arbitrium tuum : ſed quando illum diem, quum tu edendam putes ? Inducias, quas ſcribis, non intelligo fieri

poſſe : melior eſt ἀναντιφωνησία, quâ me uſurum arbitror. Quòd ſcribis legiones duas Brundisium veniſſe, vos omnia priùs: ſcribes igitur, quidquid audieris. Varronis διάλογον exſpecto. Jam probo Ἡρακλείδειον, præſertim quum tu tantopere delectere: ſed quale velis, velim ſcire. Quod ad te antea, atque adeo *priùs* ſcripſi (sic enim me mavis dicere) tu verò ad ſcribendum feciſti me alacriorem; ad tuum enim judicium, quod mihi erat notum, addidiſti Peducei auctoritatem, magnam quidem apud me, & in primis gravem : enitar igitur, ne desideres aut induſtriam meam, aut diligentiam. Vectenum, ut ſcribis, & Faberium foveo. Clœlium nihil arbitror malitiosè : quamquam..... Sed quid egerit? De libertate retinenda, quâ certè nihil eſt dulcius, tibi aſſentior. Itane Gallo Caninio? hominem nequam! quid enim dicam aliud? Cautum Marcellum; me sic, ſed non tamen cautissimum. Longiori epiſtolæ ſuperiorique reſpondi : nunc breviori propiorique quid reſpondeam, nisi eam fuiſſe dulcissimam? Res Hiſpanienſes valde bonæ; modò Balbilium incolumem videam, ſubsidium noſtræ ſenectutis. De Anniano item, quòd me valde obſervat Viſellia : ſed hæc quidem humana. De Bruto te nihil ſcire dicis : ſed Selicia veniſſe M. Scaptium; eumque non quâ pom-

pâ, ad ſe tamen clam venturum, ſciturumque me omnia; quæ ego ſtatim. Interea narrat eadem Bassi ſervum veniſſe, qui nuntiaret, legiones Alexandrinas in armis eſſe, Baſſum arcessi, Cassium exſpectari. Quid quæris? videtur reſpublica jus ſuum recuperatura, ſed ne quid antè: noſti horum exercitationem in latrocinio, & amentiam. Dolabella vir optimus: etsi, quum ſcribebam, ſecundâ mensâ appositâ, veniſſe eum ad Baias audiebam; tamen ad me ex Formiano ſcripsit (quas litteras, quum e balineo exiiſſem, accepi) ſeſe de attributione omnia ſumma feciſſe: Vectenum accuſat: tricatur ſcilicet, ut homo talis: ſed ait totum negotium Sextium noſtrum ſuſcepiſſe, optimum quidem illum virum, noſtrique amantissimum: quæro autem, quid tandem Sextius in hac re facere possit, quod non quivis noſtrûm? Sed si quid præter ſpem erit, facies ut ſciam: sin eſt, ut arbitror, negotium perditum, ſcribes tamen, neque iſta res commovebit. Nos hîc φιλοσοφοῦμεν: quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnificè explicamus, προσφωνοῦμένque Ciceroni: qua de re enim potiùs pater filio? deinde alia. Quid quæris? exſtabit opera peregrinationis hujus. Varronem hodie, aut cras venturum putabant: ego autem in Pompeianum properabam; non

quò hoc loco quidquam pulchrius; ſed interpellatores illic minùs moleſti. Sed perſcribe quæſo, quæ cauſa sit in Myrtilo (pœnas quidem illum pependiſſe audivi) & ſatiſne patet, unde corruptus. Hæc quum ſcriberem, tantùm quòd exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam: hui, quàm timeo, quid exiſtimes! etsi quid ad me, quæ non sit foras proditura, nisi republicâ recuperatâ? de quo quid ſperem, non audeo ſcribere.

CICERO ATTICO SAL.

13. GRATUM, quòd mihi epiſtolas: quæ quidem me delectarunt, in primis Sexti noſtri. Dices, quia te laudat: puto mehercule id quoque eſſe cauſæ; ſed tamen etiam antè, quàm ad eum locum veni, valde mihi placebat quum ſenſus ejus de republica, tum ſcribendi cura. Servius verò pacificator cum librariolo ſuo videtur obiiſſe legationem, & omnes captiunculas pertimeſcere. Debuerat autem, *non ex jure manu' conſertum*; ſed quæ ſequuntur. Tu quoque ſcribes.

CICERO ATTICO SAL.

14. SEXTO Kal. accepi a Dolabella litteras, quarum exemplum tibi misi; in quibus erat, omnia ſe feciſſe, quæ tu velles. Statim ei reſcripsi, & multis verbis

as egi : ſed tamen, ne miraretur, cur . iterum facerem, hoc cauſæ ſumpsi, l ex te ipſo coràm antea nihil po- :m cognoſcere. Sed quid multa ? lit- hoc exemplo dedi.

:ERO DOLABELLÆ COS. SUO.

ITEA quum per litteras Attici noſtri ua ſumma liberalitate, ſummoque er- : beneficio certior factus eſſem ; quum- tu ipſe etiam ad me ſcripsiſſes, te ſe ea, quæ nos voluiſſemus ; egi tibi as per litteras iis verbis, ut intellige- nihil te mihi gratius facere potuiſſe. :a verò quàm ipſe Atticus ad me ve- n Tuſculanum hujus unius rei causâ, it apud me gratias ageret, cujus exi- n quamdam, & admirabilem in cauſa rotia voluntatem, & singularem er- : amorem perſpexiſſet ; teneri non i, quin tibi apertiùs illud idem his is declararem. Ex omnibus enim, mi ibella, ſtudiis in me, & officiis, quæ na ſunt, hoc ſcito mihi & amplissi- a vidèri, & gratissimum eſſe, quod eceris, ut Atticus intelligeret, quan- ego te, quàm tu me amares. Quod puum eſt, Buthrotiam & cauſam, & atem, quamquam a te conſtituta eſt neficia autem noſtra tueri ſolemus) :n velim, receptam in fidem tuam,

a meque etiam atque etiam tibi commendatam, auctoritate, & auxilio tuo tectam velis eſſe: ſatis erit in perpetuum Buthrotiis præſidii, magnâque curâ, & ſollicitudine Atticum, & me liberaris, si hoc honoris mei causâ ſuſceperis, ut eos ſemper a te defenſos velis. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

His litteris ſcriptis, me ad συντάξεις dedi: quæ quidem, vereor, ne miniatâ cerulâ tuâ pluribus locis notandæ sint; ita ſum μετέωρος, & magnis cogitationibus impeditus.

CICERO ATTICO SAL.

15. LUCIO Antonio malè sit, siquidem Buthrotiis moleſtus eſt. Ego teſtimonium compoſui, quod, quum voles, obsignabis. Tu nummos Arpinatum, si L. Fadius Ædilis petet, vel omnes reddito. Ego ad te aliâ epiſtolâ ſcripsi de H-S CX, quæ Statio curarentur. Si ergo petet Fadius, ei volo reddi; præter Fadium, nemini. Apud me item puto depositum: id, ſcripsi ad Erotem, ut redderet. Reginam odi: me jure facere ſcit ſponſor promiſſorum ejus Ammonius; quæ quidem erant φιλόλογα, & dignitatis meæ; ut vel in concione dicere auderem. Saram autem præterquam quòd nefarium hominem cognovi, præterea in me contumacem: ſemel eum

omnino domi meæ vidi : quum φιλοφρόνως ex eo quærerem, quid opus eſſet, Atticum ſe dixit quærere. Superbiam autem ipsius reginæ, quum eſſet trans Tiberim in hortis, commemorare sine magno dolore non poſſum. Nihil igitur cum iſtis : nec tam animum me, quàm vix ſtomachum habere arbitrantur. Profectionem meam, ut video, Erotis diſpenſatio impedit : nam quum ex reliquis, quæ Nonis April. fecit, vel abundare debeam; cogor mutuari : quodque ex iſtis fructuosis rebus receptum eſt, id ego ad illum fanum ſepositum putabam. Sed hæc Tironi mandavi, quem ob eam cauſam Romam misi : te nolui impeditum impedire. Cicero noſter quò modeſtior eſt, eò me magis commovet : ad me enim de hac re nihil ſcripsit, ad quem nimirum potissimum debuit : ſcripsit hoc autem ad Tironem, sibi poſt Kal. April. (sic enim annuum tempus confici) nihil datum eſſe : tibi pro tua natura ſemper placuiſſe, teque exiſtimaſſe id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modò perliberaliter a nobis, ſed etiam ornatè cumulatéque tractari. Quare velim cures (nec tibi eſſem moleſtus, si per alium hoc agere poſſem) ut permutetur Athenas, quod sit in annuum ſumptum ei : ſcilicet Eros numerabit : ejus rei causâ, Tironem mi-

si. Curabis igitur, & ad me, si q
de eo videbitur, ſcribes.

CICERO ATTICO SAL.

16. TANDEM a Cicerone tabella
mehercule litteræ πεπινωμένως ſcripta
ipſum προκοπὴν aliquam significaret
que ceteri præclara ſcribunt. Leon
men retinet ſuum illud *adhuc*; ſumn
laudibus Herodes. Quid quæris? ve
mihi dari facilè patior in hoc, me
benter præbeo credulum. Tu, ve
quid tibi eſt a Statio ſcriptum, qu
tineat ad me, certiorem me facias.
tibi; hæc loca venuſta ſunt, abdita
&, si quid ſcribere velis, ab arb
bera: ſed neſcio quo modo οἶκος.
Itaque me referunt pedes in Tuſcu
Et tamen hæc ῥωπογραφία ripulæ
habitura celerem ſatietatem. Equiden
pluvias metuo, si prognoſtica noſt
ſunt; ranæ enim ῥητορεύουσιν. Tu,
fac ſciam ubi Brutum noſtrum,
die videre poſſim.

CICERO ATTICO SAL.

17. DUAS accepi poſtridie Idus, a
eo die datam, alteram Idibus: pr
tur ſuperiori. De Bruto, quum ſcie
conſulum ficto timore cognoveram
enim φιλοστόργως ille quidem, ſed

ùs ad me etiam illam ſuſpicionem
ılit. Quid tu autem, τὰ μὲν διδόμενα?
ım enim verbum a Siregio: non pla-
De Plætorio vicino tuo permoleſtè
, quemquam priùs audiſſe, quàm me.
Syro prudenter. L. Antonium per M.
em, ut arbitror, facillimè deterrebis.
'oni vetui; ſed nondum acceperas lit-
ı; nec cuiquam, nisi L. Fadio Ædili:
r enim nec cautè, nec jure fieri po-
Quòd ſcribis tibi deeſſe H-S c, quæ
ıroni curata sint; velim ab Erote quæ-
ubi sit merces inſularum. Arabioni
itio nihil iraſcor. Ego de itinere, nisi
icato A, nihil cogito: quod idem tibi
ri puto. Habes ad ſuperiorem; nunc
ad alteram. Tu verò facis, ut om-
, quòd Serviliæ non dees, id eſt,
:o. De regina gaudeo te non labora-
certè etiam tibi probari. Erotis ratio-
& ex Tirone cognovi, & vocavi ip-
. Gratiſſimum, quòd polliceris Cice-
nihil defuturum: de quo mirabilia
Ialla; qui, Lanuvio rediens ab illis,
it ad me: & mehercule ipsius litteræ
ς φιλοςόργως, & εὐπινῶς ſcriptæ, ut eas
in acroasi audeam legere: quò ma-
illi indulgendum puto. De Buciliano
tium puto non moleſtè ferre. Ego, si
ɔ ad me, cogito in Tuſculanum. Tu
ɔ, quidquid erit, quod me ſcire par
ſtatim.

CICERO ATTICO SAL.

18. SEPTIMO decimo Kal. etsi ſatis videbar ſcripsiſſe ad te, quid mihi opus sit, & quid te facere vellem, si tibi commodum eſſet; tamen, quum profectus eſſem, & in lacu navigarem, Tironem ſtatui ad te eſſe mittendum, ut iis negotiis, quæ agerentur, intereſſet: atque etiam ſcripsi ad Dolabellam, me, si ei videretur, velle proficiſci; petiique ab eo de mulis vecturæ itineris. Ut in his (quoniam intelligo te diſtentissimum eſſe quà de Buthrotiis, quà de Bruto; cujus etiam ludorum ſeorſum curam, etiam adminiſtrationem ſuſpicor ex magna parte ad te pertinere) ut ergo in ejuſmodi re, tribues nobis paulùm operæ: nec enim multum opus eſt. Mihi res ad cædem, & eam quidem propinquam, ſpectare videtur: vides homines; vides arma: prorſus non mihi videor eſſe tutus. Sin tu aliter ſentis, velim ad me ſcribas: domi enim manere, si rectè poſſum, multò malo.

CICERO ATTICO SAL.

19. QUIDNAM eſt, quod audendum amplius de Buthrotiis? ſtetiſſe enim te fruſtra ſcribis. Quid autem ſe refert Brutus? Doleo mehercule te tam eſſe detentum; quod decem hominibus referendum eſt acceptum.

acceptum. Eſt illud quidem ἰργῶδες, ſed ἀνεκτὸν, mihique gratiſſimum. De armis, nihil vidi apertius. Fugiamus igitur : at, ut ais, coràm. Theophanes quid velit, neſcio ; ſcripſerat enim ad me : cui reſcripsi, ut potui : mihi autem ſcribit, venire ad me ſe velle, ut & de ſuis rebus, & quædam, quæ ad me pertinerent. Tuas litteras exſpecto. Vide, quæſo, ne quid temerè fiat : Statius ſcripsit ad me locutum ſecum eſſe Q. Ciceronem valde aſſeveranter, ſe hæc ferre non poſſe : certum ſibi eſſe ad Brutum & Cassium tranſire. Hoc enim verò nunc diſcere aveo : hoc ego, quid sit, interpretari non poſſum : poteſt aliquid iratus Antonio : poteſt gloriam novam quærere : poteſt totum eſſe σχεδίασμα : & nimirum ita eſt. Sed tamen & ego vereor, & pater conturbatus eſt : ſcit enim, quæ ille de hoc : mecum quidem ἄφατα olim : planè quid velit neſcio. A Dolabella mandata habebo, quæ mihi videbuntur, id eſt nihil. Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri ſeptemvir ? fuit certè dignus. De Menedemo eſt, ut ſcribis. Facies omnia mihi nota.

CICERO ATTICO SAL.

20. EGI gratias Vecteno ; nihil enim potuit humanius. Dolabellæ mandata ſint

quælibet : mihi aliquid, vel quod Niciæ nuntiem : quis enim hæc, ut ſcribis, antè? ne nunc dubitare quemquam prudentem, quin meus diſceſſus deſperationis ſit, non legationis. Quòd ais, extrema quædam jam homines de republica loqui, & eos quidem viros bonos; ego, quo die audivi illum tyrannum in concione *clarissimum virum* appellari, ſubdiffidere cœpi : poſtea verò quàm tecum Lanuvii vidi noſtros tantum ſpei habere ad vivendum, quantum accepiſſent ab Antonio, deſperavi. Itaque, mi Attice, fortiter hoc velim accipias, ut ego ſcribo : genus illud interitûs, quo caſurus es, fœdum duces, & quaſi denuntiatum nobis ab Antonio. Ex hac naxa exire conſtitui, non ad fugam, ſed ad ſpem mortis melioris. Hæc omnis culpa Bruti. Pompeium Cartheiæ receptum ſcribis : jam igitur contra hunc exercitum. Utra ergo caſtra? media enim tollit Antonius : illa infirma, hæc nefaria. Properemus igitur : ſed juva me conſilio, Brundisione, an Puteolis? Brutus quidem ſubitò; ſed ſapienter. Πάσχω τι : quando enim illum? ſed humana ferenda : tu ipſe eum videre non potes. Dii illi mortuo, qui umquam Buthrotum! Sed acta miſſa; videamus quæ agenda ſint. Rationes Erotis, etsi ipſum nondum vidi, tamen & ex litteris ejus, & ex eo, quod

Tiro cognovit, propemodum cognitas habeo. Verſuram ſcribis eſſe faciendam menſium quinque, id eſt, ad Kal. Novemb. H-S CC; in eam diem cadere nummos, qui à Quinto debentur. Velim igitur (quoniam Tiro negat tibi placere, me ejus rei causâ Romam venire) si te ea res nihil offendet, videas, unde nummi sint; mihi feras expenſum: hoc video in præſentia opus eſſe. Reliqua diligentiùs ex hoc ipſo exquiram; in his, de mercedibus dotalium prædiorum: quæ si fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxiùs, tamen ei propemodum nihil deerit: equidem video mihi quoque opus eſſe viaticum: ſed id ex prædiis, ut cadet, ita ſolvetur; mihi autem opus eſt univerſo quidem. Etsi mihi videtur iſte, qui umbras timet, ad cædem ſpectare; tamen, nisi explicatâ ſolutione, non ſum diſceſſurus: sitne autem extricata, necne, tecum cognoſcam. Hæc putavi meâ manu ſcribenda; itaque feci. De Fadio, ut ſcribis; utique alii nemini. Reſcribas velim hodie.

CICERO ATTICO SAL.

21. NARRO tibi; Quintus pater exſultat lætitiâ: ſcripsit enim filius, ſe idcirco profugere ad Brutum voluiſſe, quòd, quum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, præsidium occupa-

quartâ profectum. Sanè dolui meas litteras redditas non eſſe. Silius ad me non venerat: cauſam compoſui; cum libellum tibi miſi. Te quo die exſpectem, velim ſcire.

CICERO ATTICO SAL.

25. De meo itinere variæ ſententiæ; multi enim ad me: ſed tu incumbe, quæſo, in eam curam: magna res eſt. An probas, ſi ad Kal. Jan. cogitamus? Meus animus eſt æquus; ſic tamen, ut nihil offensionis ſit. Et tu etiam ſcitè; *quo die olim piaculum*; myſteria ſcilicet. Ut ut ſe res, caſus consilium noſtri itineris judicabit: dubitemus igitur; eſt enim hiberna navigatio odioſa; eóque ex te quæsieram myſteriorum diem. Brutum, ut ſcribis, viſum iri a me puto. Ego hinc volo prid. Kal.

CICERO ATTICO SAL.

26. De Quinti negotio video a te omnia facta: ille tamen dolet, dubitans, utrùm morem gerat Leptæ, an fidem infirmet Silio. Inaudivi L. Piſonem velle exire legatum ψευδεπιγράφῳ ſenatusconſulto: velim ſcire quid ſit. Tabellarius ille, quem tibi dixeram a me ad Brutum eſſe miſſum in Anagninum, ad me venit eâ nocte, quæ proxima ante Kal. fuit; litte-

raſque ad me attulit ; in quibus unum alienum ſummâ ſuâ prudentiâ, idem illud ut ſpectem ludos ſuos. Reſcripsi ſcilicet, primùm me jam profectum, ut non integrum sit ; dein, ἀπεπάντητον eſſe, me, qui Romam omnino poſt hæc arma non acceſſerim, neque id tam periculi mei cauſâ fecerim, quàm dignitatis, ſubitò ad ludos venire : tali enim tempore ludos facere illi honeſtum eſt, cui neceſſe eſt ; ſpectare mihi ut non eſt neceſſe, sic ne honeſtum quidem eſt. Equidem illos celebrari, & eſſe quàm gratissimos mirabiliter cupio ; idque ita futurum eſſe confido ; & tecum ago, ut jam ab ipſa commissione ad me, quemadmodum accipiantur, deinde omnino reliquorum dies singulos perſequare. Sed de ludis hactenus. Reliqua pars epiſtolæ, eſt illa quidem in utramque partem : ſed tamen nonnullos interdum jacit igniculos viriles ; quod quale tibi videretur, ut poſſes interpretari, misi ad te exemplum epiſtolæ : quamquam mihi tabellarius noſter dixerat, tibi quoque ſe attuliſſe litteras a Bruto, eaſque ad te e Tuſculano eſſe delatas. Ego itinera sic compoſueram, ut Nonis Quint. Puteolis eſſem : valde enim feſtino ; ita tamen, ut, quantum homo possit, quàm cautissimè navigem. M. Ælium curâ liberabis : is me paucos ſpecus in extremo fundo, & eos

quidem ſubterraneos, ſervitutis apud ſe aliquid habiturum: id me jam nolle, neque mihi quidquam eſſe tanti; ſed, ut mihi dicebas, quàm lenissimè: potiùs ut curâ liberetur, quàm ut me ſuccenſere aliquid ſuſpicetur. Idem de illo Tulliano capite liberè cum Caſcelio loquare: parva res eſt: ſed tu bene attendiſti; nimis callidè agebatur: ego autem, si mihi impoſuiſſet aliquid, quod pene fecit, nisi tua malitia affuiſſet, animo iniquo tuliſſem. Itaque, ut ut erit, rem impediri malo. Octavam partem tolli luminarium ædium ad ſtreniæ memineris: cui Cærellia, videris mancipio dare ad eam ſummam, quæ ſub præcone fuit maxima; id opinor eſſe CCCLXXX. Novi si quid erit, atque etiam si quid proſpicies, quod futurum putes, ſcribas ad me quàm ſæpissime velim. Varroni, quemadmodum tibi mandavi, memineris excuſare tarditatem litterarum mearum. Mundus iſtum. M. Ennius quid egerit ex teſtamento (curioſus enim) facias me velim certiorem. Ex Arpinati, VI Non.

CICERO ATTICO SAL.

27. GAUDEO id te mihi ſuadere, quod ego meâ ſponte pridie feceram: nam quum ad te VI Nonas darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sextium, ſcriptas πάνυ φιλοστόργως. Ille autem, quòd Puteolos pro-

ſequitur, humanè; quòd queritur, injuſtè: non enim ego tam illum exſpectare, quum de Coſano rediret, debui, quàm ille aut non ire antè, quàm me vidiſſet, aut citiùs reverti: ſciebat enim me celeriter velle proficiſci, ſeſeque ad me in Tuſculanum ſcripſerat eſſe venturum. Te, ut a me diſceſſeris, lacrymaſſe moleſtè ferebam; quod si me præſente feciſſes, conſilium totius itineris fortaſſe mutaſſem: ſed illud præclarè, quòd te conſolata eſt ſpes brevi tempore congrediendi; quæ quidem exſpectatio me maximè ſuſtentat. Meæ tibi litteræ non deerunt. De Bruto ſcribam ad te omnia. Librum tibi celeriter mittam de Gloria. Excudam aliquid ἡρακλείδειον, quod lateat in theſauris tuis. De Planco memini. Attica jure queritur. Quòd me de Bacchide, de ſtatuarum coronis certiorem feciſti, valde gratum; nec quidquam poſthac non modò tantum, ſed ne tantulum quidem præterieris. Et de Herode & Mettio meminero, & de omnibus, quæ te velle ſuſpicabor modò. O turpem ſororis tuæ filium! quum hæc ſcriberem, adventabat βουλυτὸς, cœnantibus nobis.

CICERO ATTICO SAL.

28. EGO, ut ad te pridie ſcripſeram, Nonis conſtitueram venire in Puteolanum: ibi

igitur quotidie tuas litteras exſpectabo; & maximè de ludis; de quibus etiam ad Brutum tibi ſcribendum eſt: cujus epiſtolæ, quam interpretari ipſe vix poteram, exemplum pridie tibi miſeram. Atticæ meæ velim me ita excuſes, ut omnem culpam in te transferas, & ei tamen confirmes, me minimè totum amorem eò mecum attuliſſe.

CICERO ATTICO SAL.

29. BRUTI ad te epiſtolam miſi. Dii boni, quanta ἀμηχανία! cognoſces, quum legeris. De celebratione ludorum Bruti, tibi aſſentior. Ad M. Ælium nullus tu quidem domum, ſed ſicubi inciderit. De Tulliano ſemiſſe M. Axianum adhibebis, ut ſcribis. Quod cum Cosiano egiſti, optimè. Quòd non ſolùm mea, verùm etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam gaudeo. Quod promittis, dii faxint: quid enim mihi meis jucundius? ſed iſtam, quam tu excipis, metuo. Brutum quum convenero, perſcribam omnia. De Planco, & Decimo, ſanè velim. Sextum ſcutum abjicere nolebam. De Mundo, si quid ſcies. Reſcripsi ad omnia tua; nunc noſtra accipe. Quintus filius uſque Puteolos: mirus civis, ut tu Favonium, Asinium dicas: & quidem duas ob cauſas, & ut mecum; & σπείσασθαι vult cum

Bruto, & Caſſio. Sed tu quid ais? ſcio enim te familiarem eſſe Othonum: ait hic ſibi Juliam ferre: conſtitutum enim eſſe diſcidium. Quæsivit ex me pater, qualis eſſet fama: dixi, nihil ſanè me audiſſe (neſciebam enim cur quæreret) nisi de ore, & patre. Sed quorſus, inquam? At ille, filium velle. Tum ego, etsi ἐθελοντὴς ἀντιλέγειν... ἐβδελυττόμην, tamen negavi putare me illa eſſe vera. Σκοπὸς (hoc eſt enim) huic noſtro nihil præbere. Illa autem οὐ παρὰ τοῦτο. Ego tamen ſuſpicor hunc, ut ſolet, allucinari. Sed velim quæras (facilè autem potes) & me certiorem.

Obſecro te, quid eſt hoc? Signatâ jam epiſtolâ, Formiani, qui apud me cœnabant, Plancum ſe aiebant, hunc Buthrotium, pridie, quàm hoc ſcribebam, id eſt, III Nonas, vidiſſe demiſſum sine phaleris; ſervulos autem dicere, eum, & agripetas ejectos a Buthrotiis. Macte: ſed amabo te, perſcribe mihi totum negotium.

EPISTOLÆ
AD ATTICUM.
LIBER DECIMUS SEXTUS.

Male affectâ oppreſsâque civitate armis Antonii, reique publicæ ſalute deſperatâ, quod adhuc C. Cæſare vivente cogitaverat, iter in Græciam eſt ingreſſus, re tamen priùs lentè deliberatâ, quòd & futuris de ſe hominum ſermonibus moveretur, & ægrè a ſuis villulis Italiaque avelleretur. Ergo Puteolos primùm progreſſus, inque Neside Brutum allocutus, claſſem unà cum Cassio parantem, quâ ille in Macedoniam, hic in Syriam navigarent; Kalendis Sext. Rhegio conſcendens, venit Syracuſas. Unde quum tranſmittere vellet in Græciam, biſque ad Leucopetram, quod eſt agri Rhegini promontorium, Auſtro rejectus eſſet, profectionis consilium abjecit; eóque magis, quòd boni quidam nuntii eò Româ venerunt, fore ut Antonius eſſet in poteſtate ſenatûs, ſenatores in urbem redirent, res conveniret. Hac igitur ſpe commotus Romam rediit, urbemque ingreſſus eſt Kalendis Septembris; & IV Non. hoc eſt, poſtridie Kalendas, ut ſcribitur Philip. 5. eam dixit orationem, quæ eſt in Antonium prima. Fuit deinde partim Romæ, partim in ſuis prædiis: quæ omnia commemorantur ſex primis epiſtolis. Reliquæ ſcriptæ ſunt incertis.

quidem diebus magna ex parte; omnes tamen ante Kal. Jan. quo toto tempore, hæc geſta fuiſſe traduntur. Quum M. Antonius & Octavianus occultis potiùs odiis inter ſe, quàm apertâ vi certarent, alterque alterum insidiis prævertere conaretur; Antonius ante diem VII Id. Octobr. Brundisium venit, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, ut eas sibi pecuniâ conciliaret: quas tamen, quòd quidam ab Octaviano præmissi, multò plus obtulerant, attrahere ad ſe non potuit. Itaque & Martia & Quarta illum poſtea deſeruerunt, & ad Octavianum transierunt: qui item Octavianus eo ipſo tempore, quo Antonius Brundisii fuit, ipſe in Campaniam pergens, magnum veteranorum numerum, ingenti ſpe, ingentique pecuniâ cepit, nimirum denariis, ut Cicero ait, cccc. Idque initium fuit armorum inter ipſos, quum anteà neque bellum gererent, neque pacem haberent. Et hoc tempus illud fuit, quum Cicero ab Octaviano, per ſpeciem capeſſendæ reip. in Antonium ſollicitatus eſt, nihil ſe, nisi de illius consilio, nec nisi per ſenatum facturum, pollicente. Scriptæ ſunt omnes, Antonio & Dolabellâ coſſ. ex a. d. VII Id. Quint. ad Nonas circiter Decembris. Atque his quidem multa alia continentur, ſed vel domeſtica, vel huc pertinentia. Malaspina.

Cicero Attico Sal.

I. Nonis Quint. veni in Puteolanum. Poſtridie iens ad Brutum in Nesidem hæc ſcripsi. Sed eo die, quo veneram, cœ-

nanti Eros tuas litteras. Itane? Nonis *Juliis?* Dii hercule iſtis. Sed ſtomachari totum diem licet. Quidquamne turpius, quàm Bruto, *Juliis*? redeo ad meum igitur ἴλθωμεν. Nihil vidi. Sed quid eſt, quæſo, quòd agripetas Buthroti conciſos audio? quid autem Plancus tam curſim (ita enim audiebam) diem, & noctem? ſanè cupio ſcire quid ſit. Meam profectionem laudari gaudeo. Dymæos, agro pulſos, mare infeſtum habere, nil mirum. Videndum eſt, ut mansio laudetur. Ἐν ὁμωπλοίᾳ Bruti videtur aliquid præſidii eſſe; ſed, opinor, minuta navigia: ſed jam ſciam, & ad te cras. De Ventidio, πανικὸν puto. De Sexto pro certo habebatur, haud arma: quod si verum eſt; sine bello civili video ſerviendum. Quid ergo? Kal. Jan. in Panſa ſpes? λῆρος πολὺς in vino, & in ſomno iſtorum. De CCX, optimè Ciceronis rationes explicentur: Ovius enim recens; is multa, quæ vellem; in his ne hoc quidem malum, in mandatis, abundè H-S LXXII, ſatis eſſe, affatim prorſus; ſed Xenonem perexiguè, & γλίσχρως præbere. Quo plus permutaſti, quàm ad fructum inſularum, id ille annus habeat, in quem itineris ſumptus accessit: hinc ex Kal. April. ad H-S LXXX accommodetur; nunc enim inſulæ tantum: videndum enim eſt quid, quum Romæ erit: non enim puto

ſocrum illam ferendam. Pindaro de Cumano negaram. Nunc, cujus rei cauſâ tabellarium miſerim, accipe. Q. filius mihi pollicetur ſe Catonem: egit autem & pater, & filius, ut tibi ſponderem; ſed ita, ut tum crederes, quum ipſe cognoſſes. Huic ego litteras ipsius arbitratu dabo; eæ te ne moverint: has ſcripsi in eam partem, ne me motum putares. Dii faxint, ut faciat ea, quæ promittit: commune enim gaudium: ſed ego... Nihil dico amplius. Is hinc VII Idus: ait enim attributionem in Idus; ſe autem urgeri acriter. Tu ex meis litteris, quo modo reſpondeas, moderabere. Plura, quum & Brutum videro; & Erotem remittam. Atticæ meæ excuſationem accipio, eamque amo plurimùm: cui, & Piliæ ſalutem.

CICERO ATTICO SAL.

2. TUAS jam litteras Brutus exſpectabat; cui quidem ego novum attuleram de Tereo Accii: ille Brutum putabat. Sed tamen rumoris neſcio quid afflaverat, commiſsione Græcorum frequentiam non fuiſſe; quod quidem me minimè fefellit; ſcis enim, quid ego de Græcis ludis exiſtimem. Nunc audi quod pluris eſt, quàm omnia. Quintus fuit mecum dies complures; &, si ego cuperem, ille vel plures fuiſſet: ſed, quantum fuit, incredibile eſt,

quàm me in omni genere delectarit ; in eoque maximè , in quo minimè ſatisfaciebat. Sic enim commutatus eſt totus &, ſcriptis meis quibuſdam , quæ in manibus habebam , & assiduitate orationis , & præceptis , ut tali animo in rempublicam , quali nos volumus , futurus sit. Hoc quum mihi non modò confirmaſſet , ſed etiam perſuasiſſet , egit mecum accuratè multis verbis , tibi ut ſponderem , ſe dignum & te , & nobis futurum ; neque ſe poſtulare , ut ſtatim crederes : ſed quum ipſe perſpexiſſes , tum ut ſe amares. Quòd nisi fidem mihi feciſſet , judicaſſemque hoc , quod dico , firmum fore ; non feciſſem id , quod dicturus ſum : duxi enim mecum adoleſcentem ad Brutum : sic ei probatum eſt , quod ad te ſcribo , ut ipſe crediderit ; me ſponſorem accipere noluerit ; eumque laudans amicissimè mentionem tui fecerit ; complexus , oſculatuſque dimiſerit. Quamobrem etsi magis eſt , quod gratuler tibi , quàm quod te rogem , tamen etiam rogo , ut , si quæ minùs antea propter infirmitatem ætatis conſtanter ab eo fieri videbantur , ea judices illum abjeciſſe ; mihique credas , multum allaturam , vel plurimùm potiùs , ad illius judicium confirmandum , auctoritatem tuam. Bruto quum ſæpe injeciſſem de ὁμονοίᾳ , non perinde , atque ego

putaram, arripere viſus eſt: exiſtimabam μετεωρότερον eſſe; & hercule erat, & maximè de ludis: at mihi, quum ad villam rediſſem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narravit, illum valde morari, non tergiverſantem, ſed exſpectantem, si qui fortè caſus. Itaque dubito, an Venuſiam tendam, & ibi exſpectem de legionibus: si aberunt, ut quidam arbitrantur, Hydruntem; si neutrum erit ἀσφαλὲς, eódem revertar. Jocari me putas? moriar, si quiſquam me tenet præter te. Etenim circumſpice: ſed antè erubeſco. O dies in auſpiciis Lepidi lepidè deſcriptos, & aptè ad consilium reditûs noſtri! Magna ῥοπὴ ad proficiſcendum tuis litteris: atque utinam te illic. Sed ut conducere putabis. Nepotis epiſtolam exſpecto: cupidus ille meorum, qui ea, quibûs maximè γαυριῶ, legenda non putet? & ais μετ' ἀμύμονα. Tu verò ἀμύμων: ille quidem ἄμβροτος. Mearum epiſtolarum nulla eſt συναγωγὴ: ſed habet Tiro inſtar ſeptuaginta; & quidem ſunt a te quædam ſumendæ: eas ego, oportet, perſpiciam, corrigam: tum denique edentur.

CICERO ATTICO SAL.

3. ITA ut heri tibi narravi, vel fortaſſe hodie (Quintus enim altero die ſe aiebat) in Neſida VIII Idus. Ibi Brutus. Quàm

ille doluit de Nonis *Juliis!* mirificè eſt conturbatus: itaque ſeſe ſcripturum aiebat, ut venationem etiam, quæ poſtridie ludos Apollinares futura eſt, proſcriberent, III Id. *Quint.* Libo intervenit: is Philonem, Pompeii libertum, & Hilarum ſuum libertum, veniſſe a Sexto cum litteris ad conſules, sive quo alio nomine ſunt: earum exemplum nobis legit. Dixi quid videretur: pauca παρὰ λέξιν: ceteroqui & ſatis graviter, & non contumaciter: tantùm addi placuit, quod erat, *coſſ.* ſolùm, ut eſſet, *prætt. tribb. pleb. ſenatui;* ne illi non proferrent eas, quæ ad ipſos miſſæ eſſent. Sextum autem nuntiant cum una ſolùm legione fuiſſe Carthagine; eique eo ipſo die, quo oppidum Boream cepiſſet, nuntiatum eſſe de Cæſare: capto oppido, miram lætitiam, commutationemque animorum, concurſumque undique: ſed illum ad ſex legiones, quas in ulteriore reliquiſſet, revertiſſe. Ad ipſum autem Libonem ſcripsit, nihil eſſe, nisi ad larem ſuum liceret: ſumma poſtulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Hæc ferè de Sexto. De Buthrotiis undique quærens nihil reperiebam: alii, conciſos agripetas; alii, Plancum, acceptis nummis, relictis illis, aufugiſſe: itaque non video ſciturum me, quid ejus sit, ni ſtatim aliquid litterarum.

Iter illud Brundiſium, de quo dubitabam, ſublatum videtur; legiones enim adventare dicuntur. Hæc autem navigatio habet quaſdam ſuſpiciones periculi: itaque conſtituebam uti ὁμοπλοίᾳ. Paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam: nam & ipſe Domitius bona planè habet dicrota; ſuntque navigia præterea luculenta Sextii, Buciliani, ceterorum: nam Caſſii claſſem, quæ planè bella eſt, non numero ultra fretum. Illud eſt mihi ſubmoleſtum, quòd parum Brutus properare videtur: primùm confectorum ludorum nuntios exſpectat: deinde, quantum intelligo, tardè eſt navigaturus, conſiſtens in locis pluribus: tamen arbitror eſſe commodius tardè navigare, quàm omnino non navigare. Et, si, quum proceſſerimus, exploratiora videbuntur, Eteſiis utemur.

CICERO ATTICO SAL.

4. SEXTO Idus duas epiſtolas accepi, unam a meo tabellario, alteram a Bruti. De Buthrotiis longè alia fama in his locis fuerat: ſed cum aliis multis hoc ferendum. Erotem remiſi citiùs, quàm conſtitueram, ut eſſet qui Hortenſio; & quia equitibus quidem ait ſe Idibus conſtituiſſe. Hortenſius verò impudenter: nihil enim debetur ei, niſi ex tertia penſione, quæ eſt Kal. Sext. ex qua penſione ipſa ma-

Ἡρακλείδειον, si Brundisium ſalvi, adoriemur. De Gloria miſi tibi: cuſtodies igitur, ut ſoles; ſed notentur eclogarii, quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio duntaxat legat. Mihi valde placent: mallem tibi. Etiam atque etiam vale.

Cicero Attico Sal.

5. Tu verò ſapienter (nunc demum enim reſcribo his litteris, quas mihi miſiſti) convento Antonio Tiburi: ſapienter igitur, quòd manus dediſti, quódque etiam ultro gratias egiſti: certè enim, ut ſcribis, deſeremur potiùs a republica, quàm a re familiari. Quòd verò ſcribis te magis & magis delectari, *ô Tite, si quid ego*, addis mihi ſcribendi alacritatem. Quòd Erotem non sine munuſculo exſpectare dicis; gaudeo non feſelliſſe eam rem opinionem tuam: ſed tamen idem σύνταγμα miſi ad te retractatius, & quidem ἀρχέτυπον ipſum, crebris locis inculcatum & refectum: hunc tu tralatum in macrocolum lege arcanò convivis tuis; ſed, si me amas, hilaris, & bene acceptis; ne in me ſtomachum erumpant, quum sint tibi irati. De Cicerone velim ita sit ut audimus. De Xenone coràm cognoſcam; quamquam nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter. De Herode faciam ut mandas; & ea,

:ribis, ex Saufeio, & e Xenone
'cam. De Quinto filio, gaudeo ti-
ıs litteras priùs a tabellario meo,
ab ipſo, redditas; quamquam te
:fellisſet: verumtamen. Sed exſpec-
uid ille tecum, quid tu viciſsim;
:bito, quin ſuo more uterque. Sed
:eras Curium mihi ſpero redditu-
qui quidem, etsi per ſe eſt ama-
a meque diligitur; tamen accedit
s cumulus commendationis tuæ. Lit-
uis ſatis reſponſum eſt: nunc audi,
etsi intelligo ſcribi neceſſe non eſſe,
tamen. Multa me movent in diſceſſu,
ɔis mehercule, quòd disjungor a te.
: etiam navigationis labor, alienus
b ætate ſolùm noſtra, verùm etiam
itate; tempuſque diceſſûs ſubabſur-
. relinquimus enim pacem, ut ad
ı revertamur; quodque temporis
ediolis noſtris, & bellè ædificatis,
s amœnis conſumi potuit, in pere-
ione conſumimus. Conſolantur hæc:
roderimus aliquid Ciceroni, aut,
ım profici possit, judicabimus: dein-
jam, ut ſpero, & ut promittis, ade-
uod quidem si acciderit, omnia no-
unt meliora. Maximè autem me an-
tio reliquorum meorum: quæ quam-
explicata ſunt; tamen, quòd &
ɔellæ nomen in iis eſt, & attribu-

tione mihi nomina ignota, conturbor; nec me ulla res magis angit ex omnibus. Itaque non mihi videor erraſſe, quòd ad Balbum ſcripsi apertiùs, ut, si quid tale accidiſſet, ut non concurrerent nomina, ſubveniret; meque tibi etiam mandaſſe, ut, si quid ejuſmodi accidiſſet, cum eo communicares: quod facies, si tibi videbitur, eóque magis, si proficiſceris in Epirum. Hæc ego conſcendens e Pompeiano tribus actuariolis, decem ſcalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Dejotarum, & non amas Hieram? qui, ut Bleſamius venit ad me, quum ei præſcriptum eſſet, ne quid sine Sexti noſtri ſententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquam noſtrûm retulit. Atticam noſtram cupio abſentem ſuaviari; ita mihi dulcis ſalus viſa eſt, per te miſſa ab illa: referes igitur ei plurimam, itemque Piliæ dicas velim.

CICERO ATTICO SAL.

6. Ego adhuc (perveni enim Vibonem ad Sicam) magis commodè, quàm ſtrenuè navigavi: remis enim magnam partem; prodromi nulli. Illud ſatis opportunè: duo sinus fuerunt, quos tramitti oportet, Pæſtanus, & Vibonensis: utrumque pedibus æquis tranſmisimus. Veni igitur ad Sicam octavo die e Pompeiano, quum unum

unum diem Veliæ conſtitiſſem ; ubi quidem fui ſanè libenter apud Thalnam noſtrum ; nec potui accipi, illo abſente præſertim, liberaliùs. IX Kal. igitur ad Sicam : ibi tamquam domi meæ ſcilicet : itaque obduxi poſterum diem. Sed putabam, quum Rhegium veniſſem, fore, ut illic, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, cogitaremus, corbitâne Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, atque inde Corcyram ; & , si onerariâ, ſtatimne freto, an Syracusis. Hac ſuper re ſcribam ad te Rhegio. Mehercule, mi Attice, ſæpe mecum ἡ δεῦρ᾽ ὁδός σοι τί δύναται ; cur ego tecum non ſum ? cur, ocellos Italiæ, villulas meas non video ? ſed id ſatis ſuperque. Tecum me non eſſe ? quid fugientem ? periculumne ? id nunc quidem, nisi fallor, nullum eſt : ad ipſum enim revocat me auctoritas tua : ſcribis enim in cœlum ferri profectionem meam, ſed ita, si ante Kal. Jan. redeam : quod quidem certè enitar : malo enim vel cum timore domi eſſe, quàm sine timore Athenis tuis. Sed tamen proſpice, quò iſta vergant ; mihique aut ſcribe, aut, quod multò malim, affer ipſe. Hæc hactenus. Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi majori curæ ſciam eſſe, quàm ipsi mihi. Nomina mea, per deos, expedi, exſolve : bella reliqua reliqui : ſed opus

eſt diligentiâ, coheredibus pro Cluviano Kal. Sext. perſolutum ut sit. Cum Publilio quo modo agendum sit, videbis: non debet urgere, quoniam jure non utimur; ſed tamen ei quoque ſatisfieri planè volo. Terentiæ verò quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. Quin, si, ut ſpero, celeriter in Epirum; hoc, quod ſatiſdato debeo, peto a te, ut antè provideas, planéque expedias, & ſolutum relinquas. Sed de his ſatis, metuoque, ne tu nimium putes. Nunc negligentiam meam cognoſce. De Gloria librum ad te misi; at in eo procemium id eſt, quod in Academico tertio: id evenit ob eam rem, quòd habeo volumen procemiorum: ex eo eligere ſoleo, quum aliquod σύγγραμμα inſtitui. Itaque jam in Tuſculano, qui non meminiſſem me abuſum iſto procemio, conjeci id in eum librum, quem tibi misi: quum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque ſtatim novum procemium exaravi; tibi misi: tu illud deſecabis, hoc agglutinabis. Piliæ ſalutem dices, & Atticæ, deliciis atque amoribus meis.

CICERO ATTICO SAL.

7. OCTAVO Id. Sext. quum a Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) ſtadia circiter CCC processiſſem, rejectus

ſum auſtro vehementi ad eamdem Leucopetram. Ibi quum ventum exſpectarem (erat enim villa Valerii noſtri, ut familiariter eſſem, & libenter) Rhegini quidam, illuſtres homines, eò venerunt, Româ ſanè recentes; in iis Bruti noſtri hoſpes, qui Brutum Neapoli reliquiſſet. Hæc afferebant, edictum Bruti & Cassii; & fore frequentem ſenatum Kalendis; a Bruto & Cassio litteras miſſas ad conſulares, & prætorios; ut adeſſent, rogare. Summam ſpem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret, noſtri Romam redirent: addebant etiam, me deſiderari, ſubaccuſari. Quæ quum audiſſem, sine ulla dubitatione abjeci consilium profectionis, quo mehercule ne antea quidem delectabar: lectis verò tuis litteris, admiratus equidem ſum, te tam vehementer ſententiam commutaſſe; ſed non sine cauſa, arbitrabar. Etsi, quamvis non fueris ſuaſor & impulſor profectionis meæ, approbator certè fuiſti, dummodo Kal. Jan. Romæ eſſem: ita fiebat, ut, dum minus periculi videretur, abeſſem; in flammam ipſam venirem. Sed hæc, etiam si non prudenter, tamen ἀνεμέσητα ſunt; primùm, quòd de mea ſententia acta ſunt; deinde, etiam si te auctore, quid debet, qui consilium dat, præſtare præter fidem? Illud admirari ſatis non

potui, quod ſcripsiſti his verbis : *Veni igitur tu, qui ἐυθανασίαν, veni : relinques patriam?* An ego relinquebam, aut tibi tum relinquere videbar? tu id non modò non prohibebas, verùm etiam approbabas. Graviora, quæ reſtant. *Velim* σχόλιον *aliquod elimes ad me, oportuiſſe te iſtuc facere.* Itane, mi Attice, defensione eget meum factum, præſertim apud te, qui id mirabiliter approbaſti? ego verò iſtum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, ſed ad eorum aliquem, quibus invitis & diſſuadentibus profectus ſum : etsi quid jam opus eſt σχολίῳ? si perſeveraſſem, opus fuiſſet. At hoc ipſum non conſtanter. Nemo doctus umquam (multa autem de hoc genere ſcripta ſunt) mutationem consilii inconſtantiam dixit eſſe. Deinceps igitur hæc : *Nam si a Phædro noſtro, expedita excuſatio eſſet : nunc quid reſpondemus?* Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitii ſcilicet plenum, & dedecoris. Utinam a primo ita tibi eſſet viſum! tu mihi, sicut eſſe ſoles, fuiſſes Cato. Extremum illud vel moleſtissimum : *Nam Brutus noſter silet ;* hoc eſt, non audet hominem id ætatis monere. Aliud nihil habeo, quod ex iis a te verbis significari putem; & hercule ita eſt : nam XVI Kal. Sept. quum veniſſem Veliam, Brutus audivit; erat enim cum ſuis navibus

Heletem fluvium citra Veliam mil-
aſſuum III. Pedibus ad me ſtatim.
mmortales, quàm valde ille reditu,
otiùs reversione meâ lætatus? effu-
la omnia, quæ tacuerat; ut recorda-
llud tuum, *nam Brutus noſter silet.*
imè autem dolebat, me Kal. Sext.
natu non fuiſſe: Piſonem ferebat in
m; ſe autem lætari, quòd effugiſſem
maximas vituperationes: unam,
n itinere faciendo me intelligebam
pere, deſperationis, ac relictionis
iblicæ (flentes mecum vulgò que-
ntur, quibus de meo celeri reditu
probabam) alteram, de qua Brutus,
ui unà erant (multi autem erant)
antur, quòd eam vituperationem ef-
ſem, me exiſtimari ad Olympia. Hòc
nihil turpius quovis reipublicæ tem-
; ſed hoc, ἀναπολόγητον. Ego verò au-
gratias miras, qui me a tanta infamia
terit. Reversionis has ſpecioſas cauſas
s, juſtas illas quidem, & magnas;
nulla juſtior, quàm quòd tu idem aliis
ris: *Provide, si cui quod debetur, ut
unde par pari reſpondeatur: mirifica
ἰδυσχρηστία eſt propter metum armorum.*
reto medio hanc epiſtolam legi, ut,
l poſſem providere, in mentem mihi
veniret, nisi ut præſens me ipſe de-
lerem. Sed hæc hactenus: reliqua co-

ràm. Antonii edictum legi a Bruto, & horum contrà, ſcriptum præclarè: ſed quid iſta edicta valeant, aut quò ſpectent, planè non video; nec ego nunc, ut Brutus cenſebat, iſtuc ad rempublicam capeſſendam venio. Quid enim fieri poteſt? num quis Piſoni eſt aſſenſus? num rediit ipſe poſtridie? Sed abeſſe hanc ætatem longè a ſepulcro negant oportere. Sed obſecro te, quid eſt quod audivi de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει, te ſcripsiſſe aiebat. Valde ſum commotus; etsi idem, te ſcribere, ſperare meliùs: ita planè velim: ei dicas plurimam ſalutem, & ſuavissimæ Atticæ. Hæc ſcripsi navigans, quum Pompeianum accederem, XIV Kal.

CICERO ATTICO SAL.

8. QUUM ſciam quo die venturus sim, faciam ut ſcias: impedimenta exſpectanda ſunt, quæ Anagniâ veniunt: & familia ægra eſt. Kal. veſperi litteræ mihi ab Octaviano: magna molitur: veteranos, quiqui Casilini, & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam; nec mirum; quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire: planè hoc ſpectat, ut ſe duce bellum geratur cum Antonio: itaque video paucis diebus nos in armis fore. Quem autem ſequamur? vide nomen: vide ætatem. Atque a me poſtulat, primùm ut clam colloquatur mecum, vel Capuæ,

vel non longè a Capua. Puerile hoc quidem, si id putat clam fieri poſſe: docui per litteras, id nec opus eſſe, nec fieri poſſe. Misit ad me Cæcinam quemdam Volaterranùm, familiarem ſuum, qui hæc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem ſub signis ducere. Conſultabat, utrùm Romam cum cIↄ cIↄ cIↄ veteranorum proficiſceretur, an Capuam teneret, & Antonium venientem excluderet; an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter ſecundùm mare ſuperum faciunt, quas ſperat ſuas eſſe: eæ congiarium ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, & ei convicium grave fecerunt, concionantemque reliquerunt. Quid quæris? ducem ſe profitetur, nec nos sibi putàt deeſſe oportere. Equidem ſuasi, ut Romam pergeret: videtur enim mihi & plebeculam urbanam, &, si fidem fecerit, etiam bonos viros ſecum habiturus. O Brute, ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittis? Non equidem hoc divinavi, ſed aliquid tale putavi fore. Nunc tuum consilium exquiro: Romamne venio, an hîc maneo, an Arpinum (ἀσφάλειαν habet is locus) fugiam? Romam; ne desideremur, si quid actum videbitur. Hoc igitur explica: numquam in majore ἀπορίᾳ fui.

CICERO ATTICO SAL.

9. BINÆ uno die mihi litteræ ab Octaviano : nunc quidem, ut Romam ſtatim veniam ; velle ſe rem agere per ſenatum : cui ego, non poſſe ſenatum ante Kal. Jan. quod quidem ita credo. Ille autem addit, *conſilio tuo*. Quid multa ? ille urget : ego autem σκήπτομαι. Non confido ætati : ignoro, quo animo : nil sine Panſa tuo volo. Vereor, ne valeat Antonius : nec a mari diſcedere libet, & metuo, ne quæ ἀριστεία me abſente. Varroni quidem diſplicet consilium pueri ; mihi non : firmas copias habet : Brutum habere poteſt : & rem gerit palam ; centuriat Capuæ ; dinumerat. Jam jamque video bellum. Ad hæc reſcribe. Tabellarium meum Kalendis Româ profectum sine tuis litteris miror.

CICERO ATTICO SAL.

10. NONIS accepi a te duas epiſtolas ; quarum alteram Kal. dederas, alteram pridie : igitur priùs ad ſuperiorem. Noſtrum opus tibi probari lætor ; ex quo ἄνθη ipſa poſuiſti, quæ mihi florentiora ſunt viſa tuo judicio : cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam. De Sica ita eſt, ut ſcribis : aſt, ægrè me tenui : itaque perſtringam sine ulla contumelia Sicæ aut Septimiæ ; tantùm, ut ſciant παῖδες

" sine vallo Luciliano , eum ex Q.
filia liberos habuiſſe. Atque utinam
diem videam , quum iſta oratio ita
è vagetur , ut etiam in Sicæ domum
eat : ſed illo tempore opus eſt , *quo*
it illi Triumviri. Moriar , niſi facetè.
rerò leges Sexto , ejuſque judicium
perſcribes. Εἷς ἐμοὶ μυρίοι. Caleni in-
:ntum , & Calvenæ cavebis. Quòd
ris ne ἀδόλεσχος : mihi tu ? quis minùs ?
ut Ariſtophani Archilochi iambus ,
piſtola longiſsima quæque optima vi-
r. Quod me admones ; tu verò etiam
prehenderes , non modò facilè pa-
, ſed etiam lætarer ; quippe quum
prehensione eſt prudentia cum εὐμενείᾳ.
ibenter ea corrigam , quæ a te ani-
verſa ſunt , *eodem jure , quo Rubriana ,*
is , quàm *quo Scipionis :* & de laudi-
Dolabellæ deruam cumulum. Attamen
lo loco bella , ut mihi videtur , εἰρωνεία,
l eum ter contra cives in acie. Illud
n malo , *indignissimum eſt hunc vive-*
quàm , *quid indignius ?* Πινακογραφίαν
:onis tibi probari non moleſtè fero ;
io adhuc Ἡρακλείδιον illud non abſtuli.
id me hortaris ad ſcribendum ; amicè
uidem : ſed me ſcito agere nihil aliud.
vedo tua mihi moleſta eſt : quæſo , ad-
, quam ſoles , diligentiam. *O Tite ,*

L v

tibi prodeſſe lætor. Anagnini ſunt, Muſtella ταξιάρχης, & Laco, qui plurimùm bibit. Librum, quem rogas, perpoliam, & mittam. Hæc ad poſteriorem. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panætius, abſolvi duobus: illius tres ſunt: ſed quum initiò diviſiſſet ita, tria genera exquirendi officii eſſe; unum, quum deliberemus, honeſtum, an turpe ſit; alterum, utile an inutile; tertium, quum hæc inter ſe pugnare videantur, quo modo judicandum ſit: qualis cauſa Reguli, redire honeſtum, manere utile: de duobus primis præclarè diſſeruit; de tertio pollicetur ſe deinceps: ſed nihil ſcripsit. Eum locum Poſſidonius perſecutus. Ego autem & ejus librum arceſſivi, & ad Athenodorum Calvum ſcripſi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret; quæ exſpecto: quem velim cohortere, & roges, ut quamprimum. In eo eſt περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Quod de inſcriptione quæris; non dubito quin καθῆκον *officium* ſit, niſi quid tu aliud; ſed inſcriptio plenior, *de officiis*: προσφωνῶ autem Ciceroni filio: viſum eſt non ἀνοικεῖον. De Myrtilo, dilucidè. O qualis tu ſemper iſtos! Itane in D. Brutum? Dii iſtis. Ego me, ut ſcripſeram, in Pompeianum non abdidi, primò tempeſtatibus, quibus nil tetrius: deinde ab Octaviano quotidie lit-

teræ, ut negotium ſuſciperem, Capuam venirem, iterum rempublicam ſervarem; Romam utique ſtatim.

Αἰδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

Is tamen egit ſanè ſtrenuè, & agit: Romam veniet cum manu magna: ſed eſt planè puer. Putat ſenatum ſtatim. Quis veniet? si venerit, quis incertis rebus offendet Antonium? Kalend. Jan. erit fortaſſe præsidio; aut quidem antè depugnabitur. Puero municipia mirè favent: iter enim faciens in Samnium venit Cales, manſit Theani: mirifica ἀπάντησις, & cohortatio. Hoc tu putares? Ob hoc ego citiùs Romam, quàm conſtitueram: simul ac conſtituero, ſcribam. Etsi nondum ſtipulationes legeram (nec enim Eros venerat) tamen rem pridie Idus velim conficias. Epiſtolas Catinam, Tauromenium, Syracuſas commodiùs mittere potero, si Valerius interpres ad me nomina gratioſorum ſcripſerit: alii enim ſunt aliàs, noſtrique familiares ferè demortui: publicè tamen ſcripsi, si uti vellet eis Valerius; aut mihi nomina mitteret. De Lepidianis feriis Balbus ad me uſque ad III Kalend. Exſpectabo tuas litteras: deque Torquati negotiolo ſciturum puto. Quinti litteras ad te misi, ut ſcires quàm valdè eum amaret, quem dolet a te minùs amari.

Atticæ, quoniam, quod optimum in pueris eſt, hilarula eſt, meis verbis ſuavium des. Vale.

CICERO ATTICO SAL.

11. SEPTIMO Id veni ad me in Sinueſſanum: eodem die vulgò loquebantur Antonium manſurum eſſe Caſilini: itaque mutavi consilium; ſtatueram enim rectà Appiâ Romam: facilè me ille eſſet aſſecutus: aiunt enim eum Cæſarinâ uti celeritate. Verti igitur me a Minturnis Arpinum verſùs. Conſtitueram, ut v Idus aut Aquini manerem, aut in Arcano. Nunc, mi Attice, totâ mente incumbe in hanc curam: magna enim res eſt: tria ſunt autem; maneamne Arpini, an propiùs accedam, an veniam Romam. Quod cenſueris, faciam. Sed quamprimum: avidè exſpecto tuas litteras. vi Idus manè in Sinueſſano.

CICERO ATTICO SAL.

12. OPPII epiſtolæ, quia perhumana erat, tibi misi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quidquam reſcribis, cepi consilium domeſticum: itaque me pridie Idus arbitror Romæ futurum: commodius eſt viſum, fruſtra me iſtic eſſe, quum id non neceſſe eſſet, quàm, si opus eſſet, non adeſſe; & simul, ne in-

tercluderer, metuebam : ille enim jam adventare poteſt : etsi varii rumores; multique, quos cuperem veros. Nihil tamen certi. Ego verò, quidquid eſt, tecum potiùs, quàm animi pendeam, quum a te absim, & de te, & de me. Sed quid tibi dicam ? bonum animum. De Ἡρακλειδείῳ Varronis, negotia ſalſa : me quidem nihil umquam sic delectavit. Sed hæc, & alia majora coràm.

CICERO ATTICO SAL.

13. O CASUM mirificum ! VI Idus quum ante lucem de Sinueſſano ſurrexiſſem, veniſſemque diluculo ad pontem Tirenum, qui eſt Minturnis, in quo flexus eſt ad iter Arpinas, obviam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. Ego ſtatim, Cedo, inquam, si quid ab Attico. Nondum legere poteramus: nam & lumina dimiſeramus; nec ſatis lucebat. Quum autem luceret, antè ſcripta epiſtola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta eſt. Illa omnium quidem elegantiſsima : ne sim ſalvus, si aliter ſcribo, ac ſentio: nihil legi humanius. Itaque veniam, quò vocas, modò adjutore te. Sed nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primò videbatur, quàm ad has litteras, quibus ego a te conſilium petieram, te mihi iſta reſcribere. Ecce tibi altera, quâ hortaris παρ᾽ ἠνεμόεντα Μίμαντα, Νήσου ἔπι Ψυρίης, Appiam ἐπ᾽ ἀριστερ᾽ ἔχοντα.

præclarè convenit; aut da melius. Malè narras de Nepotis filio : valde mehercule moveor, & moleſtè fero : neſcieram omnino eſſe iſtum puerum. Caninium perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum nihil eſt quòd hortere : miſit enim ſatis bellum ὑπόμνημα. Gravedini, quæſo, omni ratione ſubveni. Quintus avi tui pronepos, ſcribit ad patris mei nepotem, ſe ex Nonis iis, quibus nos magna geſſimus, ædem Opis explicaturum, idque ad populum. Videbis igitur, & ſcribes. Sexti judicium exſpecto.

Cicero Attico Sal.

15. Noli putare pigritiâ me facere; quòd non meâ manu ſcribam : ſed mehercule pigritiâ : nihil enim habeo aliud quod dicam; & tamen in tuis quoque epiſtolis Alexim videor agnoſcere. Sed ad rem venio. Ego, ſi me non improbiſſimè Dolabella tractaſſet, dubitaſſem fortaſſe, utrùm remiſſior eſſem, an ſummo jure contenderem. Nunc verò etiam gaudeo mihi cauſam oblatam, in qua & ipſe ſentiat, & reliqui omnes me ab illo abalienatum; idque præ me feram, & quidem me meâ facere, & reipublicæ causâ, ut illum oderim, quòd quum eam me auctore defendere cœpiſſet, non modò deſe-

ruerit, emptus pecuniâ, ſed etiam, quantum in ipſo fuit, everterit. Quòd autem quæris, quomodo agi placeat, quum dies venerit; primùm velim ejuſmodi sit, ut non alienum sit, me Romæ eſſe: de quo ut de ceteris, faciam, ut tu cenſueris. De ſumma autem agi prorſus vehementer & ſeverè volo. Etsi ſponſores appellare, videtur habere quamdam δυσωπίαν: tamen hoc quale sit, consideres velim: poſſumus enim, ut ſponſores appellentur, procuratores introducere; neque enim illi litem conteſtabuntur: quo facto, non ſum neſcius ſponſores liberari. Sed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod ſatiſdato debeat, procuratores ejus non diſſolvere; & noſtræ gravitatis, jus noſtrum sine ſumma illius ignominia perſequi. De hoc quid placeat, reſcribas velim: nec dubito quin hoc totum leniùs adminiſtraturus sis. Redeo ad rempublicam. Multa mehercule a te ſæpe ἐν πολιτικῷ genere prudenter; ſed his litteris nihil prudentius. *Quamquam enim poſt ea, in præſentia bellè iſte puer retundit Antonium, tamen exitum exſpectare debemus.* At, quæ concio? nam eſt miſſa mihi: jurat *ita sibi parentis honores conſequi liceat*: & simul dextram intendit ad ſtatuam. Μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου. Sed, ut ſcribis, certissimum eſſe video diſcrimen Caſcæ noſtri tribu-

natum ; de quo quidem ipſo dixi Oppio, quum me hortaretur, ut adoleſcentem, totamque cauſam, manumque veteranorum complecterer, me nullo mòdo facere poſſe, ni mihi exploratum eſſet, eum non modò non inimicum tyrannoctonis, verùm etiam amicum fore. Quum ille diceret, ita futurum : Quid igitur feſtinamus ? inquam : illi enim meâ operâ ante Kalend. Januar. nihil opus eſt : nos autem ejus voluntatem ante Idus Decemb. perſpiciemus in Caſca. Mihi valde aſſenſus eſt. Quamobrem hæc quidem hactenus. Quod reliquum eſt, quotidie tabellarios habebis, &, ut ego arbitror, etiam quod ſcribas habebis quotidie. Leptæ litterarum exemplum tibi misi; ex quo mihi videtur στρατύλλαξ ille dejectus de gradu. Sed tu, quum legeris, exiſtimabis.

Obsignatâ jam epiſtolâ, litteras a te, & a Sexto accepi. Nihil jucundius litteris Sexti, nihil amabilius : nam tuæ, breves : priores erant uberrimæ. Tu quidem & prudenter, & amicè ſuades, ut in his locis potissimùm sim, quoad audiamus, hæc, quæ commota ſunt, quorſum evadant. Sed me, mi Attice, non ſanè hoc quidem tempore movet reſpublica; non quò aut sit mihi quidquam carius, aut eſſe debeat : ſed deſperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. Quare

iſta valeant : me res familiaris movet : rem dico ? immo verò exiſtimatio. Quum enim tanta reliqua sint, ne Terentiæ quidem adhuc, quod ſolvam, expeditum eſt. Terentiam dico ? ſcis nos pridem jam conſtituiſſe Montani nomine H-S xxv diſſolvere : pudentissimè hoc Cicero petierat, ut fide ſuâ : liberalissimè, ut tibi quoque placuerat, promiſeram ; Erotique dixeram, ut ſepositum haberet. Non modò : ſed iniquissimo fœnore verſuram facere Aurelius coactus eſt. Nam de Terentiæ nomine Tiro ad me ſcripsit, te dicere, nummos a Dolabella fore : malè eum credo intellexiſſe, si quiſquam malè intelligit; potiùs, nihil intellexiſſe : tu enim ad me ſcripsiſti Cocceii reſponſum, & iiſdem pene verbis Eros. Veniendum eſt igitur vel in ipſam flammam : turpius eſt enim privatim cadere, quàm publicè. Itaque ceteris de rebus, quas ad me ſuavissimè ſcripsiſti, perturbato animo, non potui, ut conſueram, reſcribere. Conſenti in hac cura, ubi ſum, ut me expediam : quibus autem rebus, venit quidem mihi in mentem ; ſed certè conſtituere nihil poſſum, priùs quàm te videro. Quî minùs autem ego iſtic rectè eſſe possim, quàm eſt Marcellus ? Sed non id agitur ; neque id maximè curo : quid curem, vides : adſum igitur.

CICERO ATTICO SAL.

16. JUCUNDISSIMAS tuas legi litteras. Ad Plancum ſcripsi; habes exemplum. Cum Tirone quid sit locutus, cognoſcam ex ipſo. Cum ſorore ages attentiùs, si te occupatione iſtâ relaxaris.

M. CICERO CN. PLANCO PRÆT. DES. S.

ATTICI noſtri te valde ſtudioſum eſſe cognovi, mei verò ita cupidum, ut mehercule paucos æquè obſervantes, atque amantes me habere exiſtimem : ad paternas enim magnas, & veteres, & juſtas necessitudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me, meaque erga te, par atque mutua. Buthrotia tibi cauſa ignota non eſt : egi enim ſæpe de ea re tecum, tibique totam rem demonſtravi; quæ eſt acta hoc modo. Ut primùm Buthrotium agrum proſcriptum vidimus, commotus Atticus libellum compoſuit : eum mihi dedit, ut darem Cæſari; eram enim cœnaturus apud eum illo die. Eum libellum Cæſari dedi : probavit cauſam; reſcripsit Attico, æqua eum poſtulare : admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem ſolverent. Atticus, qui civitatem conſervatam cuperet, pecuniam numeravit de ſuo. Quod quum eſſet factum, adivimus ad Cæſarem, verba feci-

mus pro Buthrotiis, liberaliſſimum decretum abſtulimus; quod eſt obſignatum ab ampliſſimis viris. Quæ quum eſſent acta, mirari quidem ſolebam, pati Cæſarem convenire eos, qui agrum Buthrotium concupiſſent; neque ſolùm pàti, ſed etiam eì negotio te præficere. Itaque & ego cum illo locutus ſum, & ſæpius quidem, ut etiam accuſarer ab eo, quòd parum conſtantiæ ſuæ confiderem: & M. Meſſallæ, & ipſi Attico dixit, ut ſine cura eſſent: apertéque oſtendebat, ſe præſentium animos (erat enim popularis, ut nôras) offendere nolle: quum mare tranſiſſent, curaturum ſe, ut in alium agrum deducerentur. Hæc illo vivo. Poſt interitum autem Cæſaris, ut primùm ex ſenatusconſulto cauſas conſules cognoſcere inſtituerunt, hæc, quæ ſuprà ſcripſi, ad eos delata ſunt: probaverunt cauſam ſine ulla dubitatione, ſeque ad te litteras daturos eſſe dixerunt. Ego autem, mi Plance, etſi non dubitabam, quin & ſenatuſconſultum, & lex, & conſulum decretum, ac litteræ apud te plurimum auctoritatis haberent, teque ipſius Attici cauſâ velle intellexeram; tamen hoc pro conjunctione, & benevolentia noſtra mihi ſumpſi, ut id a te peterem, quod tua ſingularis humanitas, ſuaviſſimique mores a te eſſent impetraturi: id autem eſt, ut hoc,

quod te tuâ ſponte factūrum eſſe certò ſcio, honoris noſtri causâ libenter, prolixè, celeriter facias. Mihi nemo eſt amicior, nec jucundior, nec carior Attico: cujus antea res solùm familiaris agebatur, eaque magna; nunc accessit etiam exiſtimatio, ut, quod conſecutus eſt magnâ & induſtriâ, & gratiâ, & vivo Cæſare, & mortuo, id, te adjuvante, obtineat. Quod si a te erit impetratum, sic velim exiſtimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo ſummo beneficio me affectum judicem. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, ſtudiosè, diligenterque curabo. Da operam ut valeas.

CICERO PLANCO PRÆT. DES. S.

JAM antea petivi abs te per litteras, ut, quum cauſa Buthrotiorum probata a conſulibus eſſet, quibus & lege, & ſenatusconſulto permiſſum erat, ut de Cæſaris actis cognoſcerent, ſtatuerent, judicarent, eam rem tu adjuvares; Atticumque noſtrum, cujus te ſtudioſum cognovi, & me, qui non minùs laboro, moleſtiâ liberares. Omnibus enim rebus magnâ curâ, multâ operâ, & labore confectis, in te poſitum eſt, ut noſtræ ſollicitudinis finem quamprimum facere poſſimus: quamquam intelligimus eâ te eſſe prudentiâ, ut videas, si ea decreta conſulum, quæ de Cæſaris

actis interpoſita ſunt, non ſerventur, magnam perturbationem rerum fore. Equidem, quum multa, quod neceſſe erat in tanta occupatione, non probentur, quæ Cæſar ſtatuerit; tamen otii, paciſque cauſâ acerrimè illa ſoleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum cenſeo; quamquam hæc epiſtola non ſuaſoris eſt, ſed rogatoris. Igitur, mi Plance, rogo te, & etiam oro, sic medius fidius, ut majore ſtudio, magiſque ex animo agere non poſſim, ut totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, ut, quod sine ulla dubitatione apud conſules obtinuimus propter ſummam bonitatem, & æquitatem cauſæ, id tu nos obtinuiſſe non modò facilè patiare, ſed etiam gaudeas: quâ quidem voluntate te eſſe erga Atticum, ſæpe præſens & illi oſtendiſti, & verò etiam mihi. Quod si feceris, me, quem voluntate, & paternâ necessitudine conjunctum ſemper habuiſti, maximo beneficio devinctum habebis: idque ut facias te vehementer etiam atque etiam rogo.

CICERO CAPITONI SUO S.

NUMQUAM putavi fore, ut ſupplex ad te venirem: ſed hercule facilè patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, ſcis. Amabo te, da mihi & hoc: oblivíſcere meâ

causâ, illum aliquando ſuo familiari, adverſario tuo, voluiſſe conſultum, quum illius exiſtimatio ageretur. Hoc primùm ignoſcere eſt humanitatis tuæ; ſuos enim quiſque debet tueri : deinde, si me amas (omitte Atticum) Ciceroni tuo, quem quanti facias præ te ſoles ferre, totum hoc da, ut, quod ſemper exiſtimavi, nunc planè intelligam, me a te multum amari. Buthrotios quum Cæſar decreto ſuo, quod ego obsignavi cum multis amplissimis viris, liberaviſſet, oſtendiſſetque nobis, ſe, quum agrarii mare transiſſent, litteras miſſurum, quem in agrum deducerentur; accidit, ut ſubitò ille interiret. Deinde, quemadmodum tu ſcis (interfuiſti enim, quum conſules oporteret ex ſenatuſconſulto de actis Cæſaris cognoſcere) res ab iis in Kal. Jun. dilata eſt. Acceſsit ad ſenatuſconſultum lex, quæ lata eſt a. d. IV Non. Jun. quæ lex earum rerum quas Cæſar ſtatuiſſet, decreviſſet, egiſſet, conſulibus cognitionem dedit. Cauſa Buthrotiorum delata eſt ad conſules. Decretum Cæſaris recitatum eſt, & multi præterea libelli Cæſaris prolati. Conſules de consilii ſententia decreverunt ſecundùm [illegible]rotios; Plancum dederunt. Nu[illegible]ito (ſcio enim quantum ſ[illegible], quibuſcum ſis, poſſe [illegible]id hominem facillimum atque

atque humanissimum Plancum) enitere; elabora, vel potiùs eblandire, effice, ut Plancus, quem ſpero optimum eſſe, ſit etiam melior, operâ tuâ. Omnino res hujuſmodi videtur eſſe, ut ſine cujuſquam gratia Plancus ipſe pro ingenio, & prudentia ſua non ſit dubitaturus, quin decretum conſulum, quorum & lege, & ſenatuſconſulto cognitio, & judicium fuit, conſervet; præſertim quum, hoc genere cognitionum labefactato, acta Cæſaris in dubium ventura videantur; quæ non modò ii, quorum intereſt, ſed etiam ii, qui illa non probant, otii causâ confirmare velint. Quod quum ita ſit, tamen intereſt noſtrâ, Plancum hoc animo libenti prolixoque facere: quod certè faciet, ſi tu nervulos tuos, mihi ſæpe cognitos, ſuavitatemque, quâ nemo tibi par eſt, adhibueris. Quod ut facias, te vehementer rogo.

CICERO C. CUPIENNIO S.

PATREM tuum plurimi feci; meque ille mirificè & coluit, & amavit; nec mehercule umquam mihi dubium fuit, quin a te diligerer: ego quidem id facere non deſtiti. Quamobrem peto a te in majorem modum, ut civitatem Buthrotiam ſubleves, decretumque conſulum, quod ii ſecundùm Buthrotios fecerunt, quum &

lège, & ſenatuſconſulto ſtatuendi poteſtatem haberent, des operam, ut Plancus noſter quamprimum confirmet & comprobet. Hoc te vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.

Cicero Planco Præt. Des. S.

Ignosce mihi, quòd quum antea accuratissimè de Buthrotiis ad te ſcripſerim, eadem de re ſæpius ſcribam. Non mehercule, mi Plance, facio, quò parum confidam aut liberalitati tuæ, aut noſtræ amicitiæ; ſed quum tanta res agatur Attici noſtri, nunc verò etiam exiſtimatio, ut id, quod probavit Cæſar, nobis teſtibus & obsignatoribus, qui & decretis & reſponsis Cæſaris interfueramus, videatur obtinere potuiſſe, præſertim quum tota poteſtas ejus rei tua sit, ut ea, quæ conſules decreverunt, ſecundùm Cæſaris decreta & reſponſa, non dicam comprobes, ſed ſtudiosè libenterque comprobes: id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior eſſe possit. Etsi jam ſperabam, quum has litteras accepiſſes, fore, ut ea, quæ ſuperioribus litteris a te petiiſſemus, impetrata eſſent; tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit, te id feciſſe; quod magna cum ſpe exſpectamus: deinde enim confido fore, ut alio genere litterarum utamur; tibique pro tuo

ſummo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, velim sic exiſtimes, non tibi tam Atticum, cujus permagna res agitur, quàm me, qui non minùs laboro, quàm ille, obligatum fore. Vale.

CICERO CAPITONI S.

NON dubito, quin mirere, atque etiam ſtomachere, quòd tecum de eadem re agam ſæpius. Hominis familiarissimi, & mihi omnibus rebus conjunctissimi, permagna res agitur Attici. Cognovi ego tua ſtudia in amicos, etiam in te amicorum. Multum potes nos apud Plancum juvare. Novi humanitatem tuam: ſcio quàm sis amicis jucundus. Nemo nos in hac cauſa plus juvare poteſt, quàm tu. Et res ita eſt firma, ut debet eſſe, quam conſules de consilii ſententia decreverunt, quum & lege, & ſenatuſconſulto cognoſcerent. Tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate; quem quidem arbitramur quum officii tui, & reipublicæ causâ decretum conſulum comprobaturum, tum libenter noſtrâ causâ eſſe facturum. Adjuvabis igitur, mi Capito: quod ut facias, vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Epiſtolarum ad Atticum Manutianus ordo cum vulgato collatus.

Ann. ur. C.				
	Liber Primus.			
685	1		5	
	2		6	
	3		7	
686	4		8	
	5		9	
	6		10	
	7		11	
	8		3	
687	9		4	
688	10		1	
689	11		2	
692	12	17	12	17
693	18	20	18	20
	Liber Secundus.			
	1	2	1	2
694	3	9	3	9
	10		12	
	11		10	
	12		11	
	13	25	13	25
	Liber Tertius.			
695	1		3	
	2		2	
	3		4	
	4		1	
	5	12	5	
	13		14	
	14		13	
	15	27	15	

Liber Quartus.

Ann. ur. C.				
696	1	3	1	3
697	4	8	4	8
	9		10	
	10		9	
698	11	13	11	13
699	14	18	14	18

Liber Quintus.

702	1	20	1	20
703	21		21	

Liber Sextus.

	1	5	1	5
	6		7	
	7		6	
	8	9	8	9

Liber Septimus.

	1	8	1	8
704	9	26	9	26

Liber Octavus.

	1	16	1	16

Liber Nonus.

	1	19	1	19

Liber Decimus.

	1	18	1	18

Liber Undecimus.

705	1	8	1	8
706	9	18	9	18

Ann. ur. C.				
	19		25	
	20		23	
	21		19	
	22		24	
	23		20	
	24		21	
	25		22	

Liber Duodecimus.

707	1	6	1	6
	7		10	
	8		11	
	9		7	
	10		16	
	11		9	
	12	15	12	15
	16		8	
	17		18	
	18		17	
	19	53	19	53

Liber Decimus-tertius.

708	1	26
	2	1
	3	2
	4	27
	5	28
	6	29
	7	30
	8	31
	9	32
	10	33
	11	3

ur. C.				
	12		4	
	13		5	
	14		6	
	15		7	
	16		8	
	17		9	
	18		10	
	19		11	
	20		12	
	21		13	
	22		14	
	23		15	
	24		16	
	25		17	
	26		18	
	27		19	
	28		20	
	29		21	
	30		22	
	31		23	
	32		24	
	33		25	
	34		35	
	35		34	
	36	52	36	52

LIBER DECIMUS-QUARTUS.

709	1	22	1	22

LIBER DECIMUS-QUINTUS.

1	4	1	4
5		8	
6		5	

Ann. ur. C.

7		6	
8		9	
9		10	
10		11	
11		12	
12		13	
13		7	
14	29	14	29

LIBER DECIMUS-SEXTUS.

1		1	
2		5	
3		4	
4		2	
5		3	
6	9	6	9
10		11	
11		10	
12	16	12	16

POEMATUM
FRAGMENTA.

PHÆNOMENON
EX ARATO,

Quæ ſuperſunt M. T. Ciceronis Fragmenta.

Cum *Hugonis Grotii* Supplementis.

AB Jove Muſarum primordia : *ſemper in ore*
Plurimus ille hominum eſt, qui compita numine magno,
Conciliumque virûm complet, pelaguſque profundum,
Et pelagi portus. Fruimur Jove, & utimur omnes.
Nos genus illius, nobis ille omine læto,
Dextera præsignat, populumque laboribus urget,
Conſulat ut vitæ : quando ſit terra ligoni
Aptior, aut bubus monet, & quo tempore par ſit,
Aut ſerere, aut ſeptas lymphis aſpergere plantas.

Ipſe etiam in magno defixit lumina mundo;
Ordine quæque ſuo, atque in totum providus annum
Aſtra dedit, quæ nos moneant, quâ qualibet horâ
Apta geri, certâ naſcantur ut omnia lege.
Idem ergo primus placatur, & ultimus idem.
Magne pater, magnum mortalibus incrementum,
Progenies prior, & dulces ante omnia Muſæ,
Cuncti unà ſalvete mihi, & dum ſidera canto,
Si jus faſque ſinunt, longum deducite carmen.
Cetera labuntur celeri cœleſtia motu,
Cum cœloque ſimul, noctesque dieſque feruntur;
Axis at immotus numquam veſtigia mutat,
Sed tenet æquali libratas pondere terras;
Quem circum magno ſe volvit turbine cœlum.
Extremuſque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur eſſe Polus, *quorum hic non cernitur, ille*
Ad Boream, Oceani ſuperà confinia tendit:
Quem cingunt Urſæ celebres cognomine Plauſtri,
Quas noſtri ſeptem ſoliti vocitare Triones.
Alterius caput, alterius flammantia terga
Adſpicit, inque vicem pronas rapit orbis in ipſos
Converſas humeros. Cretâ, ſi credere fas eſt,
Ad cœli nitidas arces venere relictâ:
Jupiter hoc voluit, quem ſub bene olentibus herbis
Ludentem Dicti grato poſuere ſub antro,
Idæum ad montem, totumque aluere per annum,
Saturnum fallunt dum Dictæi Corybantes.
Ex his altera apud Graios Cynoſura vocatur,
Altera dicitur eſſe Helice, *quæ monſtrat Achivis*

In pelago navis quò ſit vertenda, ſed illâ
Se fidunt duce nocturnâ Phœnices in alto.
Sed prior illa magis ſtellis diſtincta refulget,
Et latè primâ confeſtim nocte videtur.
Hæc verò parva eſt, ſed nautis uſus in hac eſt:
Nam curſu interiore brevi convertitur orbe,
Signaque Sidoniis monſtrat certiſſima nautis.
Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu' Draco ſerpit, ſubter ſuperáque revolvens
Seſe, conficienſque ſinus e corpore flexos,
Quos cani tangunt immunes gurgitis Arctoi.
Verùm hæc extremæ circumdatur agmine caudæ,
Quà ſpiræ ſinus eſt involvitur altera cælo.
Nempe Helice extremæ circumdatur agmine caudæ;
Quà ſpiræ ſinus eſt, caput eſt Cynoſuridos Urſæ:
Quæ tamen uſque pedes ſummo illum a vertice tangit.
Retrogrado hic iterum curſu convertitur anguis.
Huic non una modo caput ornans ſtella relucet,
Verùm tempora ſunt duplici fulgore notata,
E trucibuſque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti ſidere lucet:
Obſtipum caput, & tereti cervice reflexum,
Obtutum in caudam majoris figere dicas.
Oppoſita extremæ capitis ſunt dextera caudæ.
Hoc caput hîc paulùm ſeſe, ſubitóque recondit,
Ortus ubi, atque obitus partem admiſcentur in unam.
Attingens defeſſa velut mœrentis imago
Vertitur; *hanc nemo certò tibi dicere poſſit,*
Aut quiſnam, quo ſit feſſus, labor: attamen illam

Engonasin vocitant, genibus quòd nixa feratur.
Illa petit binis manibus diverſa locorum,
Atque humeros ſuperà tensis diſpenditur ulnis,
Et ſuper ora cavis ſpirantia naribus ignem
Serpentis dextræ figit veſtigia plantæ.
Hîc illa eximio posita eſt fulgore corona:
Hanc Ariadnæum Bacchus teſtatus amorem
Intulit in cælum, quà Nixi terga fatiſcunt.
Juxta humeros ſertum eſt: propter caput Anguitenentis
Quem claro perhibent Ophiucum nomine Graïi,
Eſt caput illius, ſummoque ex vertice Nixi
Perfacilè alterius candentia sidera noſces.
Huic ſuperà duplices humeros affixa videtur
Stella, micans tali ſpecie, talique nitore,
Fulgeat ut, pleno quum lumine Luna refulsit.
Non par eſt geminis manibus vigor, & licet illis
Nec nullus ſplendor, nec sit parvissima moles,
Attamen eſt tenuis diſperſo lumine fulgor.
Hic preſſu duplici palmarum continet Anguem,
Ejus & ipſe manet religatus corpore toto:
Namque virum medium ſerpens ſub pectora cingit.
Ille tamen graviter nitens veſtigia ponit,
Atque oculos urget pedibus pectuſque Nepaï.
Hic preſſus dextrâ, ſurgit, ſed parte siniſtrâ,
Sertaque ſupremæ tangunt Minoïa malæ.
Sub ſpira quæres immenſo corpore chelas,
Quæ tamen haud magnum jactant pro mole nitorem.
Ipſam Helicen ſequitur, non diſpar formæ bubulco,
Arctophylax, vulgò qui dicitur eſſe Bootes,

Quòd quasi temone adjunctam præ ſe quatit Arcton.
Clarus hic, & ſubter præcordia fixa tenetur
Stella micans radiis Arcturus nomine claro.
Hic ſe ſub pedibus profert finita Booti
Spicum illuſtre tenens ſplendenti corpore Virgo.
Sive illi Aſtræus pater eſt, qui dicitur idem
Sideribus ſtelliſque pater, ſeu quilibet alter,
Sit felix: ſanè hæc narratur fabula vulgo.
Incoluit cœlo terras Aſtræa relicto,
Conventuſque hominum non dedignata priorum:
Sed nec femineos ſpernens inviſere cœtus,
Lethi expers generi mortali mixta reſedit,
Nomine Juſtitiæ gaudens, ſenibuſque coactis,
Sive foro in magno, ſeu latipatente plateâ,
Civiles populis dictabat ſedula leges.
Nec mala lis fuerat, nec dum diſcordia nota,
Nec fera ſeditio furiarat mobile vulgus,
Sæva nec audaces fuerant freta paſſa carinas:
Sed bubus tracto ſulcantes vomere terras,
Malebant tenui contenti vivere cultu,
Sufficiente Deâ juſtis pleno omnia cornu.
Hæc manet, in ſanctis dum gens manet aurea terris.
Sed non argenti nimis eſt lætata metallo,
Moribus at verſis prior eſt quoque verſa voluntas,
Raraque pejori junxit ſua numina genti:
Sola ſed ex raucis deſcendens montibus ibat,
Sub noctem, nulli teneris blandita loquelis,
Sed ſimulac magnas hominum veniſſet ad urbes,
Improba terrificis ſic ulta eſt crimina verbis:

Non ego me dignor poſthac monſtrare videnda
Degener ô prima proles nunc altera prolis,
Degeneres iterumque iterumque habitura nepote
Tunc fera bella hominum generi, cædeſque neſ
Impendent, culpamque comes ſua pœna ſequetu
Sic ait, & populos intenta etiam ora tenentes
Linquit, & ad montes ſylvarumque avia tendit
Hæc ætas vitam liquit, ſobolemque reliquit.
Ferrea tum verò proles exorta repentè eſt,
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu victum, domitumque juvencu
Tunc mortale exoſa genus Dea in alta volavit
Et Jovis in regno, cœlique in parte recepta eſt
Illuſtrem ſortita locum, quà nocte ſerenâ
Virgo conſpicuo fulget vicina Bootæ.
Huic, humeros ſuperà duplices convertitur ala
Ad dextram, Graio Protrygeter nomine dicta,
Stella micans, tali ſpecie, talique nitore,
Qualis & immenſæ ſub cauda volvitur Arcti.
Illa quidem flagrans: ſed & huic flagrantia plu
Sidera, quæ parvo poteris reperire labore.
Quin etiam ante pedes magno fulgore notata
Stella nitet: dehinc prima humeros ſubit, altera l
Tertia ſub caudam ad genus ipſum lumina pandi
Cetera ſed certo passim sine nomine fulgent.
Et natos Geminos inviſes ſub caput Arcti.
Subjectus mediæ eſt Cancer, pedibuſque tenett
Magnus Leo, tremulam quatiens e corpore flam
Explicat hîc ſummos ardores ſemita Phœbi.

nullæ apparent per culta novalia ſpicæ,
cipióque adeo Solis per cærula cæli
motu radiantis, Eteſiæ in vada ponti
umbunt glomerati, & longo flamine ſpirant.
mihi non remi placeat ratis indiga, verùm
e ſatis, rectoque ad venti commoda clavo.
pis Aurigam, atque Aurigæ noſcere ſtellas,
que fama tuas Capræ pervenit ad aures,
umque ſimul, quorum duo lumina cernunt
per iratum jactata cadavera pontum:
æva is Geminorum obductus parte feretur.
rſum caput huic Helice truculenta tuetur.
apra lævum humerum clara obtinet: *illa putatur*
adhuc parvo lactenda dediſſe Tonanti:
Jovis Oleniam capram dixere miniſtri.
n hæc eſt magno atque illuſtri prædita ſigno;
à Hædi exiguum jaciunt morta ibus ignem,
a in manibus; cujus veſtigia ſervans,
iger eſt valido connixus corpore Taurus,
non difficili ratione agnoſcere poſſis.
que illum exornant externi haud indiga ſigni
a, quæ vivum caput olli utrimque figurant,
a per totam ſpargentia lumina frontem:
Græci ſtellas Hyadas vocitare ſuerunt.
es Aurigæ dexter, cornuque ſiniſtrum
uno igne micant: pariterque feruntur uterque:
ior Aurigâ latum petit oceanum Bos,
tamen e placidis ſurgant ſimul æquoris undis.
etiam Iaſidæ domus antiquiſſima Cephei

Ærumnis eſt nota ſuis , quam Jupiter auctor
Progenii ſubitò præclaris intulit aſtris :
Namque ipſum ad tergum Cynoſuræ vertitur Arcti
Iasides pansis diſtendens brachia palmis ,
Tantaque ab extrema cauda diſterminat Arcti
Regula utrumque pedem , quantâ pes a pede diſtat.
Quòd si a Cephæo paulùm tua lumina balteo
Dimoveas , verſus ſævi agmina prima Draconis ,
Hîc erit , haud plenâ poteris quam cernere lunâ ,
Obſcurâ ſpecie ſtellarum Cassiopea :
Nam non crebræ illi ſtellæ , neque sidera juncta
Egregium ex variis componunt ignibus ignem :
Sed quali portas firmatas objice clavi
Occludit vectis bifori vis obdita valvæ ,
Talia & hanc etiam privè diſpoſita figurant
Sidera ; & ipſa adeo passis diſtenditur ulnis ,
Non ſecus ac ſortem natæ miſeretur iniquam :
Hanc namque illuſtri verſatur corpore proptèr
Andromeda , effugiens conſpectum mœſta parentis :
Quam non ſollicitus noctu labor inquirundi ;
Tam clarum caput eſt , tam magno sidere flagrant
Ambo humeri , ſummique pedes , veſteſque fluentes.
Hæc etiam in varias diſtendit brachia partes ,
Utque priùs , sic nunc in magno vincula mundo
Non relevant duro defeſſas pondere palmas.
Huic Equus ille jubam quatiens fulgore micanti
Summâ contingit caput alvo , ſtellaque jungens
Una tenet duplices communi lumine formas ,
Æternum ex aſtris cupiens connectere nodum.

latus, atque armos depingunt terna caballi,
uali a ſeſe ſpatio, quæ sidera, diſtant,
mio fulgore, quibus par nec caput altum
longa eſt cervix: flagrantis at ultima malæ
ituor his aliis non cedat ſtella nitore,
entes inter ſtellas media ipſa refulgens.
i equidem hic quadrupes, verùm media tenus alvo
ſpicuus profert ſonipes venerabilis ora.
ic fama eſt olim propter juga ſumma Heliconis,
pocrenæum nobis donaſſe liquorem:
e nondum Aonii maduêre virentia montis
ndo latice: ut generoſi prima caballi
ula humum feriit, ſimul ingens proſiliit fons,
le caballinum primi vocitâre bubulci.
quidem ſtillans e ſaxis irrigat agros
ſpia terra tuos: ſed Equus pro munere tanto
rnat magni penetralia lucida cœli.
i contortis Aries cum cornibus hæret,
quidem æternùm longos agitatus in orbes
tior haud currit ſigno Cynoſuridos Arcti,
guidus obſcuruſque tamen, ceu luna retundat
ma aciem, Andromedæ ſe proptèr cingula volvit:
imus hanc ſubter possis cognoſcere fultum.
coeli mediam partem terit, ut priùs illæ
læ. Tum pectus quà cernitur Orionis,
ropè conſpicies parvum ſub pectore claro
romedæ signum, Deltôton dicere Graii
d ſoliti, simili quia formâ littera claret:
: ſpatio ductum simili latus exſtat utrumque.

At non tertia pars lateris : namque eſt minor illis,
Sed ſtellis longè denſis, præclara relucet.
Inferior paulò eſt Aries, & flamen ad Auſtri
Inclinatior, atque etiam vehementiùs illo
Piſces, quorum alter paulò prælabitur antè,
Et magis horriſonis Aquilonis tangitur alis :
Atque horum e caudis duplices velut eſſe catenæ
Dicuntur : ſua diverſæ per lumina ſerpunt,
Atque una tandem in ſtella communiter hærent,
Quam veteres ſoliti cœleſtem dicere Nodum.
Andromedæ lævo ex humero si quærere perges,
Appoſitum poteris ſuperà cognoſcere piſcem.
E pedibus, natum ſummo Jove Perſea viſes,
Quos humeris retinet defixo corpore Perſeus ;
Quem ſumma ab regione Aquilonis flamina pulſant.
Hic dextram ad ſedes intendit Caſſiopeæ,
Diverſoſque pedes, vinctos talaribus aptis,
Pulverulentus uti de terra lapſu' repentè
In cœlum victor magnum ſub culmine portat.
At proptèr lævum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hæ ſeptem vulgò perhibentur more vetuſto
Stellæ, cernuntur verò ſex undique parvæ.
At non interiiſſe putari convenit unam :
Sed fruſtra temerè a vulgo ratione sine ulla
Septem dicier, ut veteres ſtatuère Poëtæ,
Æterno cunctas ævo qui nomine dignant.
Alcyone, Meropeque, Celæno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, simul ſanctiſſima Maia.

nues parvo labentes lumine lucent:
gnum nomen signi, clarumque vocatur,
:rea quòd & æſtatis primordia clarat,
t hiberni præpandens temporis ortus,
net, ut mandent mortales ſemina terris,
ides leviter posita & connexa videtur,
rius parvis manibus quam dicitur olim
is fabricatus in alta ſede locaſſe;
jenus ad lævum Nixi delapſa reſedit,
inter flexum genus, & caput Alitis hæsit.
ıe eſt Ales avis, lato ſub tegmine cœli
'olat, & ſerpens geminis ſecat aëra pennis.
pars huic obſcura eſt, & luminis expers:
nec parvis, nec claris lucibus ardet,
ediocre jacit quatiens e corpore lumen.
extram Cephei dextro pede pellere palmam
: jam verò clinata eſt ungula vehemens
Equi, proptèr pennati corporis alam.
ıtem labens mutis Equus ille tenetur
ıs: huic cervix dextrâ mulcetur Aquarî.
hæc obitus terraï visit Equi vis,
gelidum valido de corpore frigus anhelans
re ſemifero magno Capricornus in orbe:
quum perpetuo veſtivit lumine Titan,
li flectens quum torquet tempore curſum;
ıve te ponto ſtudeas committere menſe:
ıon longinquum ſpatium labère diurnum,
iberna citò volvetur curriculo nox:
ia non ſeſe veſtris aurora querelis

Ocyus oſtendet, clari prænuntia ſolis:
At validis æquor pulſabit viribus Auſter:
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni jam labuntur tempore toto,
Nec cui ſignorum cedunt, neque flamina vitant;
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus:
At nautæ fulicæ ſimiles, mergoque natanti,
Anxia per totum jactantes lumina pontum,
Nequicquam nuſquam parentia littora quærunt,
Dum tenuis nigro tabula hos diſtinguit ab Orco.
Atque etiam ſupero, navi pelagoque vagatus,
Menſe, Sagittipotens ſolis quum ſuſtinet orbem;
Non multò leviora putes inſtare pericla,
Antè nigras cautus tenebras ſubducere puppim.
Nam jam quum minùs exiguo lux tempore præſtò eſt,
Hoc ſignum veniens poterunt prænoſcere nautæ:
Jam propè præcipitante licebit viſere nocte,
Ut ſeſe oſtendens emergit Scorpius altè,
Poſteriore trahens flexum vi corporis arcum.
Sed Nepa non multùm prior, at prior exit ab undis.
Jam ſuperà cernes Arcti caput eſſe minoris,
Et magis erectum ad ſummum verſarier orbem.
Tum ſeſe Orion toto jam corpore condit
Extremâ propè nocte, & Cepheus conditur antè
Lumborum tenus, a palma depulſus ad undas.
Hîc miſſore vacans fulgens jacet una ſagitta,
Quam proptèr nitens pennâ convolvitur Ales;
Et clinata magis paulò eſt Aquilonis ad auras.
At proptèr ſe Aquila ardenti cum corpore portat,

Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis,
Non minùs ingenti cum corpore, ſed grave mœſtis
Oſtendit nautis perturbans æquora ſignum.
Tum magni curvus Capricorni cornua proptèr
Delphinus jacet, haud nimio luſtratu' nitore,
Præter quadruplices ſtellas in fronte locatas,
Quas intervallum binas diſterminat unum:
Cetera pars latet, ac tenui cum lumine ſerpit.
Illæ quæ fulgent luces ex ore coruſco,
Sunt inter partes gelidas Aquilone locatæ,
Atque inter ſpatium & læti veſtigia ſolis.
At pars inferior Delphini fuſca videtur
Inter ſolis iter, ſimul inter flamina venti,
Viribus erumpit quà ſummi ſpiritus Auſtri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens,
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
Quem qui ſuſpiciens in cœlum nocte ſerenâ,
Latè diſperſum non viderit, haud ita verò
Cetera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.
Namque pedes ſubter rutilo cum lumine claret
Fervidus ille Canis ſtellarum luce refulgens;
Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia venter:
Nec toto ſpirans rapido de corpore flammam
Æſtiferos validis erumpit flatibus ignes:
Totus ab ore micans jacitur mortalibus ardor,
Sirion hunc Græci præclaro nomine dicunt.
Hic ubi ſe pariter cum ſole in culmina cœli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtra
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere:

Nam quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens animâ, vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos & cortice truncos.
Tendentem occiduas etiam hunc ſentimus ad oras:
Cetera ſignandis ſunt languida ſidera membris.
Hunc proptèr, ſubterque pedes, quos diximus antè,
Orioni' jacet levipes Lepus. Hic fugit ictus
Horrificos metuens roſtri tremebundus acuti.
Nam Canis infeſto ſequitur veſtigia curſu
Præcipitantem agitans, orientem denique paulùm,
Curriculum numquam defeſſo corpore ſedans.
At Canis ad caudam ſerpens prælabitur Argo,
Converſam præ ſe portans cum lumine puppim:
Non aliæ naves ut in alto ponere proras
Antè ſolent roſtro Neptunia prata ſecantes;
Sed converſa retro cœli ſe per loca portat.
Sicut quum cœptant tutos contingere portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
Averſamque trahunt optata ad littora puppim,
Sic converſa vetus ſuper æthera labitur Argo,
Atque uſque a prora ad celſum ſine lumine malum,
A malo ad puppim clara cum luce videtur.
Inde gubernaclum diſperſo lumine fulgens,
Clari poſteriora Canis veſtigia tangit.
Exin ſemotam procul, in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quærere Piſtrix
Pergit, & uſque ſitam validas Aquilonis ad auras
Cœrula veſtigat finita in partibus Auſtri.

Hanc Aries tegit, & ſquamosi corpore Piſces,
Fluminis illuſtri tangentem corpore ripas.
Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cœli, funeſtum magnis cum viribus amnem,
Quem lacrymis mœſtæ Phaetontis ſæpe ſorores
Sparſerunt, lethum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis ſub læva cernere planta
Serpentem poteris, proceraque vincla videbis,
Quæ retinent Piſces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Piſtricis terga reverti.
Hic unâ ſtellâ nectuntur, quam jacit ex ſe
Piſtricis ſpinæ valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ,
Inter Piſtricem fuſæ ſparſæque videntur,
Atque gubernaclum ſtellæ, quas contegit omnes
Formidans acrem morſum Lepus; his neque nomen,
Nec formam veteres certam ſtatuiſſe videntur.
Nam quæ sideribus claris natura polivit,
Et vario pinxit diſtinguens lumine formas,
Hæc ille aſtrorum cuſtos ratione notavit,
Signaque signavit cœleſtia nomine vero:
Has autem quæ ſunt parvo cum lumine fuſæ
Consimili ſpecie ſtellas, parilique nitore,
Non potuit nobis notâ clarare figurâ.
Exinde auſtralem ſoliti quem dicere Piſcem,
Volvitur inferior Capricorno verſus ad Auſtrum,
Piſtricem obſervans, procul illis Piſcibus hærens.
At propè conſpicies expertes nominis omnes,

Non ego me dignor poſthac monſtrare videndam,
Degener ô primæ proles nunc altera prolis,
Degeneres iterumque iterumque habitura nepotes:
Tunc fera bella hominum generi, cædeſque nefandæ
Impendent, culpamque comes ſua pœna ſequetur.
Sic ait, & populos intenta etiam ora tenentes
Linquit, & ad montes ſylvarumque avia tendit.
Hæc ætas vitam liquit, ſobolemque reliquit.
Ferrea tum verò proles exorta repentè eſt,
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu victum, domitumque juvencum.
Tunc mortale exoſa genus Dea in alta volavit,
Et Jovis in regno, cœlique in parte recepta eſt,
Illuſtrem ſortita locum, quà nocte ſerenâ
Virgo conſpicuo fulget vicina Bootæ.
Huic, humeros ſuperà duplices convertitur alam
Ad dextram, Graio Protrygeter nomine dicta,
Stella micans, tali ſpecie, talique nitore,
Qualis & immenſæ ſub cauda volvitur Arcti.
Illa quidem flagrans: ſed & huic flagrantia plura
Sidera, quæ parvo poteris reperire labore.
Quin etiam ante pedes magno fulgore notata
Stella nitet: dehinc prima humeros ſubit, altera lumbos,
Tertia ſub caudam ad genus ipſum lumina pandit.
Cetera ſed certo passim sine nomine fulgent.
Et natos Geminos inviſes ſub caput Arcti.
Subjectus mediæ eſt Cancer, pedibuſque tenetur
Magnus Leo, tremulam quatiens e corpore flammam;
Explicat hîc ſummos ardores ſemita Phœbi.

Tunc nullæ apparent per culta novalia ſpicæ,
Principióque adeo Solis per cærula cæli
Hoc motu radiantis, Eteſiæ in vada ponti
Procumbunt glomerati, & longo flamine ſpirant.
Tunc mihi non remi placeat ratis indiga, verùm
Larga ſatis, rectoque ad venti commoda clavo.
Si cupis Aurigam, atque Aurigæ noſcere ſtellas,
Ullaque fama tuas Capræ pervenit ad aures,
Hædorumque simul, quorum duo lumina cernunt
Sæpe per iratum jactata cadavera pontum:
Sub læva is Geminorum obductus parte feretur.
Adverſum caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra lævum humerum clara obtinet: *illa putatur*
Ubera adhuc parvo lactenda dediſſe Tonanti:
Hanc Jovis Oleniam capram dixere miniſtri.
Verùm hæc eſt magno atque illuſtri prædita signo;
Contrà Hædi exiguum jaciunt mortalibus ignem,
Aurigæ in manibus; cujus veſtigia ſervans,
Corniger eſt valido connixus corpore Taurus,
Quem non difficili ratione agnoſcere possis.
Namque illum exornant externi haud indiga signi
Sidera, quæ vivum caput olli utrimque figurant,
Inclyta per totam ſpargentia lumina frontem:
Has Græci ſtellas Hyadas vocitare ſuerunt.
Sed pes Aurigæ dexter, cornuque siniſtrum
Tauri uno igne micant: pariterque feruntur uterque:
At prior Aurigâ latum petit oceanum Bos,
Quum tamen e placidis ſurgant simul æquoris undis.
Quin etiam Iasidæ domus antiquissima Cephei

Quinque ſolent ſtellæ, ſimili ratione notari
Non poſſunt; quia quæ faciunt veſtigia curſu,
Non eadem ſemper ſpatio portata feruntur:
Sed malunt errare vagæ per nubila cœli,
Atque ſuos vario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cœli ſub tegmine ſignum:
Quarum ego nunc nequeo totos evolvere curſus.
Verùm hæc, quæ ſemper certo volvuntur in orbe
Fixa ſimul, magnos edicam gentibus orbes.
Quatuor æterno luſtrantes lumine mundum,
Orbes ſtelligeri portantes signa feruntur,
Amplexi terram cœli ſub tegmine fulti:
E quibus annorum volitantia limina noſces,
Quæ denſis diſtincta libebit cernere ſignis.
Tum multos orbes magno cum lumine latos,
Vinctos inter ſe, & nodis cœleſtibus aptos,
Atque pari ſpatio duo cernes eſſe duobus.
Nam ſic nocturno cognoſcens tempore cœlum,
Quum neque caligans deterſit ſidera nubes,
Nec pleno ſtellas ſuperarit lumine Luna,
Vidiſti magnum candentem ſerpere circum:
Lacteus hic nimio fulgens candore vocatur:
Is non perpetuum detexens conficit orbem:
Quatuor huic ſimili nitentes mole feruntur:
Sed ſpatio multum ſupereſt: præſtare duobus
Dicitur, & latè cœli luſtrare cavernas.
Quorum alter tangens Aquilonis vertitur auras,

Ora petens Geminorum illuſtria : tum genus ardens
[illegible] ſeſe retinens Aurigæ portat utrumque.
[illegible]c ſurâ lævâ Perſeus humeroque ſiniſtro
[illegible]it : at Andromedæ hic dextra de parte tenetur,
C[illegible]us ad Boream, cubitus cui ſpectat ad Auſtrum,
Imp[illegible]ue pedes duplices Equus : & ſimul Ales
Pon[illegible] caput, & clinato corpore tergum.
Angu[illegible] humeris connititur : illa recedens
Auſtrum [illegible]quitur devitans corpore Virgo.
At verò [illegible] ſpatium conveſtit, & orbis
Magnu' [illegible] & claro collucens lumine Cancer,
In quo c[illegible]ns convertit curriculum Sol
Æſtivus [illegible]io diſtinguens corpore curſus.
Hic totu[illegible]ius circo disjungitur ipſo :
Subter t[illegible]m cava tegmina, & intus & extrà,
Lumen [illegible]s, ſævi ſed vis horrenda Leonis
Pectori[illegible]alidis, atque alvo poſſidet orbem.
Hunc [illegible]n partes diviſum noſcere circum
Si po[illegible]nvenies ſupero convertier orbe
Quin[illegible], pari ſpatio partes tres eſſe relictas,
Te[illegible] nocturno quas vis inferna frequentet.
[illegible]*idem a Boreæ* cancro connectitur *auris*,
Alter ab infernis *contrà connititur* auſtris:
Diſtribuens medium ſubter ſecat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum rivum fundentis Aquarî,
Cœruleæque feram caudam Piſtricis, & illum
Fulgentem Leporem, inde pedes Canis, & ſimul amplam
Argolicam retinet crebro cum lumine Navem :

Tergaque Centauri, atque Nepaï portat acumen:
Inde Sagittarſ defixum poſsidet arcum.
Hunc a clariſonis auris Aquilonis ad Auſtrum
Cedens poſtremum tangit rota fervida Solis;
Exinde in ſuperas brumali tempore flexu
Se recipit ſedes: huic orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes, ſuperâ tres luce dicantur.
Haſce inter mediam in partem retinere videtur
Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis,
In quo autumnali, atque iterum Sol lumine verno
Exæquat ſpatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries ſublucet corpore totus,
Atque genu flexo Taurus connititur ingens:
Orion claro contingens corpore fertur:
Hydra tenet flexu Crateram, Corvus adhæret:
Et paucæ e Chelis ſtellæ: simul Anguitenentis
Sunt genua, & ſummi Jovis Ales nuntius inſtat:
Proptèr Equus capite & cervicum lumine tangit.
Hoſce æquo ſpatio devinctos ſuſtinet axis,
Per medios ſummo cœli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et simul a medio media de parte ſecatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Ut nemo, cui ſancta manu doctissima Pallas
Solertem ipſa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare catè contortos poſsiet orbes,
Quàm ſunt in cœlo divino numine flexi,

Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine tranſverſo retinentes sidera fulta.
Quatuor hi motu cuncti volvuntur eodem;
Sed tantum ſuperà terras ſemper tenet ille
Curriculum, obliquè implexus tribus orbibus unus,
Quanto eſt diviſus Cancer ſpatio a Capricorno,
Ac ſubter terras ſpatium par eſſe neceſſe eſt.
Et quantos radios jacimus de lumine noſtro,
Queis hunc convexum cœli contingimus orbem,
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes,
Bina pari ſpatio cœleſtia signa tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, noſtrique Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis ſex ardentia signa.
Æſtifer eſt pandens ferventia sidera Cancer:
Hunc ſubter fulgens cedit vis torva Leonis:
Quem rutilo ſequitur collucens corpore Virgo:
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ:
Ipſaque conſequitur lucens vis magna Nepaï:
Inde Sagittipotens dextrâ flexum tenet arcum:
Poſt hunc ore fero Capricornus vadere pergit:
Humidus inde loci collucet Aquarius orbi:
Exin ſquamifero ſerpentes sidere Piſces:
Queis comes eſt Aries obſcuro lumine labens,
Inflexoque genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.
Hæc Sol æterno conveſtit lumine luſtrans,
Annua conficiens vertenti tempora curſu.

Hic quantus terris confectus pellitur orbis,
Tantumdem ille patens ſuperà mortalibus edit.
Sex omni ſemper cedunt labentia nocte,
Tot cœlum rurſus fulgentia signa reviſunt.
Hoc ſpatium tranans cæcis nox conficit umbris,
Quod ſuperà terras prima de nocte relictum eſt,
Signifero ex orbe, & signorum ex ordine fultum.
Quòd si Solis aves certos cognoſcere curſus,
Ortus signorum nocturno tempore viſes:
Nam ſemper signum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens signis mons obſtruet altus,
Aut adiment lucem cæcâ caligine nubes;
Certas ipſe notas cœli de tegmine ſumens,
Ortus atque obitus omnes cognoſcere poſſis.
Quæ simul exsiſtant, cernes; quæ tempore eodem
Præcipitent, obitum nocturno tempore noſces.
Jam simul ut ſuperà ſe toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapſa Corona,
Et loca convisit caudâ tenus infera Piſcis.
Dimidiam retinens ſtellis diſtincta Corona
Partem etiam ſuperà, atque alia de parte repulſa e
Quam tamen inſequitur Piſcis, nec totus ad umbr
Tractus, ſed ſupero contectus corpore cedit,
Atque humeros uſque a genibus, clarumque recon
Anguitenens validis magnum a cervicibus Anguem.
Jam verò Arctophylax non æquâ parte ſecatur.
Nam brevior clara cœli de parte videtur,
Amplior infernas depulſus poſsidet umbras.

Quatuor hic obiens ſecum deducere ſigna
Signifero ſolet ex orbi, tum ſeriùs ille,
Quum ſuperà ſeſe ſatiavit luce, recedit,
Poſt mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obſcura tenens conveſtit ſidera tellus.
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion, humeris & lato pectore fulgens,
Et dextrâ retinens non caſſum luminis enſem.
Sed quum de terris vis eſt patefacta Leonis,
Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obſcurata; ſimul vis magna Aquilaï
Pellitur, ac flexo conſidens corpore Nixus
Jam ſupero fermè depulſus lumine cedit:
Sed lævum genus, atque illuſtrem linquit in altum
Plantam; tum contrà exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui ſeſe fervidus infert
Ante Canem; inde Canis veſtigia prima videntur.
Non pauca e cœlo depellens ſigna repentè
Exoritur candens illuſtri lumine Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur undâ
Delphinus, ſimul obtegitur depulſa Sagitta,
Atque Avis ad ſummam caudam, primaſque recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite, & longâ cervice lateſcit:
Longiùs exoritur jam claro corpore Serpens,
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra:
Inde pedes Canis oſtendit jam poſteriores,
Et poſt ipſe trahit claro cum lumine Puppim:

Inſequitur labens per cœli limina Navis.
Et quum jam toto processit corpore Virgo,
Hæc medium oſtendit radiato ſtipite Malum.
At quum procedunt obſcuro corpore Chelæ,
Exsiſtit pariter larga cum luce Bootes,
Cujus in adverſo eſt Arcturus corpore fixus,
Totaque jam ſuperà fulgens prolabitur Argo,
Hydraque quòd latè cœlo diſperſa tenetur,
Nondum tota patet, nam caudam contegit umbra.
Anguitenens autem renovatâ luce refulget.
Jam dextrum genus, & decoratam lumine ſuram
Erigit ille vacans vulgato nomine Nixus,
Qui Fidis Arcadicæ ſemper confinia tangit:
Quem nocte exſtinctum atque exortum vidimus unà,
Perſæpe ut parvum tranans geminaverit orbem.
Hic genus, & ſuram cum Chelis erigit altè;
Ipſe autem præceps obſcurâ nocte tenetur,
Dum Nepa, & Arcitenens inviſant lumina cœli:
Nam ſecum medium pandet Nepa, tollere verò
In cœlum totum exoriens conabitur Arcus.
Hic tribus elatus cum ſignis corpore toto
Lucet; at exoritur mediâ de parte Corona,
Caudaque Centauri extremo candore refulget.
Hic ſe jam totum cæcas Equus abdit in umbras,
Quem rutilâ fulgens plumâ prætervolat Ales.
Occidit Andromedæ clarum caput, & fera Piſtrix
Labitur, horribiles epulas funeſta requirens:
Hanc contra Cepheus non ceſſat tendere palmas:

Illa uſque ad ſpinam mergens ſe cœrula condit.
At Cepheus caput, atque humeros palmaſque reclinat.
Quum verò vis eſt vehemens exorta Nepaï,
Latè fuſa volans in terras labitur unda;
Orionque metu perculſus conditur unà.
Pace hujus liceat cauſam explicuiſſe timoris,
Virgo, tuâ; mihi, quæſo, veni placata Diana.
Hæc fama eſt hominum, hæc per terras fama vagatur;
Ut quondam Orion manibus violaſſe Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Chius
Bacchica, quam viridi conveſtit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat,
Œnopionis avens epulas ornare nitentes.
At verò pedibus ſubitò perculſa Dianæ
Inſula diſcessit, disjectaque ſaxa revellens
Perculit, & cæcas luſtravit luce lacunas:
E quibus ingenti exsiſtit cum corpore præ ſe
Scorpius infeſtus, præportans flebile acumen.
Hic valido cupidè venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille gravi moriens conſtravit corpore terram.
Quare quum magnis ſeſe Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum verò fugit Andromeda, & Neptunia Piſtrix
Tota latet; cedit converſo corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput, & ſuperas potis eſt demergere partes:

Infera lumborum numquam conveſtiet umbrâ :
Nam retinent Arcti luſtrantes lumine ſuras.
Labitur illa ſimul gnatam lacrymoſa requirens
Cassiopea, neque ex cœlo depulſa decorè
Fertur : nam verſo contingens vertice primùm
Terras, pòſt humeris, eversâ ſede, refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus, ut perhibent, auſa eſt contendere formâ.
Hæc obit inclinata : at pars exorta Coronæ eſt
Altera, cum caudaque omnis jam panditur Hydra.
At caput, & totum ſeſe Centaurus opacis
Eripit e tenebris linquens veſtigia parva
Antepedum conteẞta : simul tum lumina pandit :
Ipſe feram dextrâ retinet, *ſed cetera magni*
Exſpectant Arctis ortum. Prolabitur inde
Anguitenens capite, & manibus; profert simul Anguis
Jam caput, & ſummum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur converſo corpore Nixus,
Alvum, crura, humeros, simul & præcordia luſtrans,
Et dextrâ radios læto cum lumine jactans.
Inde Sagittipotens ſuperas conviſere luces
Inſtat, & emergit Nixi caput, & simùl effert
Seſe clara Fides, & promit pectore Cepheus.
Fervidus ille Canis toto tum corpore cedit.
Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbrâ,
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapſu.
Inde obiens Capricornus ab alto culmine pellit
Aurigam, inſtantemque Capram, parvos simul Hœdos,

Et magnam antiquo depellit nomine Navem.
Obruitur Procyon. Emergunt alite lapſu
E terris volucres. Exsiſtit clara Sagitta.
Crus dextrumque pedem linquens obit infera Perſeus
In loca, tum cedens a puppi linquitur Argo.
At poſtquam ſuperum convisit Aquarius orbem,
Auſtraliſque Aræ ſurgit ſanctissima ſedes,
Seque humero, & pedibus primis Equus exerit altè;
Centauri oppositam devolvit ad infera caudam
Nox, caput, & latos humeros, & pectora magna
Non potis obſcurare, & Hydræ quæ proxima collo eſt,
Subducit Spiram, rutilantiaque ora recondit:
Cetera ſed longum radianti lumine perſtant,
Nec priùs a ſuperis cedunt cum ſemifero oris
Omnia, quàm ſurgant geminato corpore Piſces:
Surgit & Ægoceri vicinus ab æquore piſcis,
Parte aliâ exſpectans inſtantis sideris ortum:
Sic humeri Andromedæ, & cum laſsis inclyta palmis
Crura bipartito signorum tempore ſurgunt.
Quum primùm planis Piſces orientur ab undis,
Andromedes dextras dabitur tibi cernere partes;
At lævas Aries, linquens inferna locorum,
Oſtendit terris. Illo ſub tempore fermè
Heſperii ſervantem Aram confinia ponti,
Perſeaque uſque humeros Eoa in parte videbis.
Hoc dubium eſt, ceſſanſne Aries præcordia Perſeî
Attrahat, an Taurus: Tauro simul æthera luſtrat.
Sed non desinere hæc Tauro exoriente putarim:

Nam vicina illis Aurigæ ſidera fulgent,
Quem tamen haud totum dîas in luminis oras
Taurus agit, Geminis ſed enim completur in ipsis.
Sed duplices Hædi, & cum planta Capra ſiniſtra
Cum bove ſe tollunt, tunc terga immania Piſtrix
Erigit, & cæli ſplendentem in fornice caudam.
Occidit ipſe etiam primâ jam parte Bootes:
Quatuor hunc lato vix condunt ſidera ponto,
Lævaque in occiduæ conſtans ſubvolvitur Urſæ.
Ambo pedes uſque ad geminum genus Anguitenentis
Cedentes cælo, atque immenſa ſub æquora lapsi,
Surgentes alibi poterunt monſtrare Gemellos.
Jam lateri Piſtrix nulli vicina videtur,
Mox viſenda tamen, quum jam Fluvii agmina prima
In medio venient nautæ cernenda profundo,
Qui signum exſpectans magnum manet Oriona,
Nempe iter ut ratis, & noctis menſura pateſcat,
Qualia plura hominum generi Dî signa dederunt.

PROGNOSTICA.

PRISC. *lib.* VI.] Caprigeni pecoris cuſtos de gurgite vaſto.

IDEM, *lib.* VII.] Navibus amissis fluitantia quærere apluſtra.

IDEM, *lib.* X.] Quem neque tempeſtas perimet, neque longa vetuſtas
Interimet, ſtinguens præclara insignia cœli.

IDEM, *ibid.*] Ut quum Luna means Hyperionis officit orbi,

Stinguuntur radii cæcâ caligine tecti.

EM, *lib.* XVI.] Aſt autem tenui quæ candent lumine Phatnæ.

C. I. *Divin.*] Atque etiam ventos præmonſtrat ſæpe futuros

im mare, quum ſubitò, penituſque tumeſcit,
ue cana, ſalis niveo ſpumata liquore,
icas certant Neptuno reddere voces:
enſus ſtridor quum celſo e vertice montis
, adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſu.

fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
it horribiles clamans inſtare procellas,
modicos tremulo fundens e gutture cantus.
etiam pertriſte canit de pectore carmen,
tutinis acredula vocibus inſtat,
us inſtat, & assiduas jacit ore querelas,
primùm gelidos rores Aurora remittit.
ue nonnumquam curſans per littora cornix,
rsit caput, & fluctum cervice recepit.
quoque signa videtis, aquaï dulcis alumnæ,
clamore paratis inanes fundere voces,
doque ſono fontes & ſtagna cietis.

edeſque boves ſpectantes lumina cœli,
is humiferum duxere ex aëre ſuccum.

verò ſemper viridis, ſemperque gravata,
us triplici ſolita grandeſcere fœtu,
ges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

ALCYONES.

NON.] ... Hunc genuit claris delapſus ab aſtris
Prævius Auroræ, Solis, Noctiſque ſatelles.

LIMON.

NON.] Tu quoque, qui ſolus lecto ſermone, Terenti,
Converſum, expreſſumque Latinâ voce Menandrum
In medio populi ſedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, atque omnia dulcia liquens.

MARIUS.

CIC. *Leg.* I. 1.] Nuntia fulva Jovis, mirandâ viſa figurâ.

CIC. *Divin.* I. 47.] Hic Jovis altiſoni ſubitò pinnata ſatelles,
Arboris e trunco, ſerpentis ſaucia morſu,
Ipſa feris ſubigit transfigens unguibus anguem
Semanimum, & variâ graviter cervice micantem:
Quem ſe intorquentem lanians, roſtroque cruentans,
Jam ſatiata animos, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in undas,
Seque obitu a Solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis, lapſuque volantem
Conſpexit Marius, divini numinis augur,
Fauſtaque ſigna ſuæ laudis, reditûſque notavit;
Partibus intonuit cœli pater ipſe ſiniſtris.
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

ISID.] Tunc ſe fluctigero tradit, mandatque paroni.

De suo Consulatu. Lib. II.

Cic. *Divin.* I. 11.] Principiò ætherio flammatus Jupiter igni
Vertitur, & totum colluſtrat lumine mundum,
Menteque divinâ cœlum terraſque petissit:
Quæ penitus ſenſus hominum, vitaſque retentat,
Ætheris æterni ſepta, atque incluſa cavernis.
Et, si ſtellarum motus curſuſque vagantes
Noſſe velis, quæ sint ſignorum in ſede locatæ,
Quæ verbo, & falsis Graiorum vocibus errant,
Re verâ certo lapſu ſpatioque feruntur;
Omnia jam cernes divinâ mente notata.
Nam primùm aſtrorum volucres, te conſule, motus,
Concurſuſque graves ſtellarum ardore micantes,
Tu quoque, quum tumulos Albano in monte nivales
Luſtraſti, & læto mactaſti lacte Latinas,
Vidiſti & claro tremulos ardore cometas,
Multaque miſceri nocturnâ ſtrage putaſti:
Quod fermè dirum in tempus cecinêre Latinæ,
Quum claram ſpeciem concreto lumine Luna
Abdidit, & ſubitò ſtellanti nocte perempta eſt.

Quid verò Phœbi fax triſtis nuntia belli,
Quæ magnum ad culmen flammato ardore volabat,
Præcipites cœli partes, obituſque petiſſet:
Aut quum terribili perculſus fulmine civis,
Luce ſerenanti vitaï lumina liquit:
Aut quum ſe gravido tremefecit corpore tellus.

Jam verò variæ nocturno tempore viſæ
Terribiles formæ bellum, motuſque monebant:
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant triſtes minitantia caſus.
Atque ea, quæ lapſu tandem cecidere vetuſto,
Hæc fore perpetuis ſignis, clariſque frequentans
Ipſe Deûm genitor cœlo, terriſque canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam, & conſule Cottâ
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruſpex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo,
Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus ignes;
Tum ſpecies ex ære vetus, generataque Nattæ
Concidit, elapſæque vetuſto numine leges:
Et divûm ſimulacra peremit fulminis ardor.
Hîc ſilveſtris erat, Romani nominis altrix,
Martia, quæ parvos Mavortis ſemine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulſa pedum veſtigia liquit.
Tum quis non artis ſcripta ac monumenta volutans,
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis?
Omnes civili & generoſâ ſtirpe profectam
Vitare ingentem cladem, peſtemque monebant:
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis, urbeſque jubebant
Eripere, & ſtragem horribilem, cædemque vereri:

hæc fixa gravi fato, ac fundata teneri,
t excisum ad columen formata decorè
Jovis ſpecies claros ſpectaret in ortus:
ore, ut occultos populus, ſanctuſque ſenatus
re conatus poſſet, si Solis ad ortum
rſa, inde patrum ſedes, populique videret.
ardata diu ſpecies, multumque morata,
le te tandem celſa eſt in ſede locata:
unâ fixi ac signati temporis horâ,
r ex celſa clarabat ſceptra columna,
ides patriæ flammâ ferroque parata,
us Allobrogum patribus populoque patebat.
jitur veteres, quorum monumenta tenetis,
opulos, urbeſque modo ac virtute regebant;
tiam veſtri, quorum pietaſque fideſque
tit, ac longè vicit ſapientia cunctos,
mè ingenti coluerunt numine divos.
deo penitus curâ videre ſagaci,
qui ſtudiis læti tenuere decoris,
Academia umbrifera, nitidoque Lyceo
unt claras fecundi pectoris artes.
ous ereptum primo jam a flore juventæ,
tria in media virtutum mole locavit.
nen anxiferas curas requiete relaxas,
patriæ voces ſtudiis nobiſque ſacraſti.
N.] Atque animo pendens noctis eventa timebat.

Lib. III.

Cic. *Att.* II. 3.] Interea curſus, quos prima a parte juventæ,
Quoſque adeo conſul virtute, animoque petiſti,
Hos retine, atque auge famam, laudemque bonorum.

De suis Temporibus.

Cic. *Off.* I. 22.] Cedant arma togæ: concedat laurea laudi.
Quinct.] O fortunatam natam me conſule Romam!

Tamelastis.

Elegia.

Servius.] Jam mare Tyrrhenum longè penituſque palumbes
Relliquit.

Versa ex Homero.

Aug. *Civit.* V. 8.] Tales ſunt hominum mentes, quali pater ipſe
Jupiter auctiferas luſtravit lumine terras.

Jocularis Libellus.

Quinct. viii. 6.] Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere fundâ,
Ni tamen exciderit, quà cava funda patet.

NOTANDA ET CORRIGENDA.

Inſerta eſt vocum Græcarum Latina interpretatio.

Prior numerus paginam, alter lineam indicat.

P. 3. l. 12. *Qui eas diſpenſavit.* Philotimus, uxoris Terentiæ libertus, de quo lib. 6. epp. 4 & 5.

Ibid. 14. *Exiſtimationis.* Quæ læditur, niſi ſatisfiat iis, quibus debeo.

Ibid. 22. *Seſtertium bis & vicies.* Libell. Tur. 275000, quam pecuniam ex adminiſtratione annua Ciliciæ collectam; apud publicanos reliquit, mox partem ejus ferè dimidiam ad Egnatium argentarium tranſtulit.

4, 7. *Crevi hereditatem.* Adhibitis cretionis ſolennibus verbis, *quum me... heredem inſtituerit, eam hereditatem adeo cernoque.* Porrò nihil intererat utrùm quis præſens aut per epiſtolam cerneret.

Ibid. 9. *Levata.* Ita Boſius e tribus mſſ. nam regii mendosè *enata*, ut edidere Victorius, Manutius, & Lambinus.

Ibid. 13. *De dote.* De ſecunda penſione dotis Tulliæ, cujus dies inſtabat, proximis Kalendis Quintilibus, utrùm ea pecunia Dolabellæ marito, profuſis ſumptibus & flagitiis infami, numeranda eſſet, an potiùs Tulliæ, facto divortio, ſervanda.

Ibid. 22. *Detracta.* De prima penſione detraxerat uxor Terentia, inſcio Cicerone, qui tum in Cilicia proconſul erat.

5. 3. *Parari.* Ut Ciceroni, quòd eſſet cum Pompeio, domus ſua, quam in Palatio magnificam habebat, auferretur.

Ibid. 15. *A tuis.* Qui res Attici Epiroticas procurabant.

6. 2. *Abruptio.* Subitum divortium Tulliæ cum Dolabella.

Ibid. 9. *Etsi iſta res nihil habet conſolationis.* Lambinus poſt Corradum & Malaſpinam cenſet libris etiam invitis legendum, *etsi iſta res nonnihil habet conſolationis.*

7, 5. *De Frusinati.* Quem fundum Cicero vendiderat eâ lege, ut sibi liceret redimere.

Ibid. 17. *Reliqua non videntur eſſe difficiliora.* Magna fiducia Pompeianis acceſſerat ex prœlio nuper facto ad Dyrrhachium.

8, 7. *Ut id, quod vides, effecerint.* Poſt pugnam Pharſalicam, Pompeiani, qui Dyrrhachii erant, imperium deferebant ad Ciceronem, quem detrectantem occidiſſent, nisi Cato obſtitiſſet: quo periculo territus, relictis partibus, Brundiſium venit..

9, 9. *Profectos.* Ad Cæſarem.

10, 19. *Reliquo tempore me domo.* Supple contineo abditum. *Te nunc ad Balbum & Oppium.* Supple delego. *Et quoniam iis placeret modò propiùs accedere, ut hac de re considerarent.* Ita regii codices. Vulgati, omissis vocibus, *& quoniam*, habent *considerarem.*

13, 3. *Res ipſa excipi.* Ita rectè codices regii. Vulgo editur *re ipſâ excipi.*

14, 28. *Flagitari.* Nempe a Tullia, ut sibi a Dolabella deſtitutæ, nomine patris Ciceronis opem ferret.

15, 10. *Qui priùs illum viderint.* Ita regii

codices, ut voluit Manutius, pro vulgato *viderunt*.

16, 4. *Furnius*. Is ante, & poſt bellum, Ciceroni amiciſſimus. Itaque hîc cum Manutio & Popma legendum videtur *Fuſius*, ut intelligatur Fuſius Calenus, jam inde a Clodianis temporibus Ciceronis inimicus, & poſtea Antonii fautor acerrimus, de quo in Philippicis.

17, 2. *Ante initum tribunatum*. A Dolabella genero.

Ibid. 13. *Sciveram*. h. e decreveram, ſtatueram *quid facerem*, nempe abeſſe a bello. Ita cum Grævio regii codices, pro vulgato *quieveram* aut *siveram* a verbo *sino*.

Ibid. 23. *Jussi ad eos deferri*. Mendosè in quibuſdam editis *referri*.

18, 14. *Quòd iſtam miſeram patre*. Vitiosè ſcribitur in regiis *parte*, in Baliolensi *per te*, pro *patre*, ut voluit Grævius. Vox in vulgatis omittitur.

Ibid. 29. *De Q. Q.* h. e. de Q. fratre, & de Q. ejus filio.

19. 2. *Pro magiſtro*. Nempe ſocietatis Asiaticæ publicanorum.

20, 17. *Illa eſſe firma*. Partes ſcil. Pompeianorum in Africa.

Ibid. 25. *Quí utamur*. Pecunia, quâ utamur. *Quí* ablativi modo tam plurali quam singulari numero veteres ponebant.

21, 6. *Cephalio mihi a te litteras*. Addunt vulgati *reddidit*, quam vocem ignorant plerique codices, & alter e regiis.

Ibid. 28. *Tamen Nilo meo*. Per Nilum libertum meum, qui appellatur infrà ep. 20. Ita ex Decurtato Bosius, & favent regii, in quibus

ſcribitur *L. meo*. Alii aliter reponunt *ſtilo meo*, vel *ultro*, vel *nihilò minùs*.

23, 2. *Præclaras generi actiones*. Dolabellæ, qui tribunus plebis hoc anno, promulgatis Romæ perniciosis legibus, omnia miſcebat.

Ibid. 8. *Cretionem simplicem fuiſſe*. Cretio simplex, quum e pluribus heredibus ſcriptis, unus cum cretione inſtituitur, reliqui sine cretione.

Ibid. 24. *Quæ ſemper nolui*. Nempe rerum potiri Cæſarem.

24, 18. *Neque tum mihi deſperatum ita videbatur*. Ita Frid. Gronovius & Grævius proximè ad codices, in quibus pleriſque ſcribitur, *neque tum mihi deſperaturi ita videbamur*. Bosius dedit, *neque tam mihi deſperatum iri videbantur*, quæ eſt vulgata lectio.

25, 16. *Quibus non erat ignotum*. Quibus venia nondum erat a Cæſare data.

26, 1. *Præſertim hoc genero*. Dolabellâ. Vide ſuprà ep. 12.

Ibid. 5. *Ad Minutium Tarentum ſcribam*. Ita Frid. Gronovius, & eò ducunt regii codices, in quibus ſcribitur, *ad Minutium parentum*, unde vulgati fecere *parentem*.

Ibid. 8. *Potuiſſe mirarer*. Supple cogi, confici.

Ibid. 10. *Quem videre, si ullo modo (poſtit enim res) pervellem*. Ita Grævius, & firmant regii codices. Vulgo editur, *quem videre, si ullo modo potes venire*.

Ibid. 12. *Ibi facile eſt*. Lege cum Grævio, *tibi facile eſt*.

27, 16. *Multi autem ſunt, qui, quocumque ſunt modo ad illos ſe recipere volent*. Ita duo regii codices. Verbum *ſunt*, malè ex præceden-

tibus iteratum, delevimus. Vulgò editur, *multi autem ſunt, qui, quicumque ſunt, modò ad illos &c.*

Ibid. 22. *Nam C. quidem Caſſium.* Primam vocem addidimus ex duobus regiis.

Ibid. 28. *Æſopi filius.* De quo Horatius Satir. 2, 3. Hic in amore Metellæ, in flagitiis, & profuſis ſumptibus cum genero Ciceronis Dolabella bene compoſitus.

28, 16. *Non eſſe ab illo.* A Cæſare.

29, 9. *Spem... afferunt.* Frid. Gronovius mallet *differunt*, eodem ſenſu: ita ſe deprecandi cauſâ ad Cæſarem ituros oſtendunt, ut nuſquam progrediantur.

30, 12. *Et maximè quid ſcribas.* Ultimam vocem ab oſcitante librario iteratam dele.

Ibid. 14. *Pro deſperato.* Ita cum Boſio regii codices. Grævius maluit *pro explorato.*

31, 10. *Quam.... ſcripsiſti, putato &c.* Corrupti codices habent *pro tanta tato*: unde Boſius dedit, *quam... ſcripsiſti πραότατα* pro *πραότατως*, leniſſimè; Gronovius autem, *quam... ſcripsiſti, ὦ τᾶν, putato &c.*

Ibid. 19. *Ut eorum odium ſubeam.* Negationem inſerit Frid. Gronovius, *ut eorum odium non ſubeam.*

Ibid. 22. *Valde ſcilicet moleſtum.* Mediam vocem addidimus ex utroque regio.

32, 20. *Quæ iſtorum via eſſet.* Scil. de mea Brundiſii permanſione.

33, 10. *Mederi maluiſſent. Quamobrem quoniam.* Ita cum Grævio regii codices, pro vulgato, *mederi maluiſſent, quam obeſſe. Quoniam &c.*

Ibid. 23. *Apud ἔνπιστον.* Apud virum aliquem ſpectatæ fidei. Ita Boſius ex conjectura. Men-

doſè codices habent *apud epiſtolas*, nullo ſenſu.

34, 1. *In pensione ſecunda.* Tulliæ dotis, quam Dolabellæ ſolutam non oportuit.

Ibid. 2. *Te oro, ut impeditis rebus, si quid cogi... poteſt... ex argento tibi quod ſatis, multa ex ſupellectile &c.* Itâ regii codices, idque viſum eſt præſtare vulgato, *te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi... poteſt... ex argento, neque ſatis multa ex ſupellectile &c.*

Ibid. 16. *Nisi illud quidem mutari.* Agitur de teſtamento uxoris Terentiæ.

Ibid. 18. *Ab Nilo.* Qui Ciceronis libertus. Ita veteres editi. Codices ſcribunt *a Nillo.* Grævius dedit *ab illo.*

35, 7. *Illud quoque vellem.* Factum eſſe Tulliæ divortium cum Dolabella.

Ibid. 10. *Ut vivi.* Ita cum Grævio & vetuſtioribus editis codices regii. Malebat Pantagathus, *ut viri*, Bosius, *ut vini*, h. e. vinolentiæ Dolabellæ. *Tabularum novarum*, quam legem ferre inſtituerat Dolabella.

36, 10. *Philotimus dicitur.* Affuturus cum Cæſaris ad me litteris.

Ibid. 21. *Injuriâ acceptâ.* Ab Dolabella Tulliam uxorem aſpernante.

37, 1. *Quod tum factum, quum illa quærere cœperat.* In his & ſequentibus Bosium ſequimur. Sed locus Grævio & Mongaltio videtur comploratus.

Ibid. 9. *De illo altero.* Ut ſcil. aliquid ſeponatur, quod sit in tuto, ad inopiam Tulliæ propulſandam. Vide ſuprà ep. 19.

Ibid. 13. *Terentiæ.* Rectè Bosius cenſet reponendum eſſe *Tulliæ.*

38, 30.

38, 30. *Ab aliiſque.* Nempe a Pompeianis, qui in Africa erant.

39, 7. *Eò protinus iturum.* Vulgò *& protinus iturum.* Correximus ex regiis mſſ.

40, 2. *Ac mallem illum.* Huc nempe venire, ut cum eo collocutus, hinc diſcederem.

Ibid. 28. *Epiſtolas illas.* Q. Ciceronis ad Cæſarem contra M. fratrem.

41, 18. *Pharnaces... moram afferet.* Nullam attulit, de quo Cæſar ad ſenatum ſcripsit *Veni, vidi, vici.*

43, 27. *Igniculum matutinum.* Supple γεροντικὸν, ſenile : ſcripſerat Atticus ſenis eſſe igne matutino uti hoc tempore : cui Cicero reſpondet, magis ſenile eſt memoriolâ vacillare.

44, 1. *Id eſt v Kalendas.* Ita rectè regii mſſ. Mendosè plures editi, *id eſt II Kalendas.*

Ibid. 4. Confabulatio.

Ibid. 19. Quid enim illi curæ eſt? 21. Vita feliciter acta eſt. 22. Quæſtio.

Ibid. 23. *Fructum.* h. e. voluptatis & rerum præſentium uſum.

45, 5. Sincerè, sine præſtigiis & fuco. 7. Beatorum inſulæ. 10. Affectu, animi motu.

Ibid. 16. *Nomen illud, quod a Cæſare.* Ciceroni pecuniam debebat aliquis eorum, quorum bona ſub haſta venibant : permittente autem Cæſare poterat ad nummos pervenire, si aut ipſe bona emeret, aut delegationem acciperet ab eo, qui emiſſet, *aut Vecteni conditione ſemiſſem*, h. e. debiti parte dimidiâ contentus eſſet, quâ conditione Vecteno ſatisfiebat. Ita locum exhibent regii codices, ut voluit Frid. Gronovius. Vulgò, *aut Vecteni conditionem ſemiſſe.*

Ibid. 22. *Metonis annus.* Qui conſtabat annis

ſolaribus. octodecim. Dicitur de longiſsima dilatione.

Ibid. 23. Conſidera. 25. Plauſui. 26. Negligatur. *Sed* curæ erit.

46, 5. Rubicundiorem. 7. Quæſtio Archimedea. 13. Tenuiter. 15. Auditio.

Ibid. 28. *Luperco filio.* Hunc in Julianos lupercos adſcribi paſſus erat pater cum duobus domeſticis libertis, Statio ſuo, & Philotimo Terentiæ. Vide Phil. 2, 34.

47, 3. Stipem. 4. Siticuloſum fontem, *ſed ad* Pirenem. 5. Reſpirationem venerandam Alphæi *in te* fontem. 7. Quorſum hæc tandem erumpent?

Ibid. 8. *Cato.* Liber de Catonis laudibus.

Ibid. 10. *De Cœlio.* Cœlius hic, ut & Hortensius, Virginius, Piſo, qui appellantur infrà, videntur argentarii fuiſſe, cumque iis egiſſe Ciceronem de auro argentove facto vel infacto, cum alio signato commutando. Boſius.

Ibid. 15. *Muſtela... Criſpus.* Hi videntur coheredes fuiſſe.

Ibid. 18. *Piſoni demonſtrarim.* Ita regii codices. Vulgò *demonſtrarem* aut *demonſtraret.*

48, 7. *Conturbat enim me epitome Bruti Fanniana, an epitoma Bruti Fannianorum? ſcripsi &c.* Ita cum pleriſque mſſ. regii, pro vulgato, *conturbat enim me in Bruti epitoma Fannianòrum ſcriptum &c.* Sermo eſt de libris annalibus C. Fannii, quos in epitomen Brutus contraxerat.

Ibid. 12. Argumentis geometricis. 23. Primigeniæ tabulæ, ex quibus *Nicasiones*, fœneratores, Kalendis cujuſque mensis pecunias exigebant a debitoribus. *Conficiendæque tabulæ*, acceptorum & expenſorum.

49, 6. *Hegeſiæ.* Qui de arte grammatica, ac fortè de accentibus *acuto* & *gravi* ſcripſerat eo ſtilo, qui eſſet fractus & velut in particulas inciſus.

Ibid. 14. Omnem popularem, qui ſcil. vulgaria non temnit. 15. Commentationem. 19. *Ex iſta acuta & gravi*, ſcil. commentatione, *refertur ad* finem bonorum & malorum, quos libros tunc in manibus habebat Cicero.

Ibid. 22. *Pro iſto aſſo ſole...* Solebant veteres, curandi corporis causâ, in ſole vel sicci, vel perfuſi oleo ſedere, aut ambulare. Hinc quum Atticus ſcripsiſſet ſe *aſſo* ſeu sicco ſole Ciceronis (dialogo nempe de claris oratoribus, quem vide n. 24.) delectatum eſſe, reponit Cicero ſe pro his ſuis vulgaribus, *nitidum ſolem unctumque*, h. e. utiliora longè & præſtantiora interrogando repetiturum eſſe ab Attico ad libros de Finibus bonorum & malorum. Ita locum difficilem ſanè Mongaltius & poſt eum Olivetus interpretantur.

Ibid. 27. *Chreme, tantumne &c.* Ex Terentii Heautontimoroumeno. *Oratorem.* Librum, quem de perfecto oratore miſit ad Brutum.

50, 4. Elegans. 7. Morbi popularis.

51, 1. *Hoc tempore.* Dimiſsâ Terentiâ, Cicero de alia uxore ducenda cogitabat.

Ibid. 7. Unà afficior.

52, 19. *Hac ſolitudine.* Villâ ſuâ Cumanâ, quò confugerat poſt mortem Tulliæ.

Ibid. 28. *Amyntæ filius.* Philippus, de quo ep. ſuperiori. Ibid. O infinitam & inſuavem loquacitatem !

53, 6. *De dote.* Quam sibi a Dolabella reſtitui nolebat per delegationem a Balbo. Hanc con-

ditionem Cicero vocat *regiam*, h. e. duram, iniquam, quia vix pecunia poterat exigi a Balbo Cæſaris familiariſſimo.

Ibid. 10. Conſecrationem, relationem in deos. 11. Honorem, celebritatem. *Ibid.* A via remotior. 14. Commuto, ad alias perſonas transfero. 17. Non enim invidioſum eſt.

54, 2. *Ardor.* Dolor ex morte Tulliæ.

Ibid. 5. *Quod ſcribis de Apuleio.* Qui cooptatus in collegium augurum, cœnam parabat auguralem, cui intereſſe debebant augures, nisi si morbum per ſe aut per alios jurarent.

Ibid. 17. *Cocceium velim appelles.* De pecunia, quam is mihi debet.

55, 24. *Ipſum doleo.* Id ipſum doleo, quòd hinc mihi diſcedendum sit.

Ibid. 29. *Id velle ut ipſe adeſſet.* Ita regii codices cum duobus Grævianis, pro vulgato, *id vellem ut ipſe adeſſet.*

56, 2. *Panſa quando.* Nempe Româ profecturus sit in Galliam, Bruti ſucceſſor.

Ibid. 19. *De Cicerone.* Athenas ſtudiorum causâ mittendo. Hæc epiſtola, & poſtremæ duæ hujus libri pertinent ad annum u. 708, ac proinde ad librum, qui proximè ſequitur.

Ibid. 20. *De prima pensione.* Tulliæ dotis a Dolabella exigendæ.

Ibid. 23. *Utrùm ipſe... cogitet.* Utrùm ipſe honorem sit a Cæſare petiturus in campo Fœniculario, qui fuit in Hiſpania, an Romæ in campo Martio.

57, 3. *Refugio a te admonendo, quod velim mihi ignoſcas, cuicuimodi eſt.* Ita locum exhibent & diſtinguunt regii codices. Fanum intelligit, quod erigere mortuæ filiæ cogitabat.

Ibid. 12. *Cluatii.* Placet fanum eâ formâ, quam Cluatius deſcripsit.

Ibid. 30. *Quod eram veritus.* Vide ſuprà epp. 10 & 11.

58, 21. *De Antonii adventu.* Vide Phil. 2, 30, 31 &c.

59, 5. *De nepote.* De puero Lentulo, Dolabellæ & Tulliæ filio.

60, 24. *De judicatu meo.* De meo officio judicandi, ne propter id Romæ me eſſe neceſſe sit.

61, 16. *Hoc alterum.* Quod nempe dicat Terentia ſe de re filii cogitare.

62, 14. *Non pudenter.* Non ſatis modeſtè. Ita e codice Baliolensi Græviuſ & Mongaltius. Alii *non prudenter.*

63, 11. *A Ranio.* Quem ſcribam volunt fuiſſe.

Ibid. 15. *Res cedit.* Pecunia debita ſolvitur. Ita Manutius pro vulgato *recedit*, in quo mendum agnoſcunt Victorius, Lambinus, Lipsius &c.

64. 5. *Aut quatenus eos mihi concedere.* Hæc verba insititia & delenda cenſet Græviuſ.

Ibid. 28. *Scribes ad me, quum ſcies: ſed quàm primùm, num Clodia &c.* Ita locus ſcribitur & diſtinguitur in regiis codicibus.

65, 9. *Non plus annum.* Mallet Græviuſ, *non plus annuâ.*

66, 2. *Ut præter me.* Manutio & Lipsio magis arridet, *ut præter te*, idque vulgato aptius & concinnius videtur.

Ibid. 7. *Moleſti ſunt.* Nempe Cæſariani, qui me in ſenatum vocant, & intereſſe volunt ſuis consiliis de republica.

Ibid. 19. Viri tractandæ reipublicæ periti. *Ex Apollodori.* Scil. libris.

67, 15. *Et, tu videbis.* Vulgò *& ut tu vide-*

bis. Voculam incommodam non agnoſcit unus e regiis : alter verò mendosè ſcribit, *& cui videbis.* Grævius reponit, *at quanti tu videbis.*

68, 3. *Ciſpiana.* Nempe nomina; pecuniam, quam mihi debent Ciſpius & Prætius.

Ibid. 10. *Numeratò.* Emere præſenti pecuniâ, potiùs quàm dare rem aliquam æſtimatam, ex lege Julia.

Ibid. 24. Gloriolæ ſtudio duci. 25. Oblectamentum ſenectutis, *ſupple* maximum eſſe reip. tractationem. Vide infrà epp. 29 & 44.

69, 14. *Unam rem.* De Terentia ſcil. de qua ſuprà, epp. 22 & 23.

Ibid. 24. *Ad aliam rem loci nihil; ſatis ad eam, quam quæro.* Ita Manutius emendavit locum in mſſ. corruptum, *ad ullam rem loci ſatis; nihil ad eam, quam quæro.* Bosius dedit, *ad ſuillam rem lòci ſatis; nihil &c.*

70, 25. *Ad me miſſum eſſe.* A Terentia.

71, 2. *Niſi id.* Scil. officium, de quo ſuprà ep. 19.

Ibid. 13. *Mærorem... dolorem.* Quid differant habes Tuſc. 4, 8.

Ibid. 28. *Publius.* Editi veteres habent *Publilius*, & ita legendum videtur.

72, 2. *Lentulum puerum.* Ciceronis nepotem, de quo ſuprà ep. 17.

73, 2. Senectutis oblectamentum. Vide ſuprà ep. 25.

Ibid. 3. Funeris ornamentum.

Ibid. 27. *Mirabatur.* Ita codices & plerique editi, non *mirabitur.*

74, 2. *Si addiderimus aliud.* Si unà emere velimus alium locum, quem cupit abjicere.

75, 2. *Publilia.* Quam Cicero, dimiſsâ Te-

rentiâ, duxit uxorem; at cum ea mox fecit divortium, quòd viſa eſſet lætari morte Tulliæ.

Ibid. 3. *Cum Publilio loqui.* Alii *locutam; eam &c.* Regii codices *loqueretur.* Bosius ex decurtato dedit, *cum Publilio loqui retur*, & verba includit parenthesi.

Ibid. 16. *Ut ego nollem.* Invitus enim hinc diſcedam, quæ *una eſt vitatio.*

77, 23. *Lege.* Juliâ de ſumptu funerum minuendo.

Ibid. 26. Sine ratione, temerè.

78, 10. Conſecrationem.

80, 1. *Si ergo aliud erit, non mea erit culpa, nisi emero.* Si quidem emere cupio, ſed tua, qui non curas invenire, quod emere poſſim. Ita Corradus. Frid. Gron. legit, *si ergo aliud nihil erit*, & locum concludit interrogatione. Grævius autem exiſtimat negationem excidiſſe ſuo loco, reponitque, *si ergo aliud non erit, mea erit culpa, nisi emero.*

Ibid. 19. Ad conſecrationem.

81, 20. *Quæ maximè liberalis una.* Ita Jac. Gronovius pro vulgato, *quæ maximè liberalissima:* quæ quidem locutio nonnullis defenditur exemplis, ſed non Tullianis.

82, 3. *Publicianus.* Qui fuerit Publicii cujuſdam, antequam deveniret ad Trebonium & Cusinium. Ita Bosius ex duobus mſſ. Alii *publicanus* aut *publicatus*, ſenſu perquam obſcuro.

Ibid. 11. Cyrus ex quarto & quinto tomo Antiſthenis.

83, 15. Scriptum aliquod consilii plenum & ad deliberationem aptum. 17. Ariſtotelis & Theopompi *libros* ad Alexandrum.

84, 5. *Nunc ipſum.* Hoc ipſo temporis punƈto.

Ibid. 23. *Ad tabulam.* Ad auctionem, quia tabula auctionis signum.

85, 13. Querula res calamitas.

86, 6. Specimen, ex quo de toto opere, quale futurum ſit, judicari poteſt.

Ibid. 25. *Novi te nihil habere.* Frid. Gronovius mavult, *niſi novi te nihil habere.*

87, 7. *Ut id ipſum... faceres.* Ut domi te includeres rationum cauſâ.

Ibid. 15. *Illam rem.* Illam fani ædificationem.

88, 5. Cum ſignificatione amoris mutui. 20. Senectutis oblectamentum. 21. Patris familiâs officio convenientia.

89, 9. *Fulviaſter.* Fulvio ſimilis.

Ibid. 13. Volumina. 19. Torpedo cum mœſtitia. 24. Tolerabiliora 28. Contubernalem.

90, 2. Argumentum.

Ibid. 11. *Iſta admonitio.* Fortè, inquit Victorius, Tullia diem ſuum obierat, quum eſſet apud patrem in Tuſculano.

92, 29. *A Peduceo.* A ſexti Peducei auctione.

93, 9. Reipublicæ moderatores, qui de republica ſcripſerunt. 15. Hoc verò attentè perſcrutaberis.

Ibid. 19. *Hoc metuere, alterum in metu non ponere.* Supple abſurdùm eſſe. Proverbium cujus ſenſum ipſe Cicero aperit lib. 14. ep. 21.

94, 14. Deſcripta ex aliorum libris. Sic appellat libros ſuos de philoſophia e Græcis hauſtos ac pene deſcriptos.

95, 27. *De Virgilii parte.* Is unus erat ex coheredibus Scapulanis.

96, 2. *Ne turbem.* Nempe rationes. Ne contraham æs alienum, & decoquam.

Ibid. 27. *Ulli ut neque ſeveriùs.* Primam vo-

quam ignorant regii codices, delevimus.
, 1. *Ad Tullios.* Montanum & Martianum, m Cicerone filio Athenas profecti erant.
. 10. Decurſum reliquum vitæ.
. 21. *Totum in hunc.* Effudi ſcil. & con- e. tanti Peduceum facio, quanti umquam feci : ipſum verò Peduceum per ſe & ſuo non minùs amo, quàm patrem. Eum ergo n tantum amo, quàm umquam patrem a- Boſius.
, 16. *Parochus publicus.* Qui lautia præbe- gatis exterarum nationum.
, 2. *Epiſtolam ad Cæſarem.* Ita codex re- terque, pro vulgato, *de epiſtola ad Cæ-*

. 14. Aſſentatio. 17. Felix ſucceſſus. 18. ſucceſſus. 20. Temerè ſe periculo offerre. nimentum. 28. Studium.
, 7. *Quid tu hunc de pompa.* Ex decreto s eburnea Cæſaris ſtatua inter imagines deo- n pompa circensi geſtabatur.
. 13. Quæſtio Archimedea.
, 10. Sacellum, fanum. 14. Inſolenti & ambitioni meæ, per deos, indulge.
, 15. Aſſentationes. *Non longè abſunt a* . Negantem particulam cum Frid. Grono- levimus, ut ſenſus poſtulat.
. 17. *Sicunde potes eruere.* Ita regii co- & veteres editi; & ſic ſolet Tullius. Re- res, a manu, ut videtur, emendatrice, *unde potes, erues.*
. 25. Conventum & ſermonem de ratione gerendæ.
, 9. De deſcenſu, *ſupple* in antrum Tro-
, 10. Decrevi. Eſt a Boſio κεκύρωκα, in

cubi & teſſeræ modum me conformavi, & decreto meo firmiter ſto. Eodem ſenſu.

Ibid. 24. *Mille jugerum.* Mendum eſt in numero, quem tamen & codices & editi retinent.

Ibid. 30. *Pudet me patris.* Ita cum Victorio, Manutio, & Lambino codices regii, rectè, si hæc verba intelliges de Q. Cicerone filio. At si, ut ſuſpicatur Mongaltius, ea referenda sint ad ipsius Marci filium, qui tum Athenis vitam vivebat a patris vita multùm degenerem, legendum erit, *pudetne patris?* Gruteri & Grævii lectio, *puteine patris*, quid sibi velit, neſcimus.

105. 10. De anima *libros* 11. De deſcenſu *in antrum Trophonii.* Tripoliticum, *ſeu* tractatum de rebus publicis Atheniensium, Corinthiorum, & Pellenæorum.

Ibid. 15. *Torquatus.* Liber 1. de Finibus. *Catulum, Lucullum.* Libros Academicos, quos primùm ſcripſerat.

Ibid. 21. Per notas.

106, 4. Conventum & ſermonem. 6. Magnis perſonis inducendis ſermoni dignitatem & ornatum addere.

Ibid. 11. *Profeſſionem relatam.* Si quid, condito luſtro, accederet ad poſſessiones, id in tabulas publicas referri debebat.

Ibid. 19. Verecundia.... *Ne is quum sit in Africa, ut Cælius.* Ne Pompeianas partes exſuſcitet in Africa, ut olim Cœlius in Italia Marianas.

107, 1. De deſcenſu, *Supple* in antrum Trophonii. 5. Probabile.

108, 29. *Fore iſtam etiam a præcone diem.* Præconem in tam longam diem, quàm illa noſtrorum nominum sit, ſolutionem dilaturum.

109, 23. Probabile *fratri fuiſſe.* Nempe legatum, non verò in decem legatis, rebus provinciæ componendis.

Ibid. 24. *Torquatum.* Librum 1. de Finibus bonorum.

111, 2. *Qui nuper eſt.* Addunt editi quidam *mortuus*, quam vocem ignorant codices, ſolitam ab antiquis ſupprimi, euphemiæ causâ.

Ibid. 13. Maximè probabile. 25. Probabile.

112, 3. *Aut si Silium videris.* Conjunctionem *si* omittunt vulgati, quam ſervant regii codices. Iidem paulò pòſt, *ac vellem tum tu adeſſes:* ubi vulgati, *ac vellem, quum adeſſes*: & infrà, *misi equidem ei nuntiari*, pro vulgato, *jussi equidem &c.*

Ibid. 20. Panætii de Providentia *librum.* 28. Prolixius, amantius.

113, 1. Non dicenda, non narranda. 4. Opportunè.

Ibid. 12. *Divortium.* Quod fecit cum Clodia, Appii filia, ut Porciam duceret Catonis Uticensis filiam.

Ibid. 26. *De Marcello.* De quo vide Fam. 4, 12.

Ibid. 30. Præter hiſtoriam, contra veritatem.

114, 10. Magis communia.... & magis ad remp. adminiſtrandam accommodata.

Ibid. 12. *Brutus si quid egerit.* De nova uxore ducenda. Ultimam vocem omittunt vulgati, quam ſervant regii codices cum aliis.

115, 5. Non eadem facies. *Supple* ex Euripidis Ione, apparet, quum res procul ſunt, & quum propè cernuntur. Hæc verba transfert Caſaubonus ad initium epiſtolæ ſequentis. Nihil, inquit, hòc certius, nihil verius.

Ibid. 19. *Quando obviam.* Iturus ſit Cæſari.

116, 1. *Præclarè vendidiſti.* Ducta similitudo a præconibus res venales in auctione laudantibus, ut emptores alliciant.

Ibid. 7. Eruditiora. 8. Nuncupationem, libri alicujus deſtinationem. 9. Callipides, qui fuit in ſtadio nobilis curſor. 12. Eadem menſurâ, & meliùs... si modò possis. 15. De Finibus commentationem. 18. Academicam *commentationem.* 21. Antiochi ſententiam continentia.

Ibid. 27. *Rem ad me eſſe delatam.* Me conſtitutum fuiſſe magiſtrum auctionis.

117, 15. Invideri, quòd in libris meis loquens inducatur. 18. Amor ſui ipsius. 24. Dubito. 26. Vereor Trojanos. 27. Reprehensionem.

119, 11. Commentationem. 14. Præter decorum. 16. ignorantia, *ſed* nullus uſus. 20. Antiochia ratio.

120, 20. Plurima ſcribens. 21. Invidè ferre. 22. Invidè fert.

121, 7. Periculo carentia. 15. Cupidus gloriæ. 23. Opinionem eorum, qui nihil comprehendi poſſe dicunt. 28. Muta perſona.

122. 8. Ariſtotelicum *morem.* 12. De Finibus. 13. Peripatetica. 14. Non invidioſum. 18. Subtiliora. 21. Lucrum inſperatum. 25. Probabilia.

123. 11. Querulus, accuſandi ſeu criminandi cupidus. *Theatrum... bellum habuiſti.* Hæc intelligenda videntur de jurgio quodam Tuberonem inter & uxorem ac privignam, præſente Attico.

Ibid. 19. *Atque hoc.* Nempe curandum eſt.

Ibid. 21. Philoſophicè. 23. Morſum eſſe. 27. Neque enim illis *delector.*

124. 25. Aſſensionis retentione.

Ibid. 29. *Quàm ut Lucullus.* Loquitur ſcil.

in libris Academicis. Quidam reponunt *Lucilius*, ſed invitis codicibus.

125, 2. Statum jam jam dimicaturi. 3. Aſſenſionis retentioni. 15. Libris Hermodorus *mercaturam facit*. 17. Dico, nuncupo. 22. Non emendata. 23. Obſoleta. 24. In parvis rebus ſtudii multum ponere.

126, 21. Placidè. 28. Nobilior, generosior.

127, 7. Libentissimè. 10. Singula quæque particulatim.

128, 8. Probabilem convenientiam. 28. convictus.

129, 1. *Deficti*, aut *defecti*. h. e. abſoluti. Ita codices. Frid. Gronovius mavult *adfecti*, i. e. tantùm non perfecti. Lambinus *detexti*, Erneſtus verò *deſcripti*.

Ibid. 7. *Retentione*. Ex lege Cæſaris licebat debitoribus ſolvere æſtimatione, & deducere de ſorte, quod in uſuras ſolutum erat, ita ut quarta pars debiti periret.

Ibid. 9. Quâ commodiſſimâ ratione.

130, 3. Pelliti libri, quia membranis & pellibus conteguntur. 5. Vereor Trojanos.

Ibid. 7. *In alteram aurem*. Supple dormio, i. e. ſecuri animi ſum.

Ibid. 19. Obſcurior.

131, 9. Vehemens vir, & qui vel inſontem accuſare audeat. Ili. λ' 653.

Ibid. 26. Opus. 27. Verborum comprehensiones, periodos.

132, 2. *Gentilis tuus*. Ex cognomento Attici *gentilem* ipsius appellat Græcum aliquem architectum, cujus conſilio & operâ Cæſar urbem augebat, prolato pomœrio.

Ibid. 19. *Cum Publilio... conficias*. De ſororis

145, 7. *De illo noſtro... exquiras.* Quo ſcit. animo ſit Tigellius in Q. Ciceronem filium, cui nocere poterat apud Cæſarem.

146, 8. *Quantum acceperit.* Quatenus ſe mihi placatum præbuerit.

Ibid. 23. *Ne ridiculè micillus.* Ita mendosè codices. Nihil melius occurrit conjecturâ Odini, qui, teſte Oliveto, reponebat vocem Græcam *μικκύλος*, parvulus, humilis.

Ibid. 24. Ad æqualem ſimilemque. 27. Sine adulatione.

147, 9. Non pœnitendum. 23. Curationem per vomitum. 24. Fidenter, ſine periculi metu, largè, copioſè. 28. Qui circa illum, familiares.

148, 4. Serium nihil.... erudita. 8. Hoſpitii procurationem.

150, 2. *Deverti ad illum.* Matium, quem ficto nomine *madarum* aut *calvenam* appellat, quòd erat calvus. Hujus ad Ciceronem epiſtolam vide Fam. 11, 28.

Ibid. 17. *De Sexto.* Pompeii magni filio, qui in armis erat in Hiſpania.

Ibid. 20. *Quidquid volet, valde volet.* Ita regii codices, pro vulgato *vult* aut *volt.*

151, 13. Calvitium, & per ſimilitudinem, promontorium, quod utrumque eſt albo vertice. Innuit nullam apud Matium fidam eſſe ſtationem, qualem vulgò præbent promontoria.

152, 8. Inanis terror. 15. Senſum & voluntatem. 19. Animi ſignificationem.

153, 3. Heroes, Brutus, Caſſius &c. 14. Cibo abſtinuiſti. 22. Memoriæ lapſus. 23. Conturbatio multa.

154, 3. Mobilia, tamquam Euripus. 10. Rerum novarum.

, 2. In reip. adminiſtratione verſari. 3. ım... Tyrannicidas. 11. Remp. gessimus. remp. magis pertinentia. 24. Elegantes. :gantia.

, 26. *Reginæ.* Cleopatræ, Ægypti reginæ.

, 1. *Designati conſules.* Hirtius & Panſa.

, 1. *Capitolino die.* Quum interfecto Cæonjurati in Capitolium confugerunt.

14. Terram pro terra, quod dicitur de ſolum vertere cogitant. *Tua tamen.* Nemrùs, quò me invitas, ὑπηνέμιος, vento :a, nec ſatis ab hoſtibus tuta. *Nauſea &c.* Ita locum diſtinguit & interpretatur s.

31. Juris concertationem.

, 17. Intemperantiam.

, 19. *Odii pœnam.* Notat Victorius codi. sic regii) habere *penam*, sine diphtongo, ımque omnino cenſet, *odii plenam*, ſenſu & commodo.

, 21. O factum præclarum quidem, ſed :ctum.

, 18. *Ubi nec Pelopidarum, inquit*, ſcil. , Verſum integrum adducit lib. 15. ep. 10.

, 29. *Apud Veſtorium.* Qui Puteolis argenfaciebat.

, 6. Planâ & humili. 10. Sed nobis cuı eſt convivio ſuavi operam dare; verùm nagnam tempeſtatem, o Jovis alumne, in-; , extimeſcimus, in dubioque eſt, ſalvin interituri simus. Ili. ί 228.

, 3. Non tibi, nata mea, data ſunt opeica; verùm tu placita perſequere munera ntiæ. Ili. ί 428. Pro γάμοιο Cicero ſcri-

psit λόγοις, ut ad ſenſum, quem intendit, verba accommodet.

166, 18. *P. Clodium.* Cujus patre a Milone interfecto, matrem Fulviam duxerat Antonius.

167, 10. *Quod mecum per litteras agis.* Hanc Ciceronis epiſtolam poſtea in ſenatu protulit Antonius. Vide Phil. 2, 4.

169, 7. *Parilibus.* Quæ parilia ſumptu ſuo dedit Octavius, ut populum muneribus ſibi devinciret.

Ibid. 17. *Phetriorum.* Ita Jac. Gronovius. *Phetria* dicebantur collegia hominum ad ſacra & epulas convenientium. Poſterior ætas dixit *frerias.* Vulgò editur *Pherionum*, quod Grævius mutabat in *Veſtorianorum.*

Ibid. 18. Quæ ad reip. adminiſtrationem magis pertineant.

Ibid. 27. *Ruſio Veſtorianus.* De quo lib. 5, ep. 2.

170, 7. *Illam ſeſſionem Capitolinam.* Moram illam deſidem conjuratorum in Capitolio, poſt interfectum Cæſarem.

172, 4. Animadverſionem, conſiderationem.

173, 1. *Tyrotarichum.* Obſonium ex caſeo & ſalſamentis. Vide Fam. 9, 15 & 16.

Ibid. 7. Præclarum facinus. 8. Animadverſio, conſideratio. 27. Singula quæque tamquam telæ licia percurrendo.

175, 10. Ipſi curæ erit. 19. Non edendum.

176, 2. *Etſi contentus eram.* Hanc eamdem epiſtolam vide Fam. 9, 14.

179, 21. *Faberii.* Hic fuit Cæſaris ſcriba, cujus manu abuſus eſt Antonius, ut ejus pecuniæ, quam Cæſar in templo Opis depoſuerat, partem

Dolabellæ daret, quò eum ſibi obnoxium fidumque faceret.

181, 4. Defectu ſolutionis, quum quis ſolvendo non eſt.

182, 11. Actionem. 15. Actionem.

183, 26. Generalem regulam.

185, 5. Non eſſe accedendum ad rempublicam.

Ibid. 28. *Noſti vultum.* Ita codices regii, pro editorum *noſti virum.*

186, 12. Subabſurda. 17. Ætas acta eſt. 21. De quinis reliquum. Latet in voce Græca jocus in Hirtium, quem eâdem voce deſignat ep. 2. lib. ſequentis. 23. Nugæ multæ.

Ibid. 24. *Talaria videamus.* Quæ ſint ad fugam celerem apposita paremus. *Talaria* calcei alati, qui Mercurio & Minervæ tribuuntur Nat. D. 3, 23.

Ibid. 29. *Tinniat.* Mihi pecuniam annumeret, quæ tinnire & ſonare ſolet.

187, 12. *Meus diſcipulus.* Hirtius. Vide Fam. 9, 16.

Ibid. 15. Argumentum, quo nituntur. 24. Probabile. 30. Apertâ facie procedendum.

188, 1. Eundum. 6. Aliis bonis egregiis hoc depellunt vituperium.

190, 29. *Dolabellam domi eſſe.* Debita exſoluturum. Contrà dicuntur *foris eſſe*, qui non ſunt ſolvendo.

191, Nihil ſincerum. 20. Non idem ex eodem, *ſupple* ore efflavi.

Ibid. 31. *Here dederam.* Ita codices, non ut vulgò *heri*, Ceterum Corrado, Junio rectè videtur hoc eſſe initium novæ epiſtolæ, quæ malè adhæsit ſuperiori.

192, 18. Argumenta.

Ibid. 24. *Totus alius ſum.* Ita cum Malaſpina, Urſino, Grævio dedimus, ut ſententia poſtulat. Vulgò editur *ſolus alius ſum.*

Ibid. 29. Supra modum Atticus. 30. Demoſthenis. 31. Quæ maximè ſunt Attica.

193, 21. *Multóque magis id probes.* Ita regii codices, pro vulgato, *probabis.*

Ibid. 25. *Qui de Buthrotiis.* Ita codices regii, ut voluit Frid. Gronovius. Infrà pro *quod puto* (*tantùm enim video*) mallet idem Gronovius, *haud puto*, *quantum enim video*, *non videmur &c.*

194, 13. De quinis reliquum. Hirtium. Vide ſuprà lib. 14. ep. 21.

195, 17. Ilias. *Supple*, malorum exoritur.

196, 10. *Surſum fluminum.* Supple ex Euripide, ſacrorum fontes feruntur. 23. Dubitatio.

197, 6. Curæ erit. 13. Molitio in alieno opere, quum argumentum ab alio tractatum ſcribimus. 15. Heraclideum opus, simile iis, quæ ſcripsit Heraclides Ponticus.

Ibid. 22. *Ille enim numquam revertiſſet.* Innuit Antonium simul cum Cæſare tolli oportuiſſe : quod si eſſet factum, nunc in Antonio Cæſar non reviviſceret.

198, 8. *Quàm vellem.* Incipit hìc epiſtola diverſa a ſuperiore, ut rectè vidit Mongaltius.

Ibid. 26. *De Kalendis Martiis.* Ultimam vocem, auctore Grævio & aliis, delevimus : hìc enim ſermo eſt de Kalendis Juniis, quo die ſenatus futurus erat.

199, 6. *De re.* Nempe de armatis, qui mittendi in Tuſculanum dicuntur. Vulgò editur *de te*, qua in lectione vix ſenſus conſtat.

Ibid. 25. Fullo carbonarius. Proverbium in eum, qui dum ſtudet rem meliorem facere, facit deteriorem.

202, 20. *Perſice porticus.* Fuit apud Lacedæmonios porticus hujus nominis, quam ſuſtinebant, inſtar columnarum, ſtatuæ ducum Perſarum, quos Græci vicerant. Brutus in ſuo Tuſculano ejuſdem nominis porticum exſtruxerat, quam fortè alluebat rivulus, quem dixerat *Eurotam.*

Ibid. 29. *Difficili ad conſiliandum legatione.* Brutus in ſuum Lanuvinum Atticum invitarat ad conſiliandum cum amicis. Id vocat Cicero legationem, quam tamen Atticus, qui ſemper ſe a talibus conſiliis removiſſet, non obiit.

203, 23. *Dionis legatio.* Proverbium de beneficio in contumeliam collato, inde natum, quòd Dionyſius tyrannus Dionem ſibi ob virtutem ſuſpectum, ſpecie obeundarum huc illuc legationum, procul ab ſe, & a Sicilia amandabat.

204, 12. *Niſi ut ſalvos eſſe.* Supple liceret. Mallet Frid. Gronovius, *niſi ut ſalvis eſſe.*

205, 1. *Decimumque... accuſabat.* Is obſtiterat, ne Antonius cum Cæſare occideretur.

Ibid. 26. An igitur iter hoc quidquam tibi prodeſt, qui oraculum conſulis?

206, 4. *A. d. IV Nonas Apriles.* Ultimam vocem malè inculcatam a librariis delevimus. Scripta eſt hæc epiſtola menſe Junio.

Ibid. 16. Quæ ſunt mali ominis 18. Et quidem valde gravis.

207, 9. Horum culpam quis Brutorum ſuſtinet? 11. Heroas. 14. Inſtitutioni.

Ibid. 18. *Si præcipit noſtro, noſtris.* Supple amicum eſſe Bruto noſtro, noſtris heroibus. Ita

regii codices. Vulgò, *ſi præcipit nôſtro noſtri*, quod vitioſum eſſe vidit Mongaltius.

Ibid. 21. Si permanſerit.

208, 1. Taciturnitas in reſpondendo. 5. Dialogum Heracledium. Vide ſupra ep. 4.

209, 24. Philoſophica argumenta tractamus. 25. Quæ ad officia pertinent. 26. Nuncupamus, inſcribimus.

211, 16. *Cujus eximiam... voluntatem... perſpexiſſet.* Ita codices regii uterque. Salebroſa eſt vulgata lectio, *ut tuam eximiam... perſpexiſſet.*

212, 9. Scriptiones librorum. 12. Animi pendens. 26. Erudito homini idonea.

213, 1. Humaniter, amanter.

214, 5. Doctè & politè. 6. Progreſſum in litteris. 16. Domus amica. *Addit proverbium*, domus optima. 18. Rerum variarum deſcriptio. 21. Declamitant. 29. Peramanter.

215, 2. Quæ dantur. *Supple*, neceſſe eſt accipere.

Ibid. 14. *Nisi explicato A.* i. e. ære alieno perſoluto. Ita regii codices. Vulgò, nisi explicato λ′ quæ nota significat trigesimum mensis diem, quo die apud Græcos debita ſolvebantur.

Ibid. 26. Amanter & eleganter.

216, 11. *Ut in his (quoniam intelligo... ad te pertinere) ut ergo in ejuſmodi re, tribues &c.* Tullius interpoſitâ longâ parenthesi, pro *ut in his*, ſcil. rebus, poſuit, *ut ergo in ejuſmodi re.* Scriptores ſolent in ejuſmodi repetitionibus ad ſenſum potiùs, quàm ad verba reſpicere. Ita locum in vulgatis tenebricoſum, mutatâ diſtinctione, elucidarunt Frid. Gronovius, & poſt eum Grævius.

217, 1. Laborioſum. 2. Ferendum, toleran-

dum. 8. Subitum consilium & tumultuarium. 21. non dicenda, non narranda.

218, 1. *Mihi aliquid, vel quod Niciæ.* Fuit hic grammaticus, Dolabellæ & Ciceroni familiaris. Muretus legebat *modò aliquid, vel quod &c.*

Ibid. 2. *Quis enim hæc, ut ſcribis, ante? ne nunc &c.* Quis enim antè nullius etiam consilii homo, dubitavit quin meus diſceſſus deſperationis eſſet, non legationis? nunc dubitare possit aliquis prudens? Ita Victorius emendavit corruptam mſſ. lectionem, *anteno nunc &c.* Alii aliter.

Ibid. 15. *Quo caſurus es.* Quidam codices præferunt, *quo caſurus eſt.* Supple, optimus quiſque.

Ibid. 25. Nonnihil commoveor. *Scil.* Bruti diſceſſu.

219, 11. *Dotalium prædiorum.* Sic vocat domos in Argiletho, quas ab uxore Terentia acceperat.

Ibid. 22. *Hæc putavi meâ manu ſcribenda.* Ita regii codices, pro vulgato, *hanc putavi meâ manu ſcribendam.*

220, 9. Dubitationem, retentionem *deliberationis* de nuptiis Quinti cum filia Cani. 11. Sincerè, abſolutè *dotem reſtitutam &c.* 22. Navigatio.

221, 22. Libellum, commentarium, *ſupple* dabo.

222, 13. *Myſteria.* Scil. Bonæ deæ quæ Clodius olim violarat. Tunc autem celebrabantur Nonis Decembris; quo die Cicero conſul Catilinæ ſocios in cuſtodiam tradiderat.

Ibid. 25. Falsè perſcripto, ſuppoſititio.

223, 5. Abſurdissimum.

224, 1. *Me... ſervitutis apud ſe aliquid habiturum.* Ita e conjectura Frid. Gronovius, qui tamen, deleto pronomine *me*, mallet *habituros.*

Ibid. 12. *Octavam partem tolli luminarium ædium ad Streniæ.* Ita e regiis mſſ. alter, ut voluit Corradus. Mendoſè vulgò, *Octavam partem tuli luminarium in ædium &c.*

Ibid. 29. Valde amanter.

225, 17. Heraclideum, ad exemplum Heraclidis Pontici. 26. Veſperâ, tempore quo boves ſolent ab aratro ſolvi.

Ibid. 30. *In Puteolanum.* Ita ex ipſo epiſtolarum contextu legendum vidit Mongaltius, pro vulgato *in Tuſculanum.*

226, 12. Conſilii inopia. 30. Paciſci, fœdus facere.

227, 9. Abominabar. 10. Scopus, finis. 11. Non propter hoc, non eo moveretur Julia, quominus ei nuberet.

230, 1. *Nonis Juliis.* Indignatur Cicero in proſcriptione ludorum Bruti uſurpatum eſſe nomen Cæſaris, quem Brutus tamquam tyrannum occiderat.

Ibid. 5. Diſcedamus. *Nihil vidi.* Imprudens, cæcus fui, qui non antè diſceſſerim. 12. In ſocietate navigandi. 15. Inanem terrorem. 19. Nugæ multæ 25. Tenuiter, minutatim.

231, 1. *Pindaro de Cumano negaram.* De villa Cumanâ negaram, dixeram Pindaro non eſſe venalem. *Ego verò*, inquit libro 14, 13 *de venditione nihil cogito.* Regii codices & veteres editi id habent quod dedimus, pro vulgato, *Pindaro decumano negaram.*

232, 31. Societate navigandi.

233, 2. Suſpenſiore animo. 10. Tutum. 15. Impulſio. 19. Glorior. 20. Poſt nævo carentem. 21. Nævo carens ... Divinus. 22. Collectio.

234, 10, Contra propriè loquendi rationem.

235,

235, 5. Societate navigandi.

236, 31. *Repræſentandam.* Citiùs proferendam.

237, 31. *Domo mittito.* Ita regii codices, pro vulgato, *emittito.*

238, 1. Heraclideum opus.

Ibid. 3. *Eclogarii.* i. e. loci insignes, digni qui excerpantur.

Ibid. 20. Opus, de Gloria. 28. Primigenium exemplar.

240, 29. *Pedibus æquis.* Æquatis velis. *Pedes* ſunt funes ad angulos velorum. Mendosè vulgati, *pedibus equis.*

241; 8. Longam navigationem molientes. 14. Iter huc ſuſceptum quid tibi prodeſt?

242, 17. Scriptum, librum.

243, 27. Nulli reprehensioni obnoxia.

244, 2. Præclaram mortem, *ſupple*, laudas. 6. Explicationem tui consilii. 11. Defensionem componam. 12. Explicatione.

Ibid. 19. A Phædro. Qui Epicureus, atque adeo de honeſto nihil cogitans.

245, 20. Omnino defensione carens. 27. Difficultas mutuandæ pecuniæ.

246, 11. Tentari paralysi, ſeu nervorum reſolutione.

247, 24. Opportunitatem. 28. Securitatem. 31. Dubitatione.

248, 8. Tergiverſor. 12. Præclarum facinus. 23. Flores, loca insigniora. 29. Nati natorum.

249, 1. *Sine vallo Luciliano.* Ita ut nemo ab orationis lectione arceàtur. Lucilius ſatiras ſuas quasi vallo muniebat, nolebatque ad eas legendas omnes admitti. Vide Or. 2, 25. Ita

Olivetus locum interpretatur , quem alii variis conjecturis ſollicitant.

Ibid. 3. *Iſta oratio.* Philippica 2.

Ibid. 5. *Quo fuerint illi triumviri.* i. e. quo perierint tres Antonii, Marcus , Lucius , & Caius. Vulgò *quod fuit illis triumviris.* Emendavit Frid. Gronovius , & sic ferè regius alter , in quo ſcribitur , *quod fuerint illis III viri.*

Ibid. 8. Unus mihi decem millia. 10. Loquax. 16. Benevolentia. 21. Ironia. 24. Peplographiam, librum , in quem nomina clarorum virorum congeſſerat. 26. Heraclideum opus.

250 , 2. Centurio. 4. Quæ de officiis ſunt. 18. Capita. 20. De officio , cui adjuncta eſt circumſtantia. 24. Nuncupo , dico. 25. Alienum.

251 , 4. Veriti ſunt quidem recuſare , timuerunt autem ſuſcipere. Ili ή 93. 13. Obviam itio, occurſus.

Ibid. 26. *Balbus ad me uſque ad III Kal.* Locus hic malè interpungitur in vulgatis.

252 , 5. *Septimo Idus.* Ita codices regii , & sic legendum eſſe res ipſa clamat. Mendosè vulgati , *ſexto Kal.* quod a Bosio profectum eſt. Iidem codices infrà , *ut* v Idus , pro vulgato , ut II Idus , errore librariorum non inſolito.

253 , 7. Heraclideo. 16. Longam navigationem molientem. 26. Abſurdum , ineptum. 29. Præter ventoſum Mimanta inſulam ad Pſyriam , Appiam a siniſtra habentem. Alludit ad locum Homeri Oduſſ. γ'. 71. Suadebat Ciceroni Atticus , ut inter Apenninum montem (Mimanta) & viam Appiam , in Arpinatem inſulam (Pſyriam) proficiſceretur , ne in Antonii manus incideret. Erneſtus.

254, 3. *Et quidem ut a me dimitterem.* Hîc lacunam agnoſcit Mongaltius, & quidem deeſſe initium novæ epiſtolæ ſuſpicatur.

255, 27. Officium.

256, 7. Commentarium.

257, 9. Verecundiam. 22. In eo genere, quod ad reip. adminiſtrationem pertinet.

Ibid. 24. *Quamquam enim poſtea.* Videtur eſſe admittenda Frid. Gronovii conjectura reponentis, *quamquam enim poteſt, & in præſentia &c.*

Ibid. 29. Ne ſalvus quidem fiam ab hoc.

258, 18. Imperatorculus.

259, 23. *Conſenti in hac cura, ubi ſum, ut me expediam.* Latet hîc fortaſſe aliquid vitii. E mſſ. regiis alter habet, *conſtitui in hac cura in uſum ut me expediam.*

260, 3. *Ad Plancum ſcripsi.* Epiſtolæ, quæ ſequuntur, non eodem tempore ſcriptæ ſunt, ſed eadem de re. De quibuſdam earum mentio fit ſuprà Epiſtolâ 4.

264, 28. *Plancum dederunt.* Omiſſas eſſe duas voces cenſet Manutius, legitque, *litteras ad* Plancum dederunt.

267, 2. *Officii tui.* Manutius, probante Grævio, mallet *officii ſui.*

FINIS.

INDEX LATINUS.

Ex Joan. Erneſti clave Ciceroniana excerptus, in quo voces aut rariores, aut ex ſensûs varietate difficiliores explicantur.

Priore numero liber, altero diſtinctio Gruteriana, aut epiſtolæ indicantur.

A

A, ab. Pro *quoad* eleganter adjectivis jungitur. Fam. 10, 15. *ab equitatu firmus.* Ibid. 8. *ab omni re ſumus paratiores.* Brut. 16. *ab omni laude felicior.* Att. 8, 14. *Tempus mutum a litteris.* Roſc. A. 30. *ab innocentia clementissimus.* * Item verbis. Fam. 1, 4. *a vi præſtare nihil poſſum : vi exceptâ.* Roſc. C. 12. *a Fannio judicio ſe abſolvit.* h. e. cavet ne possit in judicium vocari a Fannio. * Rabir. Poſt. 10. *impunitas a judicio & ſermone.* * Verr. 2, 28. *malle pecuniam accipere a ſalute.* h. e. ob ſalutem, ab ea parte, quæ ſalutem petit. * Pro *apud.* Mil. 35. *res honori fuit a ſuis civibus.* * Pro *ex.* Fam. 11, 10. *a certo ſenſu & vero judicare.* * Att. 16, 7. *Antonii edictum legi a Bruto*, communicante Bruto mecum. * Att. 5, 21. *dare ab alio.* Ibid. *ſolvere ab alio*, i. e. per alium, attributione. Att. 12, 25. *repræſentabimus a Faberio.* * Eſt etiam ubi significat *pro quo*, *cujus causâ* aliquid fit. Roſc. A. 36. *ut ea deditâ operâ a nobis facere videamini.*

ABACUS, menſa in qua exponuntur in conviviis quum ad uſum, tum ad magnificentiam vaſa argentea &c. Hinc Verr. 4, 16. *abaci vaſa.* Ibid. *quum aliquot abacorum faceret vaſa aurea.*

ABDICERE, verbum augurale. Div. 1, 17. *quum tres partes aves abdixiſſent.*

ABDERE. Arch. 6. *qui ſe ita litteris abdidere.* De his qui nullam partem reip. capeſſunt, ac vitam in otio litterarum conſumunt.

ABDUCERE, pro *diſtinguere.* Div. 2, 5. *Animadverti ab iis rebus, quæ ſenſibus, aut artificiis perciperentur, abducere divinationem.* * Abduci dicuntur ſervi, uxores, milites, quum aut vi aut pretio facimus, ut deſerant eos, quibuſcum ſunt. Dejot. 1. *ſervum abduxit a legatorum pedibus.* Phil. 10, 4. *qui abducit ab illo exercitum.*

ABEO. Cæcin. 7. *abiturum eum non eſſe*, h. e. interfectum iri. * Verr. 3, 64. *ne res ab eo abiret*, de auctionibus, in quibus *abire* res ab eo dicitur, qui a plus licitantibus vincitur, ut pervenire ad ipſum res non poſſit.

ABHORRERE, pro diſcrepare. Fam. 1, 10. *abhorrent a communibus præceptis* libri de Oratore. Or. 1, 18. *Oratio... abhorrebat a ſenſibus noſtris*, de diſputatione philoſophi Stoici, quam non concoquebat. * Abeſſe. Cœl. 4. *abhorrere a ſuſpicione.* * Minùs idoneum eſſe. Att. 14, 19. *noſtra ætas* ſenilis *a caſtris abhorret.*

ABJECTUS, de iis, qui in magno metu ſunt, terrore perculsi. Catil. 3, 5. *recitatis litteris debilitatus & abjectus.* Catil. 4, 2. *abjecta metu filia.* * De iis qui ita fracti ſunt, ut metuendi non ſint. Catil. 4, 10. *abjecta multitudo inimicorum.* * Or. 55. *comicorum ſenarii ſunt abjecti,*

i. e. negligentiùs & cum magna licentia compoſiti.

Abjudico. Verr. Act. 1, 5. *nulla res ab eo abjudicaretur.* h. e. judicio auferretur. * Or. 2, 24. *ubi plus mali, quàm boni reperio, id totum abjudico atque ejicio*, ſcil. ex oratione mea.

Abluo. Tuſc. 4, 28. *perturbatio animi placatione abluatur.*

Abrado. Cæcin. 7. *poſtea quàm videt nil ſe abradere ab Cæcina poſſe*, i. e. precibus aliiſque artibus nil pecuniæ auferre poſſe.

Abripio. Verr. 5, 12. *etiamsi natura a parentis ſimilitudine abriperet.*

Abrogare dicuntur magiſtratus Romani, quum agunt cum populo, & ferunt ad populum, ut quod antè juſſerat rogatus lege tollat. Hinc illud, *abrogare fidem alicui*, h. e. habendam non putare, & ſimilia.

Abruptio. Att. 11, 3. pro divortio.

Absolvo. Verr. 2, 8. *Abſolvit eum Veneri, ſibi condemnat.* i. e. decernit hereditatem Veneri non eſſe commiſſam, ſed cogit tamen ſibi dare, ne condemnet. * Roſc. C. *a Fannio judicio ſe abſolvit*, i. e. cavet ne possit in judicium vocari a Fannio, propterea quòd cum eo non deciderit.

Absorbeo. Sext. 6. *tribunatus abſorbet orationem meam.* Non ſinit me de ceteris rebus loqui. *Brut. 81. *abſorbuit eum æſtus gloriæ*, i. e. transverſum egit, ad conſilia prava & violenta impulit.

Absum. Sull. 5. *abeſſe alicui*, i. e. non defendere cauſam ejus.

Abusus. Top. 4. *uſus, non abuſus legatus eſt*, quo res conſumitur, ut vinum, oleum.

Accedo. Or. 1, 9. *ad rempublicam accedere*, h. e. magiſtratus petere. * Dicitur de febrili paroxiſmo. Att. 7, 2. *accedere alteram leviorem*, nempe febrim * Verr. 3, 40. *accedere ad vectigalia* dicuntur, qui ea redimere volunt. Phil. 2, 26. *accedere ad ſcelus ſectionis.* * Verr. 2, 38. *accedere ad cauſam*, ſuſcipere, de actore.

Accensus. Verr. 1, 28. publicus magiſtratuum miniſter, ſimilis viatori.

Accessio. Rabir. Poſt. 11. *acceſsio decumæ*, pro compendio.

Accire. Fin. 5, 31. *Niſi ea voluptatem acciret*, i. e. afferret, efficeret.

Accipere, pro capere. Verr. 3, 18. *ſenſum oculis animoque accipere.* * Intelligere. Nat. D. 1. *quæ parum accepi.* * Tractare. Tuſc. 4, 36. *quo te modo accepiſſem, niſi iratus eſſem.* * *Judicatum ſolvi ſatis accipere*, opponitur ei, qui ſatis dat. * Pro diſcere. Or. 1, 23. *ſi quis eſt, qui hac arte accipi poſſe putet.* * Verr. 3, 30. *jubet magiſtratus Siculos accipere decumas*, h. e. redemptores eſſe decumarum. * Div. 1, 46. *accipere omen*, eſt formula, quâ utebantur, omine bono oblato * *Acceptum*, vel *in acceptum ferre* & *referre alicui*, eſt in tabulis ſcribere nos aliquid ab aliquo accepiſſe pecuniæ.

Acclamatio dicitur non ſolùm in bonam, ſed etiam in malam partem. Ad Q. Fra. 2, 1. *maximâ acclamatione ſenatûs*, i. e. ſenatu valde reclamante.

Accola, pro populari, qui in eodem agro, oppido habitat. Verr. 4, 30. *accolæ Cereris.*

Accommodo. Off. 1, 21. *accommodare ſe ad rempublicam*, i. e. accedere ad rempublicam. Or. 7. *accommodare vim ſuam ad eloquentiam*,

ſtudere eloquentiæ. Roſc. A. 35. *accommodare jusjurandum ſuum ad alicujus teſtimonium*, de judicibus invidiosè, quum teſtibus incertis & nullius fidei credunt, & ex eorum teſtimonio pronuntiant.

ACCUSATOR eſt propriè in cauſa publica, in privata autem *petitor*: interdum tamen pro petitore dicitur. Verr. 2, 1. *firmus accuſator*. Roſc. A. 19. *certus accuſator*.

ACER. Brut. 72. *acerrimus æſtimator*, i. e. perſpicacissimus. Offi. 1, 4. *si acres ac diligentes eſſe volumus... magna ſæpe intelligemus ex parvis*. Roſc. A. 5. *acria ac ſevera judicia*. Ibid. *acres canes*, qui omnes allatrant.

ACERBUS, eleganter dicitur de eo, qui in exigendo labore, uſura, mercede, aut alia quacumque re, nimis durus eſt, nihil neque de tempore, neque de re remittit. Att. 6, 1. *acerbissimi fœneratores*. Balb. 5. *acerbissima diligentia*. * Crudelis. Verr. 5, 38. *acerba mors*. * Prov. Conſ. 14. *res acerbæ* dicuntur, i. e. nondum planè compositæ & pacatæ.

ACERRA. Leg. 2, 24. Eſt thuribulum.

ACIPENSER, genus piſcis, quod in deliciis Romæ erat, magnoque pretio vendebatur.

ACRATOPHORUM. Fin. 3, 4. genus vasis vinarii.

ACREDULA. Div. 1, 8. Eſt ulula. Alii ranam putant.

ACRICULUS. Tuſc. 3, 17. *acriculus ſenex Zeno*, qui facilè iraſcebatur.

ACROAMA, Græcè auditionem significat: Latini uſurpant pro feſtiva narratione, & pro eo item, qui feſtivâ narratione auditorum animos exhilarat. Tales plerumque adhibebantur in locupletum conviviis, iiſque corollæ dari ſolebant.

Eorum mentio Verr. 4, 22. Sext. 54. Arch. 9.

Acroasis. Att. 15, 17. *litteræ sic... ſcriptæ, ut eas vel in acroasi audeam legere*, h. e. in cœtu hominum doctorum.

Actio. Magiſtratuum *actiones* ſunt, vel leges, quæ iis ferentibus ad populum acceptæ ſunt, vel ſenatuſconſulta, quæ iis referentibus ad ſenatum facta ſunt. Hoc ſenſu commemorantur *actiones tribuniciæ*, *conſulares*. Senatorum autem conſularium *actiones* ſunt ſententiæ in ſenatu dictæ, in quas ſenatuſconſulta facta ſunt. Talis eſt *actio* Ciceronis Fam. 10, 23. * In ſenſu verò forensi *actio* eſt 1°. accuſatoris vel petitoris, qui ex lege in aliquem agit accuſando vel petendo. Roſc. C. 12. *integram actionem alicui relinquere*. Hinc prætor dicitur *actionem* dare, quum permittit accuſatori vel petitori in aliquem ex lege aliqua agere. Cæcil. 5. *civibus quum ſunt ereptæ pecuniæ, civili ferè actione, & privato jure repetuntur*, i. e. eâ actione, quâ civis utitur in eum, qui pecunias eripuit, & eſt juris civilis vel privati. 2°. eſt formula, quâ actor utitur in intendenda reo lite, quæ a juriſconſultis ferè petebatur. Cæcin. 3. *quâ actione illum uti velit*. Att. 6, 1. *Cn. Flavium ſcribam actiones compoſuiſſe*. Tales fuere actiones hoſtilianæ &c. 3°. Quum actio prima, altera, tertia commemorantur, ſignificatur quoties in comperendinatione, aut ampliatione cauſa ad judices tota acta ſit. Sic duæ ſunt *actiones* in Verrem. * Actio quid ſit apud rhetores notum eſt. Ea memoratur Or. 3, 26. *conſumere & exhaurire actionem*, i. e. ab initio ſtatim vehementem nimis eſſe, ut ad finem actio durare non poſſit.

Actor, eſt in ſenſu forensi is, qui alterius no-

mine accuſat aut petit, i. e. lege in aliquem agit. * In ſcena autem hiſtriones. Ad Q. Fr. 1. 1, 16. *Actores induſtrii.* Cæcil. 15. *actores ſecundarum aut tertiarum partium.*

Actuaria & actuariolum. Att. 5, 6 & 10, 11. Navium genus inde dictum, quod celeriter remis agi poſſent.

Aculeus. Cluent. 55. *aculeus ſeveritatis*, de judicibus. Att. 1, 18. *aculei ſollicitudinum.* Sull. 16. *noli excuſſos aculeos orationis meæ arbitrari.* Or. 3, 34. *aculeos relinquere in mentibus*, de oratore, qui ea dicit, quæ deſcendunt in animos, quæ audientes ſtimulant, neque ſinunt quieſcere, donec faciant ea, quæ ſuasit orator. * Fallaces concluſiunculæ, ſophiſmata. Lucul. 31. Hinc ibid. 24. *contorta & aculeata ſophiſmata.*

Acumen. Dialecticorum ſophiſmata dicuntur *acumina.* Or. 2, 38. * Ibid. 29. *acumen orationis* eſt ſubtilitas, quâ in explicando & ratiocinando utitur orator. * Nat. D. 2, 3. & Div. 2, 36. *auſpicia ex acuminibus*, quæ ſint non ſatis conſtat.

Acutulus. Nat. D. 3, 7. *Zenonis acutulæ concluſiones*, i. e. contortæ, exiles &c. quæ quum audiuntur, nihil contrà dici poſſe videtur, ceterùm animum non movent. Vide Tuſc. 5, 5.

Addicere, in auctionibus & emptionibus eſt ei tradere rem, qui ceteros licitatores vicit. Rabir. Poſt. 17. *Addici nummo ſeſtertio velit*, i. e. minimo pretio. * De debitoribus, qui quum ſolvere non poſſunt, creditori traduntur. Hinc Quint. 30. *cupiditati addicere* aliquem, eſt condemnare pro lubitu petitoris aut accuſatoris. Red. 1, 7. *addicere fortunas civis optimè meriti*, ſcil. libidini

Clodii, poteſtati ejus permittere, ut ea ſunt in noſtra poteſtate, quæ a nobis empta ſunt, aut potiùs, ut eſt debitor judicio nobis addictus.

Addictus. Roſc. C. 14. *addictus erat tibi?* h. e. condemnatus, ut tibi ſolveret pecuniam, quam petieras? Flac. 20. *quum judicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus eſt.* Fam. 7. 24. *addictus Hipponacteo præconio*, h. e. infamiæ addictus traditusque, Calvo poetâ quasi præcone, eoque ejuſmodi, qualis fuit Hipponax, qui Anthermum & Bupalum versibus ſuis infamiæ tradidit. Verr. 2, 32. *pretio addictam habere fidem*, h. e. corruptum eſſe. Phil. 2, 21. *vendita atque addicta ſententia.*

Addictio. Verr. Act. 1, 4. *addictio bonorum*, quum judex petitori ejus bona possidenda tradit, unde petitur.

Adipatus, de dictione: opponitur eleganti & politæ.

Adjunctio. Inv. 2, 57. *quaſdam eſſe cum adjunctione necessitudines, quaſdam simplices & abſolutas &c.* * Oratoria quædam exornatio. Heren. 4, 27.

Admodum, planè. Brut. 55. *litterarum admodum nil ſciebat.* * Leg. 2, 11. *ſcis, frater, ſolere in hujuſmodi ſermone, ut transiri aliò possit, admodum dici.* Verbum aſſentientis: nam addit Quintus: *non equidem aſſentiar.*

Adscriptor. Red. 1, 4. *Adſcriptor in me reſtituendo*, h. e. qui auctori reſtitutionis meæ aſſenſus eſt. * Agr. 2, 9. *adſcriptores legis*, ſunt approbatores legis e consilio tribunorum, qui unà cum Rullo ferendam ſtatuerant.

Adstipulator, eſt qui in re præſenti eſt, & unà idem pro eodem ſtipulatur, quum quis sibi ſti-

pulatur aliquid. * Lucul. 27. *Stoicorum adſtipulator Antiochus* dicitur metaphoricè.

ADVENTITIUS. extrinſecus ad nos perveniens, non noſtrum, aut noſtro labore partum. Fin. 5, 21. *adjumenta externa & adventitia.* Manil. 9. *adventitiis multorum regum & nationum copiis.* Verr. 5, 31. *adventitium auxilium.* Or. 3, 33. *Doctrina adventitia*, i. e. ab alio populo inventa. Div. 2, 58. *viſio adventitia*, a ſenſibus profecta.

ADVENTUS. Fam. 6, 20. *adventibus ſe offerre*, h. e. advenientibus obviam ire.

ADVERSARIA, ſunt libri, in quos sine ordine omnia conjiciuntur, sic dicti, quòd in adverſa tantùm parte ſcribitur. Roſc. C. 2. *nomen in adverſariis patet.*

ADVERSARIUS, qui contra nos licetur in auctionibus & emptionibus. Att. 12, 43. & 13, 8.

ADVOCARE, eſt in ſenſu forensi rogare amicos, ut nobiſcum deliberent de re aliqua, in primis de lite, quo ſenſu advocati dicuntur. 2°. rogare aliquem, ut in consilio nobis adsit, Sic Quint. 1. *quos tibi, Aquili, advocaſti.* 3°. amicus actoris aut rei dicitur *advocare*, quum convocat, quibuſcum de cauſa deliberet, ut juvare partes amici possit. Cluent. 19. *Oppianicus in judicio Scamandri aderat frequens, advocabat, omni ſtudio gratiâque pugnabat.*

ADVOCATIO, cœtus advocatorum. Quint. 14. Roſc. A. 5. Verr. 1, 49. &c. * Certum temporis ſpatium, quo opus eſt, ut advocare poſsimus. Fam. 7, 11. *advocationes binas poſtulare.*

ADVOCATUS, dicitur amicus, quem vocamus ad nos, ut eum conſulamus de controversiis noſtris, quique honoris cauſâ ſedet in ſubſelliis noſtris,

aut nobiſcum in rem præſentem venit. Vide Off. 1, 10. Quint. 8. Or. 2, 47. * Phil. 1, 7. armatos homines, quos in ſenatum induxerat Antonius conſul, *advocatos* vocat: *vellem adeſſet ſine advocatis.*

Adustus. Att. 5, 20. *aduſtus incendio Plætoriano* dicitur, qui in alterius judicio notam aliquam abſtulit, tamquam, qui judicio de repetundis, ex hoc capite legis accuſatur, *ad quos ea pecunia pervenerit.*

Aër, pro homine, quocum conſuetudo nulla eſſe poteſt. Att. 1, 18. *Metellus non homo, ſed littus, aër, ſolitudo*, at locus hic videtur eſſe corruptus.

Ærarius. Quint. 4. *ratio æraria*, h. e. ratio pecuniæ diverſæ in Gallia & Romæ. * Cluent. 43. *in ærarios referre*, h. e. in ultimam claſſem, cui adſcripti ſuffragio carebant, & tantùm æra tributi loco pendebant: erat autem hæc nota cenſoria, quæ plebi quidem in primis, ſed interdum tamen etiam ſenatoribus & equitibus inurebatur, ut oſtendit Frid. Gronovius. Or. 2, 66. *ex ærariis eximere.*

Æratus, pecunioſus. Att. 1, 16. *tribuni non tam ærati, quàm, ut appellantur, ærarii*, h. e. non tam nummati & divites, quàm nummarii, & faciles ad corrumpendum.

Æs. Att. 2, 1. *æs circumforaneum*, quod circa forum apud argentarios fœnori datur. Verr. 5, 13. *dirui ære*, i. e. ſolvendo non eſſe. Sed eſt elegans jocus in hac formula. Nam *ære diruti* propriè dicuntur milites, quibus ignominiæ causâ ſtipendium non datur. Quia igitur *caſtra aleatoris* dixerat, eleganter eum, qui aleâ everſus erat bonis, *ære* dirutum dicit. Phil. 11, 6. *exire ære*

alieno. Att. 6, 1. *præ ære vendere*, h. e. inquit Bosius, præ divitiis, quasi iis ita Lentulus affluxerit, ut coactus sit vendere Tuſculanum, quod παρὰ προσδοκίαν Cicero ſubjecit : nam divitum eſt potiùs prædia emere, quàm vendere. Verr. 5, 13. *æra vetera* eleganter dicuntur crimina vetera, quorum pœna nondum perſoluta eſt.

ÆSTIMABILE, æſtimatio. His verbis Cicero interpretatur Stoicorum ἀξίαν quum dicerent ſolam quidem virtutem eſſe bonum, ſed eſſe tamen præterea res æſtimatione dignas aliquà, ut præponerentur aliis, & ſumerentur, ut bona valetudo, divitiæ, honores &c.

ÆSTIMATIO. Verr. 3, 92. *remissior æſtimatio frumenti.* Æſtimatio frumenti dicitur, quum prætores, legati, quæſtores pro frumento, quod in eorum cellam imperatur, pecuniam accipiunt ab aratoribus, & quidem tantam, ut ipsis utilius sit pecuniam accepiſſe, aratoribus dediſſe. * Or. 1, 54. *æſtimatio pœnæ* erat, quum ex more Atheniensi, damnatum reum judices interrogabant quam quasi pœnam commeruiſſe ſe confiteretur. * Fam. 5, 20. & 13, 8. *æſtimationem accipere*, aut *in æſtimationem.* Hæc accipienda ſunt de ratione, quâ Julius Cæſar æs alienum, quo laborabat civitas, diſſolvi jussit, cujus hæc vis erat, ut debitores darent creditoribus in ſolutum prædia, non eo pretio, quó tum erant poſt civile bellum, ſed eo, quod ante bellum fuerat : unde æſtimatio pro jactura eſt Fam. 9, 16. & *æſtimationes* pro prædiis loco pecuniæ acceptis. Ibid. 18. *æſtimationes tuas vendere non potes.* Confer ad Att. 12, 25.

AFFECTIO. Div. 2, 47. *cœli affectio* eſt, quam vulgò conſtellationem vocamus. * Top. 18. *affec-*

tio quædam ad res aliquas in comparandis cernitur. Hinc Top. 2, *res quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur*, h. e. ad illud referuntur, aliquâ ratione ei junctæ, ut conjugata, genus, simile, differens &c. * Inv. 1, 25. *affectio eſt animi aut corporis ex tempore aliqua de cauſa commutatio, ut lætitia, cupiditas, morbus &c.* * Fin. 3, 20. *Affectio animi* dicitur de illa naturali ratione humani animi, quâ bene aliis conſulendum, ſuos amandos putat, ſolitudinem fugit &c.

AFFECTUS. Div. 2. 47. *quomodo affecto cælo*, i. e. quâ conſtellatione. * *Affectum* dicitur de eo, quod cœptum eſt, & jam ex parte profligatum. Prov. Conſ. 8. *affectum bellum & pene confectum.* * Dicitur etiam quidquid afflictum debilitatumque eſt &c. Or. 3, 18. *affectus ſenectute.* Fam. 5, 13. *ita affectum, ut deletum exſtinctumque fateare.* Ibid. 20. *nunc sic affecti ſunt.* * De animi perturbationibus. Att. 12, 32. *graviter affectus.* * Tractatus. Verr. 4, 67. *ut abs te affecta eſt, ita in te animatam videmus.* * Dicitur & de rei ſtatu quocumque. Fin. 1, 11. *manus tua sic affecta*, de manu extenſa. Tuſc. 3, 9. *manus rectè affecta.*

AFFICIO, tracto, habeo. Off. 1, 23. *corpus ita afficiendum, ut obedire consilio rationique possit.* * Tuſc. 2, 7. *dolorem iis verbis afficias, quibus Epicurus voluptatem*, i. e. appelles. * De perturbatione. Roſc. A. 24. *ſua quemque amentia afficit.* i. e. in furorem adigit.

AFFLICTUS. Quint. 30. *ab afflicta amicitia*, i. e. ab afflicto, *transfugere ad florentem.*

AFFLIGERE, idem quod afflictare. Div. 2, 2. *nec afflixi me.* * Sext. 41. *cauſam ſuſceptam affligere*

re, i. e. prævaricari. * Brut. 12. *affligere rem vituperando*, opponitur augere rem laudando.

Affluo. Fin. 1, 12. *præteritas voluptates affluere patiatur* ad animum, i. e. recordetur.

Aggrego. Fam. 1, 10. *voluntatem ſuam ad alicujus dignitatem aggregare*, i. e. ſuſcipere defenſionem dignitatis alicujus.

Agito. Att. 1, 19. *agraria lex vehementer agitatur auctore Pompeio*, crebrò agitur ad populum, ut lex accipiatur. * Vexare, reprehendere accuſando, dicteriis &c. Or. 2, 58, 59. Balb. 25. * Agitari etiam dicuntur, de quibus crebrò deliberatur Off. 1, 24. *rebus agitatis*, i. e. exploratis, deliberatione factâ. Cluent. 32. *agitata res*, ſcil. in judicio. * Quint. 2. *jactata & agitata æquitas*, i. e. omni ratione pugnatum eſt, ne, quod æquum erat, decerneretur. * Verr. 2, 1. *agitari ſcelerum pœnis*, i. e. ita perturbari, ut furor conſequatur.

Agnascor. Or. 1, 57. *agnaſcendo teſtamentum rumpi*, non valere, si quis poſt teſtamentum natus sit, quod valet etiam de adoptionibus.

Agnatio. Leg. 1, 7. *agnationibus familiarum diſtinguuntur gradus*. h. e. ſerie generis per perſonas ſexûs virilis diſtinguuntur familiæ patriciæ & plebeiæ.

Ago. Dicitur de iis rebus, de quibus actio eſt magiſtratuum, ſenatorum, accuſatorum, petitorum. Vide *actio*. Or. 1, 36. Cæcil. 5. *lege agere*, i. e. ex lege, ſeu permittente lege, accuſare vel petere. Or. 1, 38. *agere in hereditatem*, i. e. petere hereditatem. Quint. 9. *ex ſponſo* vel *ex ſponſione agere*. Scil. cauſam. Mur. 17. *agere cum populo tamquam ex ſyngrapha*. h. e. tamquam debitum poſtulare, ut pecunia debita ex ſyngra-

pha poſtulatur. Læl. 23. *in forum verſus agere cum populo*, i. e. converſo ore in forum, ubi plebs eſt, quum ſolerent magiſtratus honoris causâ convertere os ad ſenatum & comitium. * Brut. 92. *agens orator* dicitur, cujus eſt vehemens actio, pene ut eſt hiſtrionum, ut res non narrari, ſed agi videatur. * Notandæ ſunt etiam hæ formulæ. Fam. 3, 6. *agere forum*, i. e. juriſdictioni & controversiis dirimendis vacare. Verr. 4, 6. *agere ſpumas in ore*. Att. 14, 9. *agere rimas* Tuſc. 3, 21. *actum habebo quod egeris*. Verr. 1, 3. *agunt præcipitem pœnæ civium Romanorum*, i. e. conſcientia ſcelerum in cives Romanos pœnas ab eo exigit, eum ita furioſum reddit, ut in præceps ruat. * Fam. 8, 13. *agere animam*. i. e. morti propinquum eſſe.

Agrarii, agripetæ, qui agros legibus agrariis conſequi cupiebant. Vide Catil. 4, 2. & Att. 15, 29. *aiebant... agripetas ejectos eſſe a Buthrotiis*. * Att. 1, 19. *ego... confirmabam privatorum poſſeſſiones, magna cum agrariorum gratia*, i. e. hominum locupletium, quorum magnæ erant agrorum poſſeſſiones.

Alarii. Fam. 2, 17. alæ ſunt equitum, ex Italia & ex provinciis collectæ, quæ ſingulis legionibus addebantur, loco triginta turmarum, quæ olim ex ordine equeſtri.

Album, tabula alba, in qua edicta, & alia hujuſmodi proponebantur. Or. 2, 12. Item omnes libelli, tituli proponendi in publico.

Alea, de re incerta, & a caſu pendente. Div. 2, 15. *non percipitis aleam quamdam ineſſe hoſtiis deligendis*; fortuitum eſſe quibus extis hoſtia deligatur.

Alienatio. Or. 42. *alienatio ſacrorum*, quum

nos ſacris liberamus, ut aut intereant, aut ad alios transferantur. Confer Leg. 3, 20.

ALLEGO. Roſc. A. 9. *allegat iis homines nobiles*, ſubmittit ad eos, qui cum iis agant. Nota: publicè *legantur* homines, qui inde *legati* dicuntur, privatim *allegantur*, unde *allegati* & *allegatio*. Verr. 1, 16. *quibus allegationibus illam sibi legationem expugnavit*. Ad Q. Fr. 2, 3. *Nerius index edidit ad allegatos*, quos vulgò *deputatos* vocant, quibus mandatum erat adire indicem, & indicia audire.

ALLIDO. Ad Q. Fr. 2, 6. *Servius alliſus eſt; ceteri conciduntur*. i. e. in periculum venit, quod evasit: ceteri condemnantur.

ALLIGO. Dicitur de omnibus, de quibus *obligare* dicitur. Rabir. Poſt. 6. *quæſtione novâ alligari*. Ibid. 7. *lege alligari*. Roſc. C. 12. *ſtipulatione alligare*. Tuſc. 2. 17. *vulnus alligare*. Div. 1, 54. *oculus alligatus*. Flac. 17. *alligare ſe ſcelere* Planc. 33. *beneficio alligari*. * Leg. 2, 20. *ſacris alligari* dicuntur, qui ſacra hereditate aut quacumque ratione accipiunt. * Or. 3, 44. *alligare verba certâ lege versûs*. * Fin. 2, 24. *ne sine fructu alligatus sis*, ſcil. amico. * Cluent. 64. *alligatum nuptiis haberet in poteſtate*. * Att. 8, 16. *alligari atque impediri re aliquâ*.

ALLUDO. Nat. D. 2, 39. *mare terram appetens littoribus alludit*. Or. 1, 56. *alludere variè* dicitur, qui aliquem variis rationibus aggreditur, ut aut de ſententia deducat, aut in ſuam ſententiam adducat.

ALTERCATIO, diſputatio, quæ interrogando & reſpondendo conſtat. Att. 1, 16. *Clodium fregi in ſenatu altercatione ejuſmodi*. Brut. 43. *Craſſus altercando invenit parem neminem*, a verbo, *altercor*.

ALTERNUS. Vatin. 11. *alterna conſilia rejicere.* *Conſilia* ſunt judices omnes, quos prætor ſortitus eſt. In judicio repetundarum, eos omnes ex lege Vatinia ſemel rejicere licebat reo, ſemel accuſatori, quum antea liceret utrique ex eodem conſilio rejicere tantùm nonnullos, quorum loca ſubſortitione replebantur. Planc. 15. *alterni judices.* * Arch. 10. *altèrni verſus.* i. e. generis elegiaci.

ALTITUDO. Rabir. Poſt. 16. *mentis luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ.* Mil. 8. *mens alta*, i. e. quæ res humanas contemnit. Fin 2, 16. *ut altior interdum fieres*, dicitur de his, quibus ipſa rerum magnitudo, quas dicunt, videtur animi magnitudinem afferre, ut qui audiat, ſentire possit.

AMBITIO, petitio honorum honeſta. Or. 1, 1. Fam. 7, 1. Att. 1, 10. *ambitio noſtra nititur &c.* * Ambitio dicitur de omnibus rebus, quas aut gratiæ colligendæ causâ facimus, aut ut nos gratioſos eſſe oſtendamus apud eos, a quibus petimus aliquid. Fam. 5. 20. *moleſtè tuli non illa beneficia tuæ potiùs ambitioni reſervata eſſe, quàm meæ, qui ambitione nihil uterer*: ut ſcil. gratiam inire ab aliis poſſes, quibus id genus beneficiorum tribuiſſes. Brut. 69. *ambitione labi*, ſcil. in laude, quum laudamus indignos, ut gratiam ineamus. Fam. 13, 5. *ambitione meâ*, i. e. precibus meis, quibus utor, ut impetratis rebus gratioſus videar. * Off. 1, 30. *in Scipione ambitio major, vita triſtior.* Eſt hæc gravitas quædam in cultu & habitu.

AMBITIOSÈ ea fieri dicuntur, quæ ineundæ gratiæ causâ fiunt. Fam. 13, 69. Att. 15, 1. *ut concionem non ambitiosè corrigerem*, non leviter,

tacens vitia, ut gratiam inirem. * *Ambitioſè* dicitur etiam pro ſtudioſè. Fam. 3, 7. *Ambitioſiùs facere ſoleo, quàm dignitas mea poſtulat.*

AMBITIOSUS, qui gratiam hominum captat, aut apud homines magnos gratioſus videri vult. Flac. 18. *Ita eſt ambitioſus, ut omnes vos noſque ſalutet quotidie.* Ad Q. Fr. 1, 2. 2. *ne me in Græcos tam ambitioſum factum mirere.* Fam. 6, 6. *cedit ambitioſis voluntatibus.* Ibid. 12. *rogationes ambitioſæ*, quæ fiunt oſtentandæ causâ gratiæ apud alios. Opponuntur *rogationes neceſſariæ*, quæ fiunt propter amicitiam, officium, propinquitatem. Att. 1, 18. *amicitiæ noſtræ ambitioſæ ſunt in quodam ſplendore forenſi.* Fam. 13, 1. *homo minimè ambitioſus, minimè in rogando moleſtus.*

AMBITUS, crimen quod admittitur, quum quis honores conſequi ſtudet iis modis, quos leges prohibent. * Verborum *ambitus* eſt periodus.

AMBUSTUS. Mil. 5. Har. R. 3. qui de crimine capitali accuſatus vix evasit, & insignem tamen turpitudinem abſtulit.

AMENTATUS. Or. 1, 57. Brut. 78. *amentata haſta*, ab amento, quod eſt lorum in media haſta, cujus ope majori vi projicitur haſta, unde metaphoricè *amentatæ haſtæ* comparatur crimen, quod ita impingitur alicui, ut facilè in eo hærere possit.

AMPLIARE, verbum forenſe, quum judices non decernunt, ſed pronuntiant *amplius* rem eſſe cognoſcendam & deliberandam, unde *ampliatio*. Formula ampliandi erant litteræ *non liquet.*

ANAGNOSTES, ſervus qui inter cœnandum aliquid legit. Att. 1, 12. Fam. 5, 9.

ANATOCISMUS, quum ſolvuntur uſuræ uſurarum. Att. 5, 21. *Anatociſmus anniverſarius*, quum

ſolvuntur uſuræ uſurarum, ſed earum tantùm, quæ singulis annis ſolvi debuerunt pro ſorte, non pro uſuris.

ANDABATÆ. Fam. 7, 10. genus gladiatorum, qui ex equis, frontem oculoſque galeâ tecti pugnabant.

ANIMADVERTO. Fam. 11, 27. *dignitas tua facit, ut animadvertatur, quidquid facias.* Roſc. A. 40. *animadvertere peccata*, i. e. punire, quia puniuntur peccata, quum animadvertuntur & cognoſcuntur, quum contrà, non punire, sit negligere peccata.

ANNONA, pretium frumenti, item frumentum ipſum, quod anno quoque provenit. Verr. 3, 92. *ratio frumenti e temporibus & annona eſt conſideranda.* Ibid. 93. *annonæ similis.* Dom. 6. *annona durior.* Phil. S. *perfugia annonæ.*

ANNULUS. Signum equeſtris dignitatis eſt annulus aureus; unde Verr. 3, 76. *annulum invenit.* i. e. eques factus eſt.

ANSA. Læl. 16. *anſam dare alicui ad reprehendendum*, i. e. occaſionem, materiam. Sext. 10. *Sermonis anſas dare*, in ſermones hominum ſuâ culpâ incurrere.

ANTESTARI. Mil. 25. *te tamen, Magne, anteſtaretur.* h. e. teſtem citaret: e foro petitum verbum.

ANTIQUARE *legem*, non recipere, rejicere. Verbum inde natum, quòd in tabellis ſuffragantium ſcriptum erat *a. p.* i. e. *antiqua probo.*

ANTIQUITAS, de moribus similibus iis, qui apud antiquos fuere, de candore, fide &c. Sext 3. *graviſſimæ antiquitatis vir.* Hinc Roſc. A. 9. *antiqui homines*, i. e. probi, simplices, qui ex ſuo ingenio alios judicant. Quint. 22. *antiqui*

officii homo. * Verr. 4, 47. *antiquum opus, antiquum artificium*, de ſtatuis & vasis, in quo genere antiqui præſtabant. * Fam. 10, 15. *nihil antiquius judicavi.* Div. 1, 15. *antiquior mihi poſſessionibus gloria.*

Apex, ſummum ornamentum. Cato. 17. *apex ſenectutis auctoritas.* * Leg. 1, 4. *Tarquinio apicem ab aquila impositum.* Eſt pileus ſutilis, in medio virgâ eminente.

Aphractus. Att. 5, 13. *aphractorum imbecillitas:* genus navium, quod opponitur *cataphractis* ſeu conſtratis.

Aplustrum, vel apluſtre: ornamentum navium in puppi.

Apodyterium, locus, ubi lavaturi veſtimenta deponebant in balneis.

Apotheca, cella, ubi reponuntur in uſus futuros vinum, frumentum &c.

Apparere, præſentem eſſe, si quid fortè jubeatur, de lictoribus, viatoribus, ſcribis &c. Cluent. 53. *apparere quæſtioni* dicuntur ſcribæ, lictores &c. Hinc Leg. 2, 8. *apparere diis* dicuntur miniſtri ſacrorum. Hinc *apparitor*, qui apparet magiſtratibus, & *apparitio*, miniſterium apparitorum.

Applicationis jus. Or. 1, 39. Peregrini vel inquilini Athenis lege, Romæ conſuetudine aliquem deligebant, quem sibi adoptarent patronum. Jus applicationis eſt igitur id, quod patronus habet in ejuſmodi clientes, an possit eorum heres eſſe, si inteſtatò mortui sint.

Aptus. Aptum dicitur quodcumque ex alio pendet. Tuſc. 5, 25. *cauſæ aliæ ex aliis aptæ & nexæ.* * Apta dicuntur etiam, quæ rectè inter ſe juncta ſunt. Or. 52. *apta oratio*, in qua apta

inter ſe ſunt verba, ut numeroſè cadat. | , 29. *apta pinnis*, pro, cui pinnæ aptæ ;ic Virg. Æneid. 11, 242. *cælum ſtellis ibus aptum.*

ıITER, eſt in ſenſu forensi, qui aut honoris deligitur ab iis, qui controverſiam habent *arbiter honorarius*, *arbitria honoraria*) aut :ore datur, ut, non ex certa formula, ımodum judex, ſed ex æquo & bono, ex ona controverſiam dirimat. Offi. 3, 16. *m adigere aliquem*, i. e. agere, cogere itrum. Cæcin. 7. *arbiter familiæ erciſcun-e.* hereditatis inter coheredes dividendæ. eſt tamen interdum pro *judice*, ut *arbi-tro judicio.* * Sumitur etiam pro *teſte.* Verr. . *ab arbitris remotus locus*, h. e. a teſtibus.

ıITRATUS. Ad Q. Fr. 2, 4. *arbitratu ſuo ere aliquem*, pro *lubitu.*

ıITRIUM, eſt deciſio ex æquo & bono, ex ına. Roſc. C. 4. *judicium eſt pecuniæ cer-rbitrium incertæ.* Quint. 3. *arbitrium pro* eſt judicium ſocietatis. Offi. 3, 15. *arbi-rei uxoriæ*, eſt de dote poſt divortium. *itrium* ſumitur etiam pro pecunia ab ſociis ıenſas ſocietatis collata. * Dom. 37. *arbi-ıteris*, ſunt omnes impenſæ, quæ in fu-ınt.

CULA. Att. 11, 1. *meus liber arculas diſci-m Iſocratis conſumpſit*, h. e. omnia orna-ex præceptis Iſocrateorum. Offi. 2, 7. ſcrinio, quo veſtes muliebres ſervantur.

GENTARIA, genus negotii, quod in permu-cum compendio nummis verſatur: quod qui ınt, *argentariam facere* dicuntur, ut ſaga-licuntur facere, qui ſagis vendendis rem

quærunt. Ab ea dicti *argentarii*, iidem cum *menſariis*, *nummulariis*, *trapezitis*, *collybiſtis*.

Artologanus. Fam. 9, 20. genus placenti vilioris.

As, propriè æneus nummus, qui primò fuit ipſa æris libra, cujus partes hæ ſunt, *uncia*, *ſextans*, *quadrans*, *triens*, *quincunx*, *ſemis*, *ſeptunx*, *beſſis*, *dodrans*, *dextans*, *deunx*. Aſſes fuere librales ad tempus uſque belli Punici primi. Tunc propter penuriam pecuniæ, facti ſunt *ſextantarii*, mox *unciales*, ac demum *ſemunciales*. Quoniam autem commoditates multas habet in computationibus, totius in duodecim partes diſtributio, etiam aliæ res ad eumdem modum diſtributæ ſunt, in primis hereditates. Cæcin. 6. *fecit heredem ex deunce & ſemuncia Cæcinam; ex duabus ſextulis M. Fulcinium: Æbutio ſextulam adſpergit.* Eſt autem *ſextula* ſexta pars unciæ.

Assectari dicuntur, qui aliquem honoris & gratiæ causâ in comitia, curiam, forum, domumque deducunt. Hinc *aſſectator*, qui aſſectatur, & *aſſectatio*, ipſa aſſectandi opera.

Asserere. Flac. 17. *quum in cauſa liberali, eum qui aſſerebatur, cognatum ſuum eſſe diceret.* *Aſſerere* in foro dicitur, & is, qui eum, qui pro ſervo eſt, liberum eſſe teſtatur, & is, qui eum, qui prò libero eſt, vindicat in ſervitutem. Utriuſque eſt *aſſertio* & *vindiciæ*, utriuſque *aſſerere* & *vindicare*, uterque *aſſertor*, ſed alter in ſervitutem, alter in libertatem.

Assiduus, locuples. Top. 2. e XII tabulis, *assiduo vindicem assiduum eſſe*, id eſt, *locupletem locupleti*; quia ſcil. ſit ab *ære dando*. Sed hæc notio verbi poſtea obſolevit. Apud Ciceronem *assidui* ſunt, 1°. qui perpetuò in loco aliquo

quo verſantur. Roſc. A. 6. *assiduus in prædiis eſſet.* Ibid. 29. *assidui erant Romæ.* Ibid. 16. *qui liberos ſuos assiduos agricolas eſſe volunt*, i. e. ſemper in agris eſſe. 2°. qui aliquem ubique ſectantur, aſſectatores. Hinc Roſc. A. 24. *hæ ſunt impiis assiduæ domeſticæque furiæ.* 3°. Assiduum dicitur, quod eſt perpetuum, sine intermissione. Att. 13, 24. *Assidui imbres.* Ibid. 20. *assiduus curſus.* Planc. 8. *assidua frequentia.* Fam. 4, 7. *assiduæ lacrymæ.* Ibid. 10, 21. *febricula assidua*, opponitur intermittenti. Verr. 1, 39. *assidua commemoratio.*

Assignare, dare, tribuere. Att. 10, 4. *nihil assignabis nec patruo, nec patri*, ſcil. culpæ. In primis autem notanda ea ratio, quum de agris diſtributis, muneribus, honoribus dicitur. Piſon. 36. *quid? per tuum ſervulum ordines assignati.* Somn. Scip. 7. *munus assignatum deſugiſſe.* Agr. 3, 3. *assignare agros colonis.* Hinc Fam. 13, 8. *assignationes Sullanæ*, ſcil. agrorum. Differt *assignatio* a venditione, ut assignare, & vendere agros. Assignatio fit per leges agrarias coloniis deducendis, venditio autem auctione.

Assus. Fam. 9, 20. *uſque ad aſſum vitulinum opera perducitur.* * Att. 12, 6. *pro iſto aſſo ſole, quo uſus es*, sine unctione. * Ad Q. Fr. 3, 1. *in balneariis aſſa*, h. e. ſudatoria, cella, in qua ſudabatur tantùm sine lotione.

Atomus, corpuſculum minutum & individuum, quo in explicanda origine mundi utebatur Democritus, & poſt eum Epicurus.

Attributio, in re pecuniaria dicitur, quam nunc assignationem vocant, quum non ipsi ſolvimus ex arca, ſed ab alio, qui aut nobis debet, aut pro nobis ſolvere paratus eſt. Fam. 16,

24. *in attributione mihi ignota nomina*, h. ei homines, a quibus mihi ſolvere vult, ignoti ſunt mihi.

ATTRIBUTUS. Verr. 1, 13. *attributa pecunia*, h. e. quæ nobis ſolvitur ab alio, datâ, quam vocant, assignatione. Verr. 3, 70. *ſocietates, unde erat attributa pecunia.* Att. 13, 30. *attributos quòd appelles, valde probo. Attributi* ſunt ii, a quibus attributa eſt pecunia, a quibus debitor ſolvit.

AUCTOR dicitur, qui rem quamlibet auctoritate quadam ſuâ fulsit, aut fulcire videtur. Fam. 12, 4. *fama nuntiabat... auctor erat nemo.* Offi. 2, 2. *quamquam in antiquissima philoſophia, Cratippo auctore, verſaris.* Verr. 3, 38. *cur, hoc auctore, non Romæ quoque ſervi ad vectigalia accedant?* Verr. 5, 26. *unum auctorem facti tui profer.* Fin. 4, 16. *Cato omnium virtutum auctor.* * *Auctor* legis dicitur qui primus legem ſcivit, item ſuaſor, adjutor, laudator, adſcriptor; quo ſenſu ſenatores *auctores* dicuntur legum, judiciorum, juris, quia judicia haberi volunt, ea adminiſtrant, & ſuum cuique jus reddi volunt. Verr. 5, 67. * *Auctores in ſenatu, auctores publici consilii*, Or. 1, 49. ſunt principes ſenatores, qui plurimùm valent in ſenatu, quorum in ſententiam fiunt ſenatuſconſulta. * Auctor eſt etiam venditor, qui ſuum eſſe ſpondet, quod vendit, adeoque actione tenetur de evictione, aut periculum judicii præſtat. Cæcin. 10. *auctor fundi.* Verr. 5, 22. *quod a malo auctore emiſſent*, qui ſcil. evictionem præſtare non poſſet. Et quidem venditor eſt *primus auctor*: qui autem ſpondet pro eo, rem eſſe ejus, vendendique poteſtatem eum habere, *auctor ſecundus*,

Auctoritas tribuitur ei, qui quocumque ſenſu auctor eſt nuntiando, jubendo, ſuadendo, inveniendo, docendo, vendendo, teſtando, defendendo, rogando, exemplum præbendo &c. aut eſſe poteſt, aut eſſe poſſe putatur. * Tribuitur litteris, tabulis, rebuſque aliis, quæ proſunt ad faciendam fidem. Verr. 3, 62. *auctoritates civitatum* ſunt litteræ publicæ, & teſtimonia per legatos. Div. 2, 17, 22. *quid aruſpicina auctoritatis habeat.* * Tribuitur etiam locis. Manil. 1. de Roſtris: *quum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem.* * *Auctoritas ſenatûs* aliquando dicitur ipſum ſenatûs decretum, cui interceſſum ſit, quodque nihilominus perſcribebatur.

Auctoramentum, pretium aut merces *auctorati*, i. e. qui ſe ſuâ ſponte alicui in ſervitutem addixit, in primis ad gladium: nomen inde ductum, quòd ſit ipſe auctor libertatis amittendæ. Offi. 1, 42. *eſt enim illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis.*

Aucupari. Cæcin. 18. *Verba aucupari*, i. e. verbis nimis inhærere. Att. 6, 8. *aucupaturi eramus tranquillitatem* maris, i. e. exſpectaturi. Sext. 55. *omni ex genere orationem aucupari:* materiam nimis ſtudiosè quærere, in qua ornamenta locum habeant.

Aucupium. Or. 25. *aucupium delectationis & quadrandæ orationis induſtria*, i. e. nimium ſtudium auditoris delectandi. Cæcin. 23. *aucupia verborum, & litterarum tendiculæ.* Fin. 5, 11. *Philocteta propagabat vitam aucupio ſagittarum.* In his verba *aucupari* & *aucupium* ducta videntur ex more auſpicandi ab avium ſpectione.

Audientia. Cæcil. 13. *audientiam ſibi facere.* Vide Or. 2, 80.

Augur, interpres omnis auguriorum. Fam. 6, 6. *ego augur publicus.* Vide Leg. 2, 8.

Auguratus, conſecratus, de locis, quæ certis cæremoniis conſecrabantur.

Auguratus, ſacerdotium augurum. Div. 1, 17. *lituus insigne auguratûs.*

Aviarium, locus ubi aves vel utilitatis, vel voluptatis & ſuavitatis causâ aluntur.

Aura. Ab vento leniori traducitur ad rem quamlibet, quæ nos aliquò propellit, ſcil. ut agamus aliquid aut conſequamur. Har. R. 20. *Sulpicium longiùs quàm voluit, aura popularis provexit.* Verr. 1, 13. *ſperat sibi auram poſſe aliquam afflari in hoc crimine.* Sex. 47. *Q. Catulum neque periculi tempeſtas, neque aura honoris potuit umquam de ſuo curſu dimovere.*

Authepsa. Roſc. A. 46. vas in ſuperiori parte continens rem coquendam, in inferiori ignem.

B.

Bacillum, insigne magiſtratuum in municipiis, loco faſcium. Agr. 2, 34. *lictores non cum bacillis, ſed cum faſcibus anteibant.*

Baro, homo ſtupidus. Fin. 2, 23. *nos barones ſtupemus.* Att. 5, 11. *apud Patronem & reliquos barones te in maxima gratia poſui.* Ita jocans Epicureos appellat, quibus favebat Atticus.

Basilicæ, ædificia publica, cujuſmodi erant circa forum, comitium, roſtra &c. ubi judicia exercebantur : unde homines de infima plebe, qui in his locis, aut ad columnam Meniam dies totos ſtabant otiosi, dicuntur modò *ſubbasilicani*, modò *ſubroſtrani*, aut *columnarii.* Verr. 4, 3. *forum ac basilicas ornare.* Att. 4, 16. *Paulus*

in medio foro basilicam texuit iiſdem antiquis columnis. Ibid. 2, 14. *basilicam habeo, non villam, frequentiâ Formianorum.* Mur. 34. *si unius basilicæ ſpatio honeſtamur.*

Beatitas, & beatitudo. Utrumque verbum durum judicat, Nat. D. 1, 34.

Beneficium. Arch. 5. *in beneficiis ad ærarium deferri*, de hominibus, quos magiſtratus provincialis teſtimonio ſuo laudabat & commendabat. Ea autem commendatio apud ærarium deponebatur. * Læl. 25. *ad populi beneficium ſacerdotia transferebantur.*

Bes. Octo unciæ. Att. 4, 15. *fœnus ex triente factum erat bessibus.* Fœnus *bessibus* eſt, quum ſingulis mensibus pro centum assibus, fœnoris loco, ſolvuntur duæ tertiæ assis, adeoque annis singulis octo aſſes pro centenis.

Bestiarius. Genus gladiatorum, qui cum beſtiis componuntur. Eorum mentio Sex. 64. & alibi.

Bibo. Verr. 1, 26. *ut Græco more biberetur.* Eſt autem Græcus mos, quum toties merum bibunt, quoties & deos ſuos, & caros ſuos nominatim vocant.

Bimus. Fam. 3, 8. *Hortensium roges, ut de ſententia bima diſcedat*, quâ cenſuit mihi in alterum annum provinciam eſſe prorogandam * Fam. 10, 24. *legio bima*, h. e. quæ duos annos meruit.

Bonus. Sex. 66. *bona fama bonorum*, i. e. optimatium, de quibus capiendum ſemper, quum de republica loquens *bonos viros* nominat. * Or. 2, 54. *bona dicta* ſunt facetiæ, joci acuti, ſales. Verr. 1, 56. *bonum ſuo cuique facito.* Lex redemptori publici operis a Verre præſcripta, cu-

jus hæc vis erat, ut singula genera materiæ bona eſſent.

BRACCATUS. Piſ. 23. *braccatæ cognationis dedecus.* Cognatio braccata eſt cum homine e natione braccata Gallorum.

BUCCINATOR. Fam. 16, 21. *quòd pollicerit te fore buccinatorem exiſtimationis meæ.*

BULEUTERIUM. Verr. 2, 21. locus Syracuſis, ubi curia erat.

BULLA. Aurea bulla inſigne puerorum ingenuorum, cordis figurâ, quod e collo in pectus dependebat. Verr. 1, 58. *sine bulla venerat.* * In ornamentis valvarum commemorantur etiam *aureæ bullæ*, Verr. 4, 56.

BUSTUARIUS. Piſ. 9. gladiator, qui ad buſtum alicujus depugnat: quod in honorem mortuorum fiebat.

BUSTUM. Tuſc. 5, 35. *Sardanapalus incidi juſsit in buſto*, i. e. ſepulcro, monumento ſepulcrali: sic Att. 7, 9. *buſtum Basili.* Piſ. 4. *quum tu interim, buſtum reipublicæ &c.*

C.

CADERE, dicitur de oratione, in fine periodi. Or. 69. *cadit oratio.* Brut. 8. *numerosè cadere.* * In aliquem cadere, eſt locum apud eum habere. Tuſc. 3, 4. *cadit in ſapientem ægritudo.* Ibid. *non cadit in conſuetudinem noſtram.* * Cauſam, litem perdere. Mur. 28. *cadere in judicio.* Fam. 7, 14. *cauſâ cadent.* * De eventu rei. Brut. 40. *ſed ita cadebat.* * Incidere. Tuſc. 4, 14. *non in omnem morbum animus ingenioſi cadit.* * Venire in poteſtatem alterius. Verr. 5, 55. *cadere ſub legum & judiciorum poteſtatem.*

Att. 8, 3. *cadendum in unius poteſtatem.* * Everti fortunis. Att. 16, 15. *turpius eſt privatim cadere, quàm publicè.* * De iis, qui in pugna intereunt. Phil. 3, 14. *cadere cum dignitate.*

CADUCUS. Cato. 15. *vitis natura caduca eſt.* * Phil. 10, 5. *hereditas caduca.* Or. 3, 31. *poſſeſſio caduca*, i. e. deſerta, quam nemo petit.

CÆCUS, paſſivè, pro latens. Or. 2, 87. *res cæcæ.* Agr. 2, 14. *cur hoc eſt tam obſcurum atque cæcum?* * Cæcum faciens & obſcurum. Mil. 19. *neque cæca nox oſtendiſſet Milonem.* Dom. 10. *cæca nubes reipublicæ.* * Ligar. 1. *cæcus timor*, eſt inanis & falſus.

CÆLATOR. Verr. 4, 24. artifex argenti cælandi, qui ſigna vaſis aureis aut argenteis illiganda cælat. Hinc Verr. 4, 19. *argentum cælatum*, i. e. vaſa argentea, quibus ſigna arte illigata ſunt, ut aut tota aut dimidiata emineant, ſine quibus *argentum purum* eſt.

CÆSUS. Top. 26. *ruta & cæſa recipere.* Confer Or. 2, 55. Vide *ruta.* Att. 5, 18. *inter cæſa & porrecta.* Vide *porrecta.*

CÆSTUS, eſt lorum clavis ferreis, cui manus utraque implicatur, ut pugil eò fortiùs ferire poſſit. Tuſc. 2, 17. *caſtibus contundi.*

CALAMISTRUM, inſtrumentum ferreum, quo capilli criſpantur urendo, unde *calamiſtrati.* Hinc traducitur ad nimia orationis ornamenta. Brut. 75. *orationem calamiſtris inurere.*

CALCULUS. Fin. 2, 19. *voluptatum calculis ſubductis.* Læl. 16. *ad calculos vocare.* Fragm. Hortens. *ut calculum reducas, ſi te dati pœnitet.* Ducta ſimilitudo e ludo duodecim ſcriptorum.

CALLERE, callum ducere. Fam. 4, 5. *in illis rebus exercitatus animus jam callere debet.*

Callidus. Nat. D. 3, 10. *Callidos voco, quorum tamquam manus opere, sic animus uſu concalluit.* * Solers, intelligens. Nat. D. 2, 57. *naturâ nihil eſt callidius.*

Callum. Tuſc. 2, 15. *labor quasi callum obducit doloribus.* Ibid. 3, 21. *diuturna cogitatio animis callum vetuſtatis obduxerat.*

Calumnia, lis quam alicui sine cauſa intendimus. Mil. 27. *calumniâ litium fundos alienos petebat.* Hinc duſtæ formulæ. Cluent. 59. *calumniam non effugiet*, i. e. calumniæ damnabitur. Fam. 8, 8. *calumniam ferre*, i. e. damnari calumniæ. Ibid. *calumniam jurare* dicitur accuſator, qui jurejurando profitetur ſe non per calumniam litem intendere: alioqui ſe non abnuere quin *calumniam ferat.* * Eſt etiam *calumnia* interpretatio malitioſa & falſa. Cæcin. 21. *in frigida & jejuna calumnia deliteſcere.* Fam. 6, 7. *calumniâ timoris*, quum propter timorem omnia deteriùs interpretamur. Fam. 1, 1. *calumniâ religionis*, i. e. falſo religionis prætextu. Att. 4, 3. *Metellus tempus exemit calumniâ dicendi*, h. e. longiori quàm opus erat oratione. Lucul. 1. *inimicorum calumniâ tardiùs, quàm debuerat, triumphavit.* * Captio. Fat. 14. *nec ullam adhibebat calumniam.* * Inanis reprehensio. Nat. D. 2, 7. *effugiunt Academicorum calumniam.* Lucul. 5. Arcesilæ *calumnia* sive impudentia opponitur verecundiæ Democriti. Catil. 2, 2. *amare calumniâ cœperat*, i. e. simulato amore: ſed locus non videtur ſanus.

Calumnior, falſam litem intendo. Verr. 3, 15. *calumniandi quæſtus.* * Tempus fictis causis ducere. Red. 1, 11. *meque etiam, si diutius calumniarentur, redire jussiſtis.* Quint. 21. *jacet*

res in controverſiis, *iſto calumniante*, *bienniùm.* * De iis, qui falsò omnia timent. Fam. 9, 2. *ſed calumniabar ipſe.* Ibid. 7. *nam quod antea calumniatus ſum*, *indicabo malitiam meam.*

CALX, terminus curriculi in circo, qui calce aut cretâ olim nôtabatur: unde formulæ. Tuſc. 1, 8. *video calcem*, *ad quam quum ſit decurſum.* Læl. 27. *e carceribus ad calcem pervenire.* Cato. 23. *ad carceres a calce revocari.*

CAMARA. Ad Q. Fr. 3, 1. tectum conclavis fornicibus ſuſpenſum.

CAMPESTER. Har. R. 20. *campeſtris quæſtus*, eſt pecunia a candidatis accepta, sic dicta a campo Martis, ubi magiſtratus creabantur. Cœl. 5. *ludus campeſtris*, eſt exercitatio corporis, cujus plura erant genera, quibus juvenes in campo Martio utebantur.

CAMPUS, de campo Martio ſæpe dicitur simpliciter. * De quacumque re, quæ magnam facultatem alicujus rei præſtat. Cæcin. 29. *me ex campo æquitatis ad verborum anguſtias*, *& omnes litterarum angulos revocas.*

CANCELLI. Verr. 3, 59. *cancellos alicui circumdare* dicimur, quum cavemus ne quis pro libidine ſua malè facere possit, ductâ dicendi ratione a beſtiis, quibus cancelli circumdantur, ne effugere, aut nocere cuiquam possint. * Sext. 58. *cancelli fori*, ſepta.

CANEPHORÆ. Verr. 4, 3. ſtatuæ referentes ſpeciem virginum ſacerdotum Cereris, bina caniſtra in hujus divæ ſacris ferentium.

CANO. Verr. 1, 20. & Agr. 2, 26. *intus canere*, proverbium in eos, qui omnia ad ſuam utilitatem referunt, ducta dicendi ratio a ſtatua citharīſtæ ſpeciem referente, qui *sibi intus cane-*

bat, quum manu tantùm ſiniſtrâ ab interiori parte chordas lyræ carperet, atque ita totam cantionem perficeret.

Capedo, capeduncula. Parad. 1. Nat. D. 3, 17. vaſculum ex eo genere, quo in ſacris utebantur.

Capitalis, pertinens ad caput, in quo caput agitur. Verr. 2, 39. *rei capitalis reus.* Ibid. 28. *rerum capitalium quæſtiones.* Rabir. Perd. 9. *admittere fraudem capitalem.* * Hinc res periculoſæ, *capitales* dicuntur. Fin. 4, 12. *hoſtis capitalis.* * Item pernicioſæ. Off. 2, 21. *capitalis oratio.* * Scelerati etiam dicuntur *capitales.* Off. 3, 21. *capitalis Eteocles, vel potiùs Euripides.* * *Capitales* dicimus etiam ingenioſos. Ad Q. Frat. 2, 12. Philiſtus dicitur *Siculus capitalis ille creber, acutus &c.* Vide Muretum Var. Lect. 2, 5.

Capsa, receptaculum litterarum & ſcriptionum. Cæcil. 16. *ſi te ad meas capſas admiſero.*

Captio, ſophiſma, genus diſputandi, quo alterum decipimus, aut ſaltem dubium & incertum relinquimus. Fat. 13. *omnes ejus generis captiones eodem modo refelluntur.* Lucul. 14. *ab iis, quæ clara ſunt, quaſi præſtigiis quibuſdam & captionibus depelli.* Att. 10, 15. *Servii conſilio nihil expeditur; omnes captiones in omni ſententia occurrunt.*

Caput, decretum philoſophi. Lucul. 32. *ita ex uno Epicuri capite, & altero veſtro perceptio & comprehensio tollitur.* * Summa. Verr. 3, 35. *de capite aliquid demere.* * Quod eſt in quaque re ſummum plurimumve valet. Tuſc. 5, 34. *Negavit ſe jure illo nigro, quod caput cœnæ erat, delectatum.* Or. 1, 35. *caput eſt... quàm pluri-*

tium ſcribere. * Auctor rei. Flac. 18. *caput eſt Græcorum concitandorum Heraclides ille.* * Aliquando etiam caput dicitur pro ſtatu hominis, pro fama, pro jure libertatis aut civitatis, atque adeo pro vita. Top. 4. *mulier, quæ ſe numquam capite diminuit*, h. e. numquam nupsit, adeoque non transiit in aliam familiam, quæ eſt diminutio capitis minima. *Cauſæ capitis, res capitales*, in quibus caput hominis agitur, quum quis in judicium publicum ita vocatur, ut damnatus amittat ſtatum ſuum, aut famam, aut civitatem, aut libertatem, aut denique vitam, ut in crimine perduellionis. * Div. 2, 12. *caput jecoris.*

CARCER, in plurali, locus in circo, unde curſûs initium fit.

CARDIACUS, qui laborat doloribus ſtomachi, quem veteres Græci καρδίαν vocabant.

CARMEN, formula certa verborum. Mur. 12. *prætori quoque carmen compoſitum eſt.* Rabir. Perd. 4. *cruciatûs carmina.* Or. 1, 57. *in magiſtri carmine.* Eſt hoc loco magiſter, qui præeſt bonorum alicujus venditioni. Fin. 5, 15. *ſunt enim prima elementa naturæ, quibus auctis, virtutis quaſi carmen efficitur.* Nempe elementa naturæ ſunt, ut ſinguli verſus : virtus eſt tamquam carmen ex iis compoſitum, *concentus virtutis.* Ita locum interpretatur Erneſtus.

CARPERE, deligere. Sext. 16. *floſculos undique carpere ac delibare.* Cluent. 46. *ſed carpas, ut velis*, h. e. deligas in quem animadvertere velis. Ibid. *in multorum peccato carpi paucos ad ſupplicium non oportet.* * Reprehendere. Balb. 26. *carpunt non illo inimico, ſed hoc maledico dente.* * Or. 3, 49. *carpere membris orationem*, h. e.

non uti comprehenſione verborum, ſed membratim cæſimque ſcribere.

Catadupa, cataractæ. Somn. Scip. 5. *ſicut ubi Nilus ad ea, quæ catadupa nominantur, præcipitat &c.*

Cataplus, claſſis, in primis ea quæ Alexandriam commeabat. Rabir. Poſt. 14.

Cavea, locus ubi ſpectatores ludorum ſedent. Cato. 14. *magis delectatur, qui in prima cavea, quàm qui in ultima ſpectat.*

Caveo, de Juriſconſultis dicitur, quum litigantibus, aut aliquid contrahentibus, ſive voce, ſive ſcripto præfiniunt modum litis inſtruendæ, aut rei contrahendæ, ne cauſâ cadant, aut decipiantur. Mur. 9. *tu caves ne tui conſultores... capiantur.* Ibid. *Servius hîc nobiſcum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cavendi... ſecutus eſt.* Hinc *cavere* dicuntur etiam 1°. qui ſibi ſatiſdari jubent in re aliqua. Brut. 5. *niſi priùs a te cavero, ampliùs eo nomine neminem petiturum.* Verr. 3, 54. *prædibus & prædiis populo cautum eſt.* 2°. qui aliquid excipiunt in formula pactionis, aut conditionem aliquam paciſcuntur. Verr. 1, 11. *viderunt in cautione, quum ita caverent, ſi poſt Kal. Jan. in conſilium iretur.* 3°. qui alicui quacumque in re proſpiciunt. Cluent. 59. *quum ei non ſatis cautum videretur.* * Prohibere lege, edicto. Verr. 1, 43. *cur hoc, quum in eodem genere ſit, non caves?*

Cavillatio. Or. 2, 54. genus facetiarum in toto ſermone fuſum.

Causa, res de qua in judicio agitur, controverſia forenſis, quæſtio finita cum interpoſitione perſonarum certarum. Cauſæ forenſes, vel ſunt publicæ, quæ ad univerſam rempublicam,

ejuſque ſtatum pertinent, ut ſcelera, quæ aut directè nocent, ut peculatus, majeſtas læſa, captæ pecuniæ &c. aut exemplo & periculo publicæ ſecuritatis, ut parricidia, veneficia, cædes &c. vel privatæ, in quibus privatorum commodum unicè agitur, ut de teſtamentis, hereditatibus &c. * Cauſa etiam dicitur, in quocumque alicujus utilitas verſatur. Manil. 2. *cauſam reip. ad me detulerunt.* Leg. 3, 4. *ſenator cauſam populi teneto.* * Dicitur etiam de ratione & prætextu, quare aliquid ſit, aut fiat. Off. 1, 31. *alia in cauſa M. Cato fuit, alia ceteri.* Att. 7, 3. *cauſam cauſa illa non habet.* Verr. 1, 8. *cum cauſa accedere ad accuſandum.* Dom. 5. *in bona... locupletium per cauſam inopum impetus comparare.* * Excuſatio. Att. 11, 7. *cauſas tuas noſco.* Fam. 16. 19. *accipio cauſam.* Verr. 1, 39. *omen magis patribus, quàm cauſa placuit.* Fam. 8, 8. *militum... cauſæ cognoſcantur*, propter quas mitti volunt. Ligar. 11. *cauſas apud te rogantium gratiosiores eſſe, quàm vultus.*

CAUTIO. formula juriſconſulti, quâ cavetur alicui. Fam. 7, 18. *cautiones veſtræ.* * Hinc eſt etiam formula pactionis in genere, quòd eâ is ſibi cavet, qui pactionem facit. * Litterarum obligatio, quâ nobis a debitore cavemus. Dom. 50. *Cautiones fiebant pecuniarum.* Fam. 7. 18. *cautio chirographi.* * Cautio dicitur etiam omnis res, quâ nobis quacumque in re cavemus, ne quid fiat, quod factum nolimus. Sext. 7. *hunc Pompeius omni cautione, fœdere, exſecratione devinxerat.* * Off. 1, 14. *habet res multas cautiones*, h. e. in ea re multa cavenda & providenda ſunt. * Declinatio rei prudenter inſtituta, *quæ declinatio ſi ratione fit, cautio appellatur.*

Tuſc. 4, 6. *a malis naturâ declinamus.* Fam. 11, 21. *quæ cautionem non habent, de iis non laboro.* * Flac. 13. *defendendi facilis eſt cautio, non ſolùm latibulis occultorum locorum &c.*

Celeber locus, opponitur *deſerto.* Arch. 3. *urbs celebris*, i. e. abundans incolis. Læl. 3. *dies celeberrimus* dicitur, quo Scipio Africanus a ſenatu, populo, ſociis &c. domum deductus eſt.

Celebratio, confluxus hominum in locum aliquem. Sull. 26. *quæ domus? quæ celebratio quotidiana?* * Conventus hominum frequens. Off. 1, 4. *hominum cœtus & celebrationes obire.*

Celebritas dicitur & de conventu aut confluxu hominum, & de loco, ubi frequentes convenire homines ſolent. Off. 2, 13. *qui ab ineunte ætate celebritatis cauſam ac nominis habet.* Qui certa de cauſa notus omnibus eſt.

Cella, templum. Phil. 2, 8. *cella Concordiæ.* * Locus ubi conditur in uſus futuros frumentum, vinum &c. Cæcil. 10. *frumentum in cellam.*

Censeo. Fam. 9, 2. *tibi igitur hoc cenſeo.* * Arch. 6. *ex his ſtudiis hæc quoque cenſetur oratio & facultas*, i. e. æſtimatur & judicatur, aut in horum ſtudiorum genere ponitur. * Eſt etiam verbum proprium ſenatorum quum ſententiam dicunt in ſenatu. Phil. 3, 15. & 5, 15. * Cenſere, eſt etiam in cenſum deferre apud cenſorem. Flac. 32. *in qua tribu prædia cenſuiſti?* Ibid. *si aliena cenſendo ſua facere poſſet.* Ibid. *sintne iſta prædia cenſui cenſendo?* h. e. an poſſint in cenſum deferri. Hinc qui & nomen & rem apud cenſorem defert, *cenſeri* dicitur. Att. 1, 15. Flac. 32.

Census, cenſoris actio cenſendi. Sext. 47.

cenſu prohibere dicitur cenſor, quum aliquem, quia civem eſſe non putat, bona ſua in cenſum deferre non ſinit. Cluent. 48. *quum in equitum cenſu Sacerdos prodiiſſet.* * *Cenſus noſtri* Arch. 5. tabulæ cenſoriæ. * Pro re familiari ſumi notissimum eſt.

CENTESIMA. Ad Brut. 18. & Att. 2, 16. vectigal publicum quod ſolvitur ex rebus venalibus; & ærario militari infertur. * Centesimæ uſuræ, quum ſinguli aſſes in menſem ſolvuntur pro centenis, unde fiunt duodecim in annum. Verr. 3, 70. *centesimis binis fœnerari*, i. e. acceptis binis assibus pro centenis in ſingulos menſes: unde facilè intelligi poteſt, quæ ſint ternæ & quaternæ centesimæ. Att. 6, 2. *centesimæ perpetuæ* ſunt, quum adduntur quotannis ſorti ſine anatociſmo. His opponuntur *centesimæ renovatæ*. Vide Att. 5, 21.

CENTUMVIRI, ſunt aſſeſſores judicii centumviralis, quod ita dictum a numero judicum rotundè enuntiato: nam judices erant omnino quinque ſupra centum, quum ex ſingulis triginta quinque tribubus terni deligerentur. Ad hujus judicii notionem pertinebant plurimæ cauſæ, quas enumerat Cicero Or. 1, 38; & præſertim hereditariæ.

CENTURIÆ, partes populi aut exercitûs. Populum in ſex claſſes deſcripsit rex Servius Tullius, & classi cuique certum numerum centuriarum attribuit, non tamen hominum præcisè centum: nam classis ſextæ, in qua aliquot hominum millia fuiſſe conſtat, unica fuit centuria: unde *centuria* numeri cujuſque aut multitudinis nomen eſt, ut *decuria.* * *Conficere centurias alicui* eſt facere, ut eum renuntient.

CENTURIARE, in centurias deſcribere homines, ut militent. Att. 16, 9. *centuriat Capua, dinumerat : jam jamque video bellum.* Red. 2, 5. *quum centuriari homines vidiſſem*, de Clodio, qui cives infimos & ſervos in ordines deſcribebat, ut pugnarent contra Ciceronem.

CENTURIATA comitia, in quibus populus in centurias deſcriptus ſuffragium ferebat. Hæc erant legibus jubendis & creandis magiſtratibus deſtinata.

CENTURIATUS, locus centurionis. Piſ. 36. *centuriatus palam venditos.*

CERA, pro tabula cerâ inducta, cerata. Verr. 1, 36. *extremâ cerâ nomen infimum in flagitioſa litura fecit.*

CERARIUM, pecunia, quæ pro cera dabatur. Verr. 3, 77. *ex omni pecunia... deductiones fieri ſolebant pro neſcio quo cerario.*

CERNO, judico, agnoſco. Off. 1, 20. *magnus animus duabus rebus cernitur.* Tuſc. 5, 8. *quæ genere, non numero cernerentur.* * Refertur ad cauſam, propter quam aliquid facimus. Leg. 1, 18. *ubi eſt gratus, si non eum ipſum cernunt grati, cui referunt gratiam.* * Pugnare, contendere. Fam. 8, 14. *quamdiu civiliter cernitur*, h. e. non armis, ſed iis modis, quibus cives inter ſe contendere decet, lege, judicio &c. Off. 1, 12. *vitam cernamus utrique*; h. e. pugnemus de vita. * Cernere hereditatem, eſt propriè deliberare de hereditate adeunda vel non adeunda : deinde significat id, quod hanc deliberationem fere ſequitur, nempe, adire hereditatem. Att. 11, 2. *eoque ipſo die ex teſtamento crevi hereditatem.* Leg. 2, 9. *quibus diis creverint, procuranto*, de aruſpicibus, quum reſpondent quibus divis piaculum debeatur.

Certare. Catil. 2, 8. *certare fructibus cum uſuris* dicuntur, qui volunt uſuras ſortis acceptæ ſolvere reditibus prædiorum, idque aut difficillimè, aut planè non aſſequuntur.

Circulator. Fam. 10, 32. *circulator auctionum*, eſt circumforaneus, qui cum ſcrutis & undique collectis mercibus obit fora, & congeſtas res auctionibus vendit. Eodem modo *circulatores* dicuntur medici circumforanei.

Circulus, conventus privatus hominum colloquendi causâ. Or. 1, 34. *quemcumque patrem familiâs arripuiſſetis ex aliquo circulo.* Ibid. 18. *quum in circulo decipiare adverſarii alicujus ſtipulatiunculâ.* Balb. 26. *in conviviis rodunt, in circulis vellicant.*

Circus, ædificium publicum, in quo habebantur ludi equeſtres, qui inde dicti ſunt *circenſes.*

Cisium, genus vehiculi celerrimi, & quidem biroti. Roſc. A. 7. *ciſiis Ameriam pervolavit.*

Cistophorus, nummus Græcus Aſiaticus; qui nomen habet a ciſta myſtica, quæ in hoc genere nummorum conſpicitur. Dom. 20. *ut in Aſia ciſtophorum flagitaret.* Att. 11, 1. *in ciſtophoro habeo ad ſeſtertium bis & vicies.* De nummo eodem mentio Att. 11, 6 & 16.

Civilis. Jus civile. Vide Top. 2. 1°. opponitur naturali, adeoque & privatum & publicum jus complectitur. Sext. 42. *nondum neque naturali, neque civili jure deſcripto.* 2°. Opponitur juri publico. Vide Verr. 1, 42. ubi a jure civili removentur cauſæ publicæ & quæſtiones. Cæcil. 5. *nam civibus quum ſunt ereptæ pecuniæ, civili fere actione & privato jure repetuntur.* Or. 3, 16. *quum a re civili & a negotiis animi quodam judicio abhorrerent*, h. e. quum neque remp.

in poſſessionibus, cui opponitur *vi*
lis eleganter dicitur, qui æquo ju
ſecum eſſe patitur : qui autem ali
mines liberos non putare dicitur.
pro civili parte, i. e. quantum civi
& poteſt & debet.

CIVILITER. Frag. ep. *philoſoph*
cepta noſcenda, vivendum autem

CIVITAS. Somn. Scip. 2. *co*
hominum jure ſociati, quæ civitat
* Pro urbe. Manil. 22. *qua civit*
* Pro jure civitatis. Arch. 4. *civit*
racliensibus.

CLASSIS, de partibus civiur
ſcripti a Servio censûs cauſâ eran
notum eſt. Sed hinc ducitur ea r
illa ad significandam hominum p
contrà, adhibetur. Sic *classici* au
præſtantissimi, quòd ditissimi cenſ
ma claſſe, in qua qui erant, *class*
ut docet Gellius. Huc pertinet il
qui mihi cum illo collati, quinta
tur, i. e. ultimæ ; nam ſexta, in qu
non numerabatur

lat & claudicat. * Off. 1, 33. *nec in ullo officio claudicare.* * Dicitur eodem ſenſu *claudere.* Or. 51, & Tuſc. 5, 8.

CLAUDUS. Piſ. 28. *claudus, quomodo aiunt, pilam retinere* : proverbium in eos, qui, quæ a magiſtro audierunt, retinent; ſed neque rectè intelligunt, neque iis rectè uti poſſunt, ut claudus, qui pilam sibi traditam retinet, ſed eâ uti ſecundum ludi regulas non valet, quia celeriter currere non poteſt.

COACTOR. Cluent. 64. qui in auctionibus pecunias cogit ab emptoribus ſolvendas : & eſt ferè argentarius. Sed & dicitur de omnibus, qui in quocumque negotio cogendæ pecuniæ miniſtri ſunt. Sic Rabir. Poſt. 11. *utrùm accessionem decumæ, ut noſtri facere coactores ſolent centesimâ* : ſunt miniſtri publicanorum, qui decumas exigunt.

COCTUS. Att. 13, 52. *bene coctus & conditus ſermo.*

COEMPTIO. Or. 1, 56. & Flac. 34. genus eſt matrimonii ineundi, sive ritus, quo in manum viri femina conveniebat. Illud certum eſt emptionem quamdam imaginariam in hac coemptione interveniſſe : qualis autem & quibus verbis & ritibus non ſatis conſtat. * Ab hac coemptione diverſa eſt ea, de qua Mur. 12. *ſenes ad coemptiones faciendas.* Hoc enim genus erat ad ſacra interimenda. Heres ut haberet hereditatem ſine ſacris, eam ſeni vendebat, qui deinde empta bona, ac proinde libera ſacris, heredi ex pacto reddebat.

COEMPTIONALES ſenes. Fam. 7, 29. ſunt ſervi, qui singuli, propter ſenectutem, pretium nullum, juncti plures aliquod inveniunt.

COERATOR. Leg. 3, 4. antiquè, pro *curatore*. Ibid. eſt *coerare*, pro *curare*.

COGNITOR, dicitur qui præſentis cauſam in controverſia civili agit, ut abſentis *procurator.*

COHORS prætoris, ſcil. provincialis, ſunt comites ejus, præfecti, ſcribæ, medici, acceuſi, aruſpices, præcones &c. In re autem militari *prætoria cohors* eſt, quæ ad cuſtodiam corporis prætori, ſeu imperatori attributa eſt.

COITIO. Ad Q. Fr. 2, 15. *coitio Memmii*, propter quam exſulavit de ambitu condemnatus. Fam. 13, 1. Eſt enim *coitio*, quum homines inter ſe coeunt rei malæ perficiendæ cauſâ, ut tribuum corrumpendarum.

COLLEGIUM. Red. 1, 13. *ſervos ſimulatione collegiorum eſſe conſcriptos.* Collegia erant, ex inſtituto Numæ, ſodalitates plebis, in quas deſcripta erat. Dicitur tamen etiam de honeſtioribus, ut *collegium conſulum, prætorum &c.*

COLLINEARE. Fin. 3, 6. *Si cui ſit propoſitum collineare haſtam aliquò aut ſagittam*, h. e. haſtam dirigere aliquò. Sed eſt etiam, ubi ſignificat *ſcopum attingere* & ferire, ut Div. 2, 59. *quis eſt enim, qui diem totum jaculans non aliquando collineet?*

COLLYBUS. Att. 2, 6. *in collybo eſt detrimenti ſatis.* Verr. 3, 78. *deductiones fieri ſolebant pro ſpectatione & collybo*, h. e. permutatione pecuniæ. Ibid. *nam collybus eſſe qui poteſt, quum omnes utantur eodem genere nummorum.*

COLUMNA. Sext. 8. *adhæreſcere ad columnam.* In foro fuit *columna Menia*, ad quam triumviri capitales jus dicebant de ſervis, de furibus, de obæratis, qui ſunt furibus ſimillimi. *Adhæreſcit* igitur *ad columnam*, qui ad columnam ob æs alienum pertractus, debitum ſolvere non poteſt: allegoria ducta ab iis, qui in columnis maritimis

adhæreſcunt, h. e. ad eas illiſi naufragium faciunt.

COLUMNARII. Fam. 8, 9. *nolo te putare Favonium a columnariis præteritum eſſe.* Ita dicebantur homines de vili plebe, qui ad columnam Meniam, otii fallendi causâ, totos dies verſabantur: ſimiles *ſubbasilicanis*, & *ſubroſtranis.*

COLUMNARIUM, vectigal, quod ſolvebatur pro columnis. Att. 13, 14. *columnarium vide ne nullum debeamus.*

COMITIA. Ad Q. Fr. 2, 15. *comitia gratuita*, in quibus nulla largitio facta eſt. Red. 1, 11. *comitia juſta*, ſunt centuriata. Verr. 1, 7. *comitia mea*, in quibus ego petitor fui. Cœl. 8. *comitia pontificia*, ſunt creandis pontificibus. Sic *comitia conſularia*, *prætoria &c.*

COMITIALIS, Ad Q. Fr. 2, 2. *dies comitiales*, h. e. per quos comitia habentur, aut haberi poſſunt. Sic Verr. 2, 52. *mensis comitialis.*

COMITIATUS, pro comitiis. Leg. 3, 4. *comitiatus maximus* dicuntur comitia centuriata, quia maximè juſta.

COMITIUM. Brut. 84. locus in foro Romano, ubi coibant comitiis curiatis, & litium causâ, unde & nomen duxit.

COMMENTARII, ſunt in genere libri, in quibus memoriæ causâ res perſcribimus quaſcumque, unde de tabulis acceptorum & expenſorum, de tabulis cenſorum, de libris pontificum ſæpe dicuntur.

COMMITTERE. Fin. 3, 2. *ludis commissis*, i. e. cœptis. * Simpliciter pro crimen committere. Roſc. A. 20. *quum verisimile erit aliquem commiſiſſe.* * Cluent. 37. multam *committere*, pro facere; quò multâ dignus fias. * Roſc. A. 5. *com-*

mittitur judicium inter ſicarios, pro habetur * Verr. 1, 32. *committere incommoda ſua legibus & judiciis*, h. e. non ſe ipſum vindicare, ſed judicio perſequi injurias ſuas. * Eſt etiam *committere* pro perdere, quum facimus aliquid, quo committimus, ut aliquid amittamus. Verr. 1, 10. *hereditas commiſſa*. Flac. 21. *fiducia commiſſa*. Hinc ducitur elegans ratio Dom. 57. *devotio convicta & commiſſa*, quum accidit id, quod voto ſuſcepto a diis conſequi volebamus.

COMMODUM. Adv. Att. 13, 27. *commodùm diſceſſerat Hilarus*.

COMMODUM. Fin. 5, 21. *prima naturæ commoda* ſunt quæ nobis a natura quaſi commendari prima videntur. * Item quod nobis commodatum eſt. Verr. 4, 3. *qui forum commodis hoſpitum*, i. e. rebus hoſpitum commodatis, *non furtis nocentium ornarent*.

COMPENDIUM, lucrum. Roſc. C. 16. *compendium facere*. Her. 4, 42. *turpe compendium*.

COMPERENDINARE. Verr. Act. 1, 11. eſt jubere reum iterum adeſſe, ut cauſa ſecundâ vice agatur, & quidem in diem perendinum, i. e. tertium. Hinc *comperendinatio* & *comperendinatus*. Brut. 22. *unum, quaſi comperendinatûs medium diem fuiſſe*.

COMPITALIA. Att. 2, 3. *Compitalitius dies*. Att. 7, 7. *Ludi compitalitii*. Piſ. 4. ſolennia, quæ in compitis agebantur.

COMPLEMENTA numerorum. Or. 69. ſunt verba inania, quæ inferciuntur periodis, ut numeroſiùs cadant.

COMPROMISSUM eſt, quum utraque litigantium pars promittit ſe arbitri ſumpti ſententiâ ſtaturam; ni fecerit, certam pecuniam, ut in

ſponsione, amiſſuram. Verr. 2, 27. *judicium de compromiſſo.* In genere dicitur *compromiſſum* id omne, de quo inter duas partes convenit.

CONCIO. Att. 4, 2. *concionem dare* alicui dicuntur magiſtratus, quum privatum hominem, cui ex roſtris cum populo agendi poteſtas non eſt, producunt, eique dicendi poteſtatem faciunt. * Oratio ad populum. *Epiſtola concionis in modum ſcripta*, h. e. vehemens.

CONDITIO, ſtatus hominis. Off. 1, 13. *infima conditio eſt ſervorum.* * Voluntas alterius, id quod nobis præſcribitur. Verr. 3, 62. *venire ad conditiones* alicujus, pro facere, quod quis vult. * Pactio. Verr. Act. 1, 6. *manſit in conditione.* * Jus. Quint. 28. *conditione pari.* Verr. 1, 54. *conditione optimâ* eſſe dicuntur in redimendo, qui præcipuum aliquod jus habent redimendi, ut ad eos potiùs, quàm ad alios res redimenda perveniat. Agr. 3, 2. *optimâ conditione prædia*, h. e. optimo jure. Att. 12, 3. *Vecteni conditione ſemiſſem*, h. e. ſortis partem dimidiam, ut Vecteno ſolutum eſt. * Natura rei. Marcel. 4. *a quo conditio viſque victoriæ devicta eſt.* * Pactio cautionibus & ſyngraphis facta, pecuniæ vel gratiæ promiſſio. Ad Q. Fr. I. 1, 2. *nullius pecuniæ conditione ab integritate deduci.* Manil. 23. *quibus conditionibus, quibus jacturis homines in provincias proficiſcantur.* * Similis hujus vocis uſus eſt, quum ponitur pro nuptiis, quæ fiunt ſub conditione dotis. Læl. 10. *uxoria conditio.* Phil. 2, 38. *filiam ejus, ſororem tuam ejeciſti, aliâ conditione quæſitâ, & antè perſpectâ.* Cœl. 15. Clodia dicitur *conditiones legere*, h. e. adoleſcentes ad ſtuprum. * Mur. 28. *iniquam legem, & miſeram conditionem inſtituet periculis hominum.*

Flac. 10. *tamen in conditione atque exemplo pertimeſcenda videantur. In conditione*, quæ miſera utique futura eſt, si hoc exemplo invitati homines, pericula magiſtratibus noſtris & civibus creare audeant.

Conditio. Nat. D. 58. *conditiones ciborum.*

Confusio. Mur. 23. *confusio ſuffragiorum eſt*, quum non ex cenſu ſuffragia feruntur, nec centuriæ annumerantur, a prima claſſe initio facto, ut fieri ex inſtitutione Servii ſolebat, ſed quum ſuffragia omnium classium & centuriarum numerantur, ut primi cujuſque civis ſuffragium eamdem vim habeat, deinde neſciatur quis quemque ſuffragio ſuo conſulem aut prætorem crearit. Id ut fieret, ambitûs tollendi causâ, poſtularat Servius Sulpicius, & confusionem hanc appellat Cicero *æquationem gratiæ, dignitatis, ſuffragiorum.*

Congiarium. Att. 10, 7. dona, quæ inter populum urbanum diſtribuuntur. Res a frumentariis largitionibus ortum duxit.

Conscriptus. *Patres conſcripti.* Dicitur pro *patres & conſcripti.* Patres ſunt ii, qui ſunt generis patricii : conſcripti, qui novo Bruti inſtituto, poſt reges exactos, ex equeſtri ordine, qui poſtea ſeminarium ſenatûs fuit, ſenatui adſcripti ſunt.

Consessor. Flac. 11. *conſeſſores accuſatoris*, ſunt ejus advocati, qui in ejus ſubſelliis ſedent in judicio.

Consessus. Flac. 17. *conſeſſu veſtro*, ſcil. judicum, quum vos in judicio consideretis.

Consilium & concilium ita differunt, ut *consilium* dicatur de conventu hominum, qui deliberandi causâ conveniunt; concilium de eo,

in quo audiendi cauſâ. * *Conſilium publicum* dicitur de ſenatu, de ſenatûs decreto, de judicio &c.

CONSOLIDATUS. Fam. 5, 20. *rationes conſolidatæ*, in quibus accepta & expenſa conſentiunt.

CONSTITUERE. Verr. 1, 1. *conſtituere accuſationem* dicitur actor, quum ea comparat, quæ ad accuſationem ſunt neceſſaria. Part. 9. *fidem conſtituere*, eſt facere ut fides habeatur. Mur. 5. *ex Asia laus familiæ conſtituta eſt*, i. e. comparata. Rabir. Perd. 2. *conſtituere rempublicam* dicuntur, qui legibus aliiſque rationibus, malis reip. ingravescentibus medentur. Marcel. 8. *conſtituenda judicia*, pro reſtituenda. * Att. 1, 3. *conſtituere* dicuntur, qui de re aliqua paciſcuntur, inter quos de re aliqua convenit. *Cincio H S. xx conſtitui me curaturum.*

CONTESTARI. Propriè eſt teſtem aliquem in re aliqua facere hac formulâ, *teſtis eſto* : unde Att. 16, 15. *Litem conteſtari*, eſt, quum adverſarius uterque, qui ad prætorem controverſiam detulerat judicio dirimendam, cauſâ expoſitâ breviter & narratâ prætori, dicebat præſentibus, *teſtes eſtote.*

CONTORQUERE, propriè dicitur de eo motu haſtæ, aut cujuſcumque jaculi, quo ei majorem vim atque impetum addimus. Atque is motus, eaque agitatio, pro ratione jaculorum, aut manu fit, aut machinâ, quæ inde *tormentum* dicitur. Hinc fit, ut quidquid celeriùs movetur & fertur, aut vehementiùs propter brevitatem ferit, id omne *contorqueri*, *contortum* dicatur. Nat. D. 1, 10. globus dicitur *magnâ celeritate contorqueri.* Or. 2, 17. *qui* (animus) *tamquam*

machinatione aliquâ... ad triſtitiam eſt contorquendus. Or. 70. *Demoſthenis non tam vibrarent fulmina, niſi numeris contorta ferrentur.* Tuſc. 3, 26. de Æſchine, *quæ verba contorquet?* Or. 1, 58. *res contortæ & difficiles*, in quibus obſcuritas ex nimia brevitate oritur. Tuſc. 3, 10. *hæc concluduntur contortiùs a Stoicis.*

CONTUBERNALIS, Ligar. 7. *militiæ contubernales* dicuntur, qui ſimul ſtipendia faciunt, & in caſtris in eodem tabernaculo ſub eodem decano degunt. * Imperatoris autem contubernales ſunt adoleſcentes nobiles, qui in cohorte prætoria militant, ut ſub oculis imperatoris ſint, cum eo eſſe, ab eo erudiri in re militari poſſint, ejus conſiliis interſint. * Hinc aliæ dicendi rationes ductæ. Brut. 27. *Gellius Carbonis contubernalis in conſulatu* dicitur, quia eum ſectatus eſt, more adoleſcentium, qui ſe ad insignem aliquem virum applicabant. Att. 13, 5. *contubernalis Quirini* dicitur Cæſar, cui, ut Romulo, divini honores habebantur. Flac. 17. Lælii *contubernales* vocat, quos paulò pòſt hoſpites dicit.

CONVENIRE. In aliquem convenire dicitur, quod ad eum pertinet, in eum cadit, ei aptum eſt. Roſc. A. 23. *ſuſpicio convenit in aliquem.* * conſtare, conſentire. Tuſc. 5, 11. *quàm ſibi conveniat.* Fin. 3, 22. *poſterius priori non convenit.* * Res convenit, pro componitur pacificatione. Att. 9, 6. *dumque rem conventuram putamus.* Phil. 13, 1. Si *conveniſſet*, ſcil. pax inter Sullam & Scipionem. * Top. 3, in manum convenire dicuntur uxores, quibuſcum uſu aut coemptione matrimonium contrahitur. Flac. 34. *in manum convenerat. Nunc audio: ſed quæro, uſu, an coemptione?* Verr. 2, 15. *ex his civitatibus*,

quæ in id forum convenirent : quum prætor conventus ageret, & de controverſiis judicaret.

CONVENTUM. Cæcin. 18. *pacti & conventi formula.*

CONVENTUS, corona auditorum in judicio. Brut. 62. *minimè dignos elegantis conventûs auribus.* Sext. 56. *ſcio, quid gravitas veſtra* (*ſcil. judicum*) *quid hæc advocatio, quid ille conventus poſtulet.* * Pactum. Att. 6, 3. *ex pacto & conventu ab aliquo diſcedere.* * Verr. 5, 11. *conventus agere* dicitur magiſtratus provincialis, quum in civitate certa jus dicit, controverſiaſque dirimit. * Ab his conventibus, ipſæ urbes, in quibus aguntur, quæque vocantur *fora*, conventus etiam dicuntur. * In primis autem *conventus* dicuntur cives Romani, qui in ejuſmodi urbibus negotiandi causâ domicilium sibi conſtituerunt. Verr. 2, 13. *ex civium Rom. conventu.* Verr. 5, 36. *is eſt conventus Syracusis civium Rom.*

COR. Tuſc. 1, 8. *aliis cor ipſum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordes dicuntur.*

CORBITA, navis oneraria, quæ nomen habet a corbe, quam in malo ſummo interdum appendebant, loco signi.

COROLLARIUM, idem quod corolla. Dabantur corollaria hiſtrionibus, si placuerant, acroamatibus, in conviviis, quum probabantur. Verr. 4, 22. *hic, quasi feſtivum acroama, ne sine corollario de convivio diſcederet.* Pro corollariis interdum pecunia, aut aliæ quædam res dabantur honoris causâ : & quia præter juſtam conſtitutamque mercedem hæc addebantur præmiola, *corollarium* dictum eſt pro auctario. Verr. 3, 50. *corollarium nummorum.*

Coronarium aurum. Agr. 1, 4. Nomen habet a corona, quia dabatur imperatori a provincialibus, ut in corona aurea triumphali conſumeretur: quum autem a provincialibus exigebatur, tunc genus erat exactionis honeſto nomine, adeoque legibus non prohibitum omnino, ſed re plerumque durum & iniquum. Confer Agr. 2, 22. & Piſ. 37.

Crepundia, quæ pueris dantur, ut iis ſe oblectent, ut monilia, torques, annuli, crepitacula & ſimilia. Ex iis ſolebant, aut expoſiti, aut rapti a prædonibus infantes agnoſci: unde Brut. 9. *nunc quoniam totum me non nævo aut crepundiis, ſed corpore omni videris velle cognoſcere.*

Cretio, eſt ſpatium temporis, quod datur heredi a teſtatore ad deliberandum utrum velit hereditatem cernere, adire, necne. * *Cretio libera*, ſcil. a legato, quum coheres legata ſolvere debebat. * *Cretio ſimplex*, quum unus totam hereditatem cernit, adeoque nullum coheredem habet. * *Cretio vulgaris*, in qua adjiciuntur hæc verba, *quibus ſcieris poteriſque.* * *Continua*, in qua non adjiciuntur.

Crocota, veſtis muliebris & virorum mollium, ut conſtat ex Har. Reſp. 21.

Crotalum, crepitaculum æneum, ſonum edens non abſimilem cymbali: unde junguntur Piſ. 9.

Cupa, Piſ. 27. *panis atque vinum de propola, atque de cupa.* Cupa eſt femina, quæ vinum vendit in caupona, ut propola, qui panem.

Curia, pars triceſima civitatis Romanæ, in quas partes triginta Romulus eam deſcripſerat. * Ædes, ubi ſacra curiæ faceret flamen *curiæ*,

qui *Curio* dicebatur, & ubi *curiales* convenirent, de rebus communibus acturi. * Locus conſilii publici, ubi ſenatus conveniebat. Non una Romæ *curia* ſenatûs fuit, ſed tamen propriè *curia* dicitur ea, quæ in foro fuit a Tullo Hoſtilio exſtructa. * Hinc tropicè *curia* ponitur pro ipſo ſenatu, auctore Cicerone Or. 3, 42.

CURIATA comitia, in quibus ex inſtituto Romuli per curias ſuffragia ferebantur. De his vide locum classicum Agr. 2, 10, 11 & 12. Att. 2, 7. *legis curiatæ auſpices* ſunt, qui in auſpicio erant, dum lex curiata ferebatur.

CURULIS. Verr. 5, 14. *Sella curulis* fuit antè regum, pòſt majorum magiſtratuum, putà conſulum, cenſorum, prætorum, ædilium curulium. Hi ab hujus ſellæ uſu, dicti ſunt *ædiles curules*, ut diſtinguerentur a plebeiis ædilibus.

CUSTODES. Red. 1, 11. Ita appellantur in comitiis, qui a candidatis urnis & diribitoribus apponebantur, ne qua fraus intercedere poſſet.

CYBEA. Verr. 5, 17. Navis fuit oneraria, ſic dicta propter latitudinem, quæ propè ad κύβου formam accedebat.

CYNOCEPHALUS. Att. 6, 1. Simiarum genus fuit, de quo fabuloſa ſunt apud Plinium, Hiſt. 6, 30.

D.

DECEMPRIMI dicuntur decem ſeniores & principes ſenatores in municipiis aliiſque civitatibus liberis, qui magiſtratus proximè ſequebantur. Roſc. A. 9. *magiſtratus & decemprimi.*

DECEMVIRI. 1°. ſtlitibus (antiquè pro litibus) judicandis, ſunt judices cauſarum privatarum, creati non multò pòſt prætorem peregri-

num. Dom. 29. *Si decemviri ſacramentum injuſtum judicaſſent.* 20. magiſtratus extraordinarii, legum ſcribendarum cauſâ creati sine provocatione. Vide Liv. 3, 33. Agr. 2, 5. *noſtri decemviri, qui XII tabulas ſcripſerunt.* 3°. de decemviris Rullianis vide Agr. 2, 7.

DECESSIO. Rabir. Poſt. 11. *utrùm accessionem pecuniæ, an decessionem fecerit.* Ibid. *decessionem mille talentûm eſſe factam.* * Ad Q. Fr. 1, 1. *afferre ſpem maturæ decessionis*, ſcil. ex provincia.

DECIDERE, paciſci, transigere: hinc *decisio*, pactio, tranſactio, atque adeo conditio transigendi. Flac. 36. *decisionis arbiter* Verr. 1, 54. *negat eum sibi illâ decisione ſatisfacere poſſe.*

DECOCTUS. Or. 3, 26. *ſuavitas auſtera & ſolida, non dulcis & decocta.*

DECOQUERE, conſumere impensis & ſumptu faciendo. Phil. 2, 18. *teneſne memoriâ te prætextatum decoxiſſe.*

DECUMANUS. Verr. 3, 6. *ager decumanus*, ex quo decumæ debentur. * Publicanus, qui decumas a populo redemit. Verr. 2, 71. *decumani principes & quasi ſenatores publicanorum.* * Magnus, Fin. 2, 8. *accipenſere cum decumano.* In ruſticis ſunt *ova, poma decumana.*

DECURIA, tabula sive album, in quo ſenatorum nomina, ſcripta, qui judicia adminiſtrare debent, sive classis judicum. Decuriæ autem illæ ex vetere inſtituto tres fuerunt, totidem ſcil. in quot partes ſenatores judicantes deſcripti erant. * In *decurias* etiam deſcriptus erat ordo ſcribarum, ceterorumque miniſtrorum, qui magiſtratibus apparebant.

Decuriare, in decurias conſcribere, quod faciebant, qui tribuum largitione corrumpendarum causâ, coitiones faciebant, unde crimen de *ſodalitiis*; aut qui ſeditionis causâ populi fæcem ſollicitabant. Idem eſt *centuriare*.

Decurio, ſenator municipalis aut colonicus.

Deferre, propriè eſt ad locum quemcumque portare. Verr. 4, 57. *ita factus animo & corpore, ut multò appoſitior ad deferenda, quàm ad auferenda ſigna eſſe videatur.* * Transfertur ad multa. Verr. 1, 25. *Is ad eum rem iſtam defert*, i. e. narrat. Or. 3, 13. clientes dicuntur cauſam *ad patronos deferre*, i. e. docere. Rabir. Poſt. 17. *totum te ad me cum tuis copiis detuliſti*; i. e. obtuliſti, contuliſti. Att. 5, 11. *præfectos, quos voles deferto*, i. e. commendato. * Defertur res ad alios deliberandi causâ. Verr. 2, 7. *decumanos convocat : rem defert : ſtatuunt illi &c.* aut auxilii petendi causâ. Fam. 5 8. *ut intelligeres nihil te... fruſtra ad me detuliſſe.* * Accuſator, ejus quem accuſare vult, *nomen defert*, ſcil. ad prætorem, ut inter reos ſcribatur, quod eſt *accipere nomen*. Roſc. A. 3. *nonnihil tamen in deferendo nomine ſecuti.* * Nec ſolùm hominis, ſed etiam criminis *nomen defertur*. Verr. 2, 28. *inimici ejuſdem rei nomen deferunt*, ſcil. capitalis. * Deferunt etiam calumniatores. Agr. 3, 1. *quæ apud vos de me deferunt*, unde dicti *delatores*. * Rationes, ſenatusconſulta dicuntur deferri, referri ad ærarium; ibi enim ſervabantur. * Dom. 5. *malum delatum* opponitur *nativo*.

Defictus. Att. 13, 31. *libri ad Varronem non morabantur : ſunt enim defecti*, i. e. perfecti, abſoluti. Præpoſitio *de* interdum perfectio-

nem & abſolutionem facti ſignificat in compoſitis, & hanc vim tribuit Horatius verbo *defingere*. *O utinam novâ incude defingas retuſum... ferrum.* Ejuſdem præpoſitionis eadem vis eſt in verbis *detexere*, *deperire*, *deproperare*, *deprœliari*, *depopulari &c.*

DEFRINGERE. Or. 3, 28. *ſurculum defringere*, mutuari aliquid ex alia diſciplina.

DENARIUS, nummus argenteus, qui fuit decem aſſium, quum ſeſtertius erat duorum aſſium cum ſemiſſe : quum autem ſeſtertius excreviſſet ad quatuor aſſes, denarius fuit ſexdecim aſſium. Reſpondet Græcorum drachmæ. Quint. 4. *decidis... quid iis ad denarium ſolveretur*, i. e. quantum efficeretur, si ſumma nummorum Gallicorum, quæ debebatur, ad *denarios* redigeretur. Att. 2, 6. opponuntur *denarius* & *ciſtophorus*, h. e. nummi Aſiatici & Romani.

DENICALES, feriæ mortuorum, quæ a *nece* appellatæ ſunt, de quibus Cicero Leg. 2, 22.

DENTATUS. Ad. Q. Fr. 2, 14. *chartâ dentatâ res agetur*, h. e. dente politâ & lævigatâ.

DEPASCI. Leg. 1, 21. *depaſci veterem Academiæ poſſeſſionem non ſinemus.* Or. 2, 23. *ſtilo depaſcere luxuriem orationis.*

DEPOSITUS, deſperatus, propriè de ægrotis, quos medici deponunt, quòd deſperant ſanari poſſe. Verr. 1, 2. *depoſita reipublicæ pars.*

DEROGARE, eſt novâ rogatione aliquid de ſuperiore lege demere. Dicitur autem *derogare legi*, *derogare de lege*, vel *lex derogatur*. Hinc etiam metaphoricè, Quint. 23. *fides multis locis cognita, ne perfidiâ Nævii derogetur, laborant.*

DESCENDERE, dicuntur Romani honeſtiores, quum in forum, curiam, campum eunt, quòd ii

ſolebant in montibus habitare, qui ſalubriùs habitabantur; ea autem loca in vallibus inter montes erant. Phil. 8, 2. *conſul ſe cum præsidio deſcenſurum dixit.* Phil. 2, 6. *hodie non deſcendit Antonius.* * Hinc etiam ductum videtur, Cœl. 1. *deſcendere ad accuſationem.* * Deſcendere etiam dicuntur, qui ſtatuunt ea facere, quæ inviti faciunt. Verr. 1, 38. *quò ego vellem deſcenſuros*, i. e. gravissima quæque facturos. Fam. 10, 33. *deſcendere ad extrema.*

Describere, dividere, diſtribuere in partes. Agr. 2, 29. *in jugera dena deſcribat.* * Dialectici dicuntur *deſcribere*, quum formas & genera rerum conſtituunt. *Ab hac dividendi significatione multæ dicendi formulæ ducuntur. Rabir. Poſt. 15. *deſcripta* opponuntur universis. Verr. 5, 25. *deſcribere civitatibus ſummas pecuniarum.* Off. 1, 34. *jura deſcribere*, quia in juribus deſcribendis diſcrimen ſervatur ordinum, ætatum &c. * Deſcribere eſt etiam definire. Or. 1, 49. *deſcribere finibus ingenii ſui.* * Deſcribere aliquem, ita de aliquo loqui, ut etiamsi non nominetur, facilè intelligi possit, de quo ſermo ſit. Ad Q. Fr. 2, 3. *Craſſum deſcripsit.* Mil. 18. *videlicet illi me latronem deſcribebant.* Phil. 2, 44. *iſta tua minimè avara conjux, quam ego sine contumelia deſcribo.* Piſ. 28. *non mehercule contumeliæ causâ deſcribam quemquam, præſertim ingenioſum &c.*

Descriptio, tot modis ſumitur, quot verbum ipſum *deſcribere*. Off. 1, 7. *privatarum poſſessionum deſcriptio.* * Ordo, qui ſcil. ex apta rerum deſcriptione & partium pendet. Cato. 17. *atqui ego iſta ſum dimenſus: mei ſunt ordines: mea deſcriptio: multæ etiam iſtarum arborum meâ manu ſatæ ſunt.* * De formis geometrarum. Tuſc.

1, 17. *niſi quid erat numeris aut deſcriptionibus explicandum.* * Deſcriptio dicitur etiam eodem modo, quo *deſcriptus*, quum homines centuriantur, decuriantur &c. Planc. 18. *decuriatio tribulium, deſcriptio populi, ſuffragia largitione devincta.* Dom. 5. *quum decuriatos ac deſcriptos haberes exercitus perditorum.*

DESIGNATIO, diſpoſitio, collocatio. Att. 4, 4. *offendes deſignatione Tyrannionis mirificam librorum meorum bibliothecam.*

DESIGNATOR, eſt curator & arbiter ordinis & loci in ludis, ſpectaculis, funeribus &c. qui unicuique ſuum locum deſignat: item in certaminibus, qui leges & præmia dat agoniſtis.

DESPONSUS, deſtinatus, ſperatus. Prov. Conſ. 15. *ut provinciam deſponſam, non decretam habere videatur.* Att. 1, 13. *deſponſam homini jam Syriam ademi.*

DESTITUTIO, in re pecuniaria eſt, quum aliquis pecuniam, quam pollicitus eſt ſe daturum, non dat. Quint. 16. *hac deſtitutione perculſus &c.*

DESULTORIUS, int. equus, a *deſultore*, quod genus equitum, qui in circo equos plures capitibus junctos agitabant ita, ut in medio curſu ex uno in alterum ſe trajicere poſſent. Mur. 27. *qui mihi videtur prætorius candidatus in conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrere.*

DETESTARI, deprecari, a ſe aut ab alio demotum cupere, deprecando, negando, aut aliâ ratione. Catil. 1, 11. *ut propè juſtam patriæ querimoniam a me deteſter, ac deprecer.* * Hinc in malis auſpiciis & ominibus dicitur pro avertere, adeoque de diis ipſis, quum ſit propriè hominum.

Phil. 4, 4. *O dii immortales! avertite, & deteſtamini, quæſo, hoc omen.*

DEVERSARI, & devertere. Verr. 1, 25. *Rubrium parum lautè deverſari.* Ibid. 6. *ad hoſpites meos & neceſſarios deverti potiùs.* Sic utrumque nomen in mſſ. ſcribitur; & hinc *deverſorium.* Et quidem *devertere*, eſt aliquò ſe convertere, in quo tamen reſpicitur etiam ad locum, unde veneris. At divertere dicitur de duobus, qui diverſam viam ingrediuntur. *Diverſi abiere, divortium.*

DEVOVERE, propriè idem eſt quod vovere. * Eſt etiam certis ritibus ſe morti, ſive Telluri & diis manibus conſecrare. Fin. 2, 19. *quum ſe Decius devoveret.* * Illi etiam caput ſuum devovere dicuntur, qui ſe aut maximis periculis pro patria objiciunt, aut votum faciunt, in quo caput ſuum tamquam pro hoſtia diis offerunt. Vide Dom. 57. Hinc ducitur luſus ille Ciceronis Phil. 11, 6. *Vidi etiam P. Decii auctionem, qui majorum exempla perſequens, pro ære alieno ſe devovit.* Hinc quoque *devotio.* Dom. 57. *hanc ego devotionem capitis mei convictam & commiſſam putabo.*

DEXTELLA. Att. 14, 20. *Q. Axius Antonii eſt dextella.*

DIADEMA, eſt faſcia alba, quâ caput redimere reges olim ſolebant, unde inſigne regiæ poteſtatis putabatur.

DIÆTA, lenia remedia, in primis illud, quod dies & tempus affert. Att. 4, 3. *diætâ curari incipio, nam chirurgiæ tædet.*

DIARIUM, ita dicitur quidquid datur in dies ſingulos. Att. 8, 14. *iis diariis Cæſar militum*

celeritatem incitat. * Servorum quoque fuit *diaria*, i. e. cibi in dies ſingulos aſſignati.

DIBAPHUS, veſtis bis tincta, primùm cocco, deinde purpurâ, quâ utebantur ſacerdotes. Fam. 2, 16. *Curtius dibaphum cogitat*, i. e. ſacerdotium ambit, *ſed eum infector moratur.* Att. 2, 9. *Vatinii ſtrumam ſacerdotii dibapho veſtiant.*

DICA, eſt actio, quæ alicui intenditur. Verr. 2, 14. *ſcribitur Heraclio dica.* Ibid. 15. *dicas ſortiri*, eſt forum agere. At quum dicitur *dicam ſortiri*, eſt judices dare ſortitione.

DICIS causâ. Verr. 4, 24. *Archagatho imperat, ut aliquid illis nummulorum dicis causâ daret*, h. e. in ſpeciem, ut imago ſaltem emptionis eſſet. Mur. 12. *ſed anne tu dicis causâ vindicaveris*, de vindiciis imaginariis, h. e. de vi illa civili & imaginaria.

DICTATA, præcepta, decreta, quæ a magiſtris artis alicujus ſcribenda diſcipulis & ediſcenda traduntur. Nat. D. 1, 26. *iſta enim a vobis tamquam dictata redduntur.*

DIES, variis modis dicitur de die certo & conſtituto, ut de die, qui agendis causis in foro dictus eſt. Verr. 2, 15. *diem differt dicis omnibus.* * In primis de die ſolutionis. Planc. 28. *quum cujuſque dies venerit.* Fam. 7, 23. *dies annua*, quum anno uno elapſo ſolvendum eſt. * De certis morborum diebus. Att. 9, 2. *die tuo*, quo ſcil. febris accedit. * De die natali. Att. 13, 42. *diem meum ſcis eſſe.* Contrà Att. 4, 16. *quum dies meus venerit*, pro, dies mortis. * Tempus, ſpatium temporis. Verr. Act. 1, 2. *diem perexiguam poſtulavit.* * Pro eo quod fit in die. Fam. 1, 2. *is dies honeſtiſsimus nobis fuerat in ſenatu.* * *In diem vivere*, habet ferè ſemper aliquam

incuriæ & negligentiæ ſignificationem. Or. 2, 40, eſt ſimpliciter futuri curam non habere. *ſi barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent.* * Eleganter dicuntur *in diem vivere* Academici, quibus licet modò hoc, modò illud defendere, prout verisimile videatur. * *Alio die*, formula eſt, quâ obnuntiatio fiebat in comitiis.

DIGAMMA. Att. 9, 9. *tuum digamma videram.* Eſt propriè littera F. ea autem quia prima eſt in *fœnoris* verbo, propterea ludens Cicero *digamma* de fœnore dicit.

DIGITUS. Verr. 3, 11. *digito liceri.* Verr. 1, 54. *tollit digitum*, i. e. licetur. Att. 7, 3. *digitum nuſquam*, ſcil. diſcedere. Cæcin. 25. *quà digitum proferat non habet*, h. e. nihil agere, nihil moliri poteſt.

DIGNUS. Phil. 9. ex edicto Antonii, *nulla contumelia eſt, quam facit dignus*, ſeu is, qui ſive odio, ſive ira, ſive quacumque alia de cauſa id faciat, quod debet facere. * Cum genitivo. Att. 8, 15. *ſuſcipe curam & cogitationem digniſſimam tuæ virtutis*, Har. Reſp. 24. *unum eſſe in hac civitate dignum hujus imperii.*

DIPLOMA, litteræ publicæ, quæ profecturis dabantur, ut iis equi, & quæ ad iter neceſſaria ſunt, in oppidis præberentur: nomen ductum a duplici litterarum forma.

DIRECTUS. Cœl. 16. *huic triſti ac directo ſeni*, h. e. ſevero, qui omnia rectè, ſapienter, moderatè fieri vult. Cum Grævio dedimus *decrepito ſeni*: ſed alteram lectionem tuentur Lambinus, Gruterus. Sic eadem oratione 18. *non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio*: & paulo poſt, *directum iter ad laudem.*

Diribere, diſtribuere. Piſ. 40. *an ego cui ſpectem, dum de te LXXV tabellæ diribeantur, de quo jam pridem omnes mortales judicaverunt.* Hinc *diribitio* & *diribitores*, genus miniſtrorum, qui tabellas ad ſuffragia judicibus, aut populo in comitiis diſtribuebant.

Diruptus. Phil. 13, 12. *homo diruptus dirutuſque are*, ſcomma in herniosum egentem.

Discessio. Senatusconſultum fieri *per diſceſſionem* dicebatur, quum variatis principum ſenatorum ſententiis, ceteri, non rogati ſententiam, jubebantur transire quiſque ad eum, cujus ſententiæ accedebant. Fam. 1, 4. *nemo eſt, qui neſciat, quominus diſceſſio fieret, per adverſarios tuos eſſe factum.*

Discidium, diſtractio rerum & ſejunctio: disjunctio hominum non ſolùm animis, ſed etiam corporibus. Att. 15, 29. *conſtitutum eſt diſcidium*, de divortio. Sed Dom. 36. *diſcidium conjugis* dicitur de ſejunctione, quæ eo tempore fuit, quum maritus in exsilio eſſet. Or. 3, 16. *hinc diſcidium illud exſtitit quaſi linguæ atque cordis*, ubi olim malè legebatur *diſſidium*: non enim *diſſidere cor & lingua* dicuntur, ſed *disjungi*, h. e. philoſophia & eloquentia pro duabus diverſis ac ſejunctis artibus haberi. At. Sull. 21. *disjunxit eos a colonis, ut hoc diſſidio ac diſſenſione facta.* Malè in quibuſdam editis legitur *diſcidio*: diſſident enim animis & voluntate cives, conjuges, neque tamen fit inter eos *diſcidium*, h. e. ſejunctio quædam & ſeparatio.

Discingi. Ad. Q. Fr. 2, 13. *Cæſar, mihi crede, in ſinu eſt, neque ego diſcingor*, h. e. neque ego deſinam eum in ſinu geſtare. Nam qui diſcinguntur, iis quæ in ſinu habent exci-

dunt. Ita Manutius. At Erneſtus jocum agnoſcit in verbo *diſcingi*. Nempe *diſcincti* dicuntur homines negligentes, rerum ſuarum parum curioſi, unde *diſcincti nepotes*. Itaque ſenſum hunc putat eſſe. Canto eumdem, quem tu, Cæſarem; neque uno Pompeio nitor; ſed illum quoque amo: verùm ita, ut numquam me aut remp. ab eo ſatis ſecuram putem, aut nobis non ab eo cavendum exiſtimem.

DISSIPATUS. *Dissipata* dicuntur, quæ non ſunt aptè & ordine inter ſe connexa. Or. 71. *facilius eſt apta diſſolvere, quàm dissipata connectere*. Brut. 59. *in inſtruendo dissipatus*, de oratore, qui inventa non ordine & aptè diſponit.

DISSOLVERE, in re pecuniaria variis modis dicitur. Verr. 3, 75. *diſſolvere alicui pecuniam*. Planc. 28. *diſſolvere nomen*, i. e. debitum. * *Diſſolvi* etiam dicuntur, qui diſſolvunt pecuniam & nomen. Catil. 2, 9. *diſſolvi nullo modo poſſunt*. * Hinc ad alia transfertur. Att. 15, 10. *diſſolvere vota*. * Refellere. Or. 2, 38. *Dialectici multa inveniunt* (ſophiſmata) *quæ ipsi non poſſunt diſſolvere*. * Tollere. Cæcin. 14. *periculoſum eſt diſſolvi hoc interdictum*.

DISSOLUTUS, nimis negligens. Opponitur ſevero & juſto. Catil. 1, 2. *nimis diſſolutum*. * Item apto. Off. 1, 35. *nec hiſtrionibus concedendum, ut iis hæc apta sint, nobis diſſoluta*. * In re familiari opponitur attento. Quint. 11. *quis tam diſſolutus in re familiari fuiſſet? quis tam negligens?* * *Diſſolutum* etiam & dissipatum dicitur, quod non eſt ad artis formam redactum. Or. 1, 42. *adhibita eſt ars... quæ rem diſſolutam divulſamque conglutinaret*.

DIVINATIO in foro eſt, quum de conſtituendo accuſatore diſceptatur apud judices.

DIVINÈ, divinitus, de divinatione rerum futurarum, cui eventus conſentit. Att. 10, 4. *numquam de rep. nisi divinè cogitavi.* Or. 1, 7. *multa divinitus a tribus illis conſularibus deplorata narrabat.* Verr. 3, 76. *divinitus in fraudem incidere*, h. e. pœnâ quadam a diis immiſsâ.

DIVINITAS, natura divina. Div. 2, 11. *quod animus arriperet aut exciperet ex divinitate, unde omnes animos hauſtos habemus.* * Sumitur pro divinatione, Ibid. 38. *placet igitur humanitatis expertes, divinitatis auctores habere.*

DIVINUS, qui præclarè aliquid facit. Ad Q. Fr. 2, 8. *ſenatus frequens divinus fuit in ſupplicatione deneganda.* * Vates. Div. 2, 3. *qui divini dicuntur.* * Res divina, pro ſacrificio. Div. 2, 10. *nihil levari re divinâ poteſt.* Ibid. *omnia leviùs caſura, rebus divinis procuratis.* Fin. 2, 12. *ſcientia rerum divinarum & humanarum.* Tuſc. 5, 3. *divinarum & humanarum rerum cognitio*, eſt definitio ſapientiæ ſeu philoſophiæ, in qua *res divinæ* ſunt phyſica & theologia naturalis, *res humanæ* dialectica & doctrina de moribus dicuntur. Porrò *res divinæ & humanæ* sic accipi debent aliquando, ac si dicas, quidquid omnino eſt. Vide Læl. 6.

DIVISOR, cui mandata eſt in coloniarum deductione & ex lege agraria agrorum inter colonos diſtributio. * Aliquando *diviſores* iidem qui ſuprà *diribitores.*

DIVORTIUM. Or. 18. *sic ex communi ſapientium jugo ſunt doctrinarum facta divortia*, h. e. ſectæ diverſæ ortæ ſunt.

DOCERE. Fabulam docere dicitur ſcriptor,

quum eam edit ſpectandam. Brut. 18. *Livius minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quàm ii, qui multas docuerunt.* Tuſc. 4, 45. *quum Oreſtem fabulam Euripides doceret, primos tres verſus revocaſſe dicitur Socrates.* * Cauſam *docere* dicitur de cliente, quum eam defert ad patronum.

DOLIUM. Brut. 83. *si potare velit, de dolio sibi hauriendum putet. Dolium*, vas magnum, in quo vinum recens ſervatur in cella ſubterranea, unde deinde defunditur in teſtas & amphoras, & in apothecam conditur. Hinc vinum recens *doliare* dicitur, cui opponitur vinum *defuſum.*

DUCERE, abſolutè dicitur, pro in carcerem sive publicum, sive domeſticum ducere. Agr. 2, 37. *ne mihi in carcere habitandum sit, si tribunus plebis duci jussiſſet.* Verr. 2, 12. *si non accipit, quod te debere dicis, accuſes; si patitur, ducas.* * In rationibus pecuniariis *ducere* eſt de ſumma, quæ efficitur, singulis nominibus colligendis. Att. 6, 2. *ut fœnus quaternis centesimis ducant.* * Hinc ad alia transfertur. Quint. 16. *Officii & exiſtimationis rationem ducere*, pro habere. Tuſc. 18. *oratio tua ad credendum ducit.* * Fam. 10, 32. *Balbus quæſtor... duxit ſe a Gadibus*, i. e. abiit clanculum. Div. 1, 18. *oracula, quæ æquatis ſortibus ducuntur.* Nempe ſors propriè ducitur, quum ex urna manu tollitur. * Att. 5, 21. *diem ducere*, pro conſumere.

DUPONDIUS, nummus duorum assium: pro minimo pretio ſumitur. Quint. 16. *si tuus dupondius ageretur.*

DUUMVIRI. Rab. Poſt. 4. Or. 46. Hi ex inſtituto Tulli Hoſtilii perduellionis judicandæ cauſâ conſtituebantur.

E.

EBULLIRE, jactare aliquid ſermone. Tuſc. 3, 18. *ſi virtutes ebullire volent & ſapientias, nihil aliud dicent.* Fin. 5, 27. *quod quidem* (Epicurus) *ſolet ebullire nonnumquam.*

ECDICUS, idem qui ſyndicus, h. e. qui civitatem defendit, cognitor civitatis.

EDICERE. Dicitur de magiſtratibus, quum aliquid aut ſcripto publicè propoſito, aut voce jubent, aut conſtituunt, pronuntiant in eo genere, in quo poteſtatem habent. Att. 12, 9. *Antonius edixit ita, ut me & Lælium exciperet.* Off. 3, 20. *Marius... quod communiter compoſitum erat, ſolus edixit.* * Sumitur etiam interdum pro ſimplici *dicere.* Læl. 16. *ſi priùs edixero, quid maximè Scipio ſit ſolitus reprehendere.*

EDO. Sext. 27. *ſcelus edidit in me.* Leg. 2, 13. *ruinas edere*, h. e. facere ut ruinæ fiant. Fin. 5, 1. *vitam ediderat*, i. e. mortuus erat. Brut. 5. *ede illa, quæ cœperas, Bruto & mihi.* * In rebus forenſibus multipliciter dicitur. Planc. 15. *tribus *edere* dicitur accuſator, quum ex lege de ſodalitiis, quibus ex tribubus judices eſſe velit, apud prætorem profitetur, unde *editicii judices.* * Quint. 21. *judicium quod edat accipere*; h. e. quodcumque genus actionis intendat. * Verr. 3, 29. *quantum edidiſſet ſibi deberi*, h. e. profeſſus eſſet. * Indices dicuntur etiam *edere.* Ad Q. Fr. 2, 3. *Nerius index edidit ad allegatos*; quibus ſcil. mandatum erat adire indicem, & *indicia* audire. * Verr. 2, 42. *poſtulata edere* dicuntur provinciales, quum ea ad conſules deferunt. * De oraculis etiam dicitur. Off. 2, 22. *Pythius Apollo oracula edidit.*

EFFARI, verbum augurale de conſecrationibus, dedicationibus. Att. 13, 42. *opinor augures nihil habere ad templum effandum.* Leg. 2, 8. *urbem & agros & templa liberata & effata habento.* Dom. 5. *nec ullum verbum ſolenne potuit effari.*

EFFEMINARE. Nat. 2, 26. *effeminarunt aërem*, h. e. feminam fecerunt, Junonem appellando.

EJERARE, idem quod ejurare, aliquem rejicere, quem nobis iniquum putamus. Or. 2, 70. *non ego illum mihi iniquum ejero, ſed omnibus.* Verr. 3, 60. *prætor provinciam ſuam totam ſibi iniquam ejurat.* * Fam. 9, 16. *tu autem quod bonam copiam ejures, nihil eſt.* Eſt autem formula e foro petita, quâ ſignificatur aliquem jurare ſe non eſſe ſolvendo, quo facto perſona debitoris pignori capiebatur, & creditori addicebatur.

ELOCATUS. Flac. 28. *quòd illa gens victa, quod elocata.* Si ſanus eſt locus, ſenſus eſt, vectigalem eſſe factam, & locatam publicanis, *quòd ſervata*, ſcil. in noſtra poteſtate, nec ſe liberare potuit.

ELOGIUM, titulus, inſcriptio. Tuſc. 1, 14. *quid ipſa ſepulcrorum monumenta, quid elogia ſignificant?* Hinc ducta ea ſignificatio, quâ elogium pro laude ponitur: nam tituli monumentorum continebant honorum rerumque geſtarum nomina. * *Elogia* quoque dicebantur reorum ad ſupplicium ducendorum inſcriptiones, in quibus cauſæ notabantur damnationis: ad quam ſimilitudinem Cicero Cluent. 48. *elogium de teſtamento recitaſti Cn. Egnatii, idcirco ſe exheredaſſe filium &c.*

alteri in poteſtatem traditum , add
que voluntate obnoxium. Cato. 1
nemini emancipata eſt. Phil. 2 , 21
dictum atque emancipatum tribun
veſtris oppoſuit.

EMBLEMA , sigillum in argento
4 , 17. Dicitur tamen etiam de op
tis pavimenti , in quibus nulla sig
Or. 3 , 43.

EMBOLIUM. Sext. 54. de Cloc
ſororis embolia novit. Manifeſtum
embolia fabularum , quæ *epiſodia*
cuntur , h. e. digressiones a fabul

EMISSARIUS eſt , cujus quis c
aliis accuſandis , vexandis , explor
item aliis conficiendis , quas ipsi r
agere. Verr. 3 , 40. 5 , 41. Fam.

EMISSARIUM in re ruſtica , c
lacu , per quod aqua emittitur &
blato ſcil. ligno , quod ei opposit
16 , 18.

EPICOPUS. Fam. 14 , 16. *phaſ*
h. e. qui remis agitur. Remis autem

EQUULEUS, machina, quâ in quæſtionibus tebantur, ad verum extorquendum. Nomen raxit a ſimilitudine equi.

ERCISCERE, dividere, quaſi *erctum ciſcere* eu *ciere*, h. e. rem clauſam & reconditam in pertum proferre, ut ſcil. dividatur. Erctum pro e familiari, pro patrimonio dixere veteres. Or. , 56. *qui quibus verbis erctum cieri oporteat eſcit, idem erciſcundæ familiæ cauſam agere non oteſt.*

ESSEDARIUS. Fam. 7, 6. *tu qui aliis cavere idiciſti, cave ne ab eſſedariis decipiare.* genus ilitum Britannicorum, qui ex *eſſedis* ſeu ve- iculis pugnabant.

EVOCATI, ſunt milites, qui legitima ſtipen- ia fecere, ſed precibus commoti, caſtra ducis licujus ſequuntur. Fam. 3, 6. *præfectus evoca- orum.*

EURIPUS. Leg. 2, 1. *ductus aquarum, quos ſti nilos & euripos vocant.* Confer ad Q. Fr. , 1.

EXANCLARE. Tuſc. 1, 49. *quum exancla- viſſet omnes labores.* Quinctilianus hoc verbum onit in nimis antiquis, nec facilè uſurpandis. Eſt autem a vetere *ancla*, quod fuit vas, quo aqua hauriebatur, unde ſumitur pro exhaurire.

EXARARE, propriè eſt arando eruere. Div. 2, 23. *exaratum eſſe, deum dicam, an homi- nem?* De ſcribentibus quum dicitur, extempo- ralem ſcriptionem ſignificat. Att. 14, 12. *ſta- tim hoc neſcio quid exaravi.*

EXCETRA, hydra, Tuſc. 2, 8. *hac dextrâ Lernam mactata excetra placavit.*

EXCITARE, teſtem in judicio ad dicendum teſtimonium vocare. Rabir. Poſt. 12. *in judicio*

Gabinii tertio quoque verbo excitabantur. Hinc etiam dicitur de aliis, quos teſtimonii aut exempli causâ adducimus. Tuſc. 5, 28. *excitabo homunculum a pulvere & radio.* * Dicitur etiam de ædificiis. Sext. 2. *quibus initiis & fundamentis hæ laudes excitatæ sint.* * Or. 2, 21. *faciliùs in vitibus revocantur ea, quæ ſe nimis profuderunt, quàm si nihil valet materies, nova ſarmenta culturâ excitantur.*

Exedra. & exedrium, locus in porticibus, villarum in primis, pluribus inſtructus ſedibus, ut ibi consideri, diſputandi causâ, possit. Or. 3, 5. Fam. 7, 23.

Exigere, in re pecuniaria eſt creditorum, & quibuſcumque pecunia debetur. Flac. 34. *exigendi causâ legationem liberam ſumere.* Fin. 2, 22. *ex rebus voluptatem tamquam mercedem exigere.* * Ii etiam dicuntur *exigere*, qui curatores alicujus rei ſunt, quum aut jubent aliquid, aut factum a redemptoribus, iisve qui debebant, perſpiciunt probandi causâ aut improbandi. Verr. 1, 59. *exegiſti viam thenſarum & pompæ.* Ibid. 40, 50. *exigere ſarta tecta.* * Inde hoc ducitur Verr. 3, 46. *exigere diligentiæ penſum.* * Agere, diſcutere. Fam. 10, 24. *de his rebus ut exigeret cum eo, Furnio mandavi.*

Eximere. Diem eximere, eſt impedire ne quis quid eo die agere possit, quasi tollere diem, & eripere alicui. Ad. Q. Fr. 2, 1. *diem dicendo eximere.* Id fiebat in ſenatu, quum in ſententia dicenda datâ operâ multum temporis conſumebant, & aliena quoque dicebant, ut antè ſol occideret, quàm ſenatusconſultum fieri potuiſſet. * Ibid 6. *si sibi cum populo agendi dies eſſent exempti.* Ibid. *dies comitiales eximent.* * Verr. 4, 19. *eximere de reis.*

EXOSTRA, machina in ſcena, quâ circumactâ, quæ poſt siparium geruntur, a ſpectatoribus cerni poſſunt. Vide Prov. Conſ. 6.

EXPEDIRE, eſt in re pecuniaria ſolvere debitum. Att. 16, 6. *nomina ſua expedire.* Ibid. 12, 29. *si expediatur illud Faberianum*, ſcil. nomen. Si Faberius pecuniam ſolvat. * Mil. 4. *omnis honeſta ratio eſſe expediendæ ſalutis*, h. e. defendendæ, & in tuto collocandæ.

EXPEDITUS, in re pecuniaria eſt, certus. Att. 13, 6. *nomen expeditum.* Fam. 1, 3. *in tua provincia magna negotia, & ampla, & expedita habet.* * Att. 11, 1. *fidem expeditam relinquere*, quod fit ſolvendis debitis aut promissis ad diem. * Paratus. Att. 11, 22. *pecunia expeditissima quæ erat, tibi decreta eſt.* * Fam. 25. *video autem, Planco conſule, etsi etiam sine eo rationes expeditas haberes, tamen &c.*

EXPENSUS. Roſc. C. 1. *expenſam alicui pecuniam ferre.* h. e. ſcribere in tabulis expenſorum pecuniam alicui datam. * Fam. 8, 4. *Pompeio expenſam tulit legionem Cæſar*, h. e. dedit. Scil. etiam hujuſmodi res datæ & acceptæ in tabulis acceptorum & expenſorum ſcribebantur.

EXPERIRI, ſæpe dicitur de controversiis juris forensibus. Roſc. C. 9. *experiri judicio.* Quint. 11. *experiri ſummo jure.* Ibid. 16. *experiundi poteſtas non eſt.* Cæcin. 12. *juris experiundi gratiâ.* Cœl. 8. *experiri de injuriis.*

EXTRAORDINARIUS. Verr. 2, 70. *extraordinariæ pecuniæ*, quas, quippe injuſtis viis conciliatas, non audemus in tabulas acceptorum referre, ne ex iis convinci possimus. Fam. 8, 8. *extraordinarius reus*, de quo judicium extra ordinem fieri debet. Verr. 5, 14. *extraordinariæ*

cupiditates opponuntur naturæ ac neceſſitati. Ad Brut. 4. *extraordinarii honores*, qui non ſunt in republica perpetui, ſed aut urgente aliquâ neceſſitate, aut alia de cauſa gravi per ſenatum aut populum alicui deferuntur.

EXTREMUS, periculoſus. Rabir. Perd. 2. *extrema tempora.* * Primus, Manil. 10. *extrema pueritia.* * Att. 15. 20. *homines extrema quadam de republica loqui*, h. e. rumores ſerere de impendente reip. ſumma pernicie.

F.

FACETUS, venuſtus, de pulchritudine generis tenuis, ſed per totam orationem fuſa. Or. 6. *alii in eadem jejunitate concinniores*, *h. e. faceti*, *florentes etiam*, *& leviter ornati.*

FACIES, de toto corporis habitu & ſpecie. Roſc. C. 10. *facies non erat*, *ars erat pretioſa... nemo enim eum e trunco corporis ſpectabat*, *ſed ex artificio comico æſtimabat.* Or. 1, 28. *facies*, *vultus*, *ſonus... vox tragœdorum*, *geſtus pene ſummorum actorum.* Hinc pro ſpecie. Phil. 8, 8. *faciem ſenatûs auctoritatemque reipublicæ ſecum attulerat.* Nat. D. 1, 38. *cujus crebrâ facie pellantur animi.*

FACILITAS eſt in bonis rebus, quod *proclivitas* in malis. Tuſc. 4, 12. * Opponitur *moroſitati.* Off. 1, 26. Att. 12, 40. *quis aut congreſſum meum*, *aut facilitatem ſermonis deſideravit.*

FACIO, creo magiſtratum. Planc. 4. *populus facit eos*, *a quibus eſt maximè ambitus*: * In re ſacra. Mur. 41. *Junoni omnes conſules facere neceſſe eſt.* * Manil. 20. *ſi quid eo factum eſſet*, per

per ἐυφημίαν, pro, ſi mortuus eſſet. * Verr. 2, 16. *quid hoc homine facias.* * Lucul. 4, 30. *quid faceret huic conclusioni?* * Fingo. Nat. D. 1, 30, *his nominibus deos eſſe facimus, quibus a nobis nominantur.* * Verr. 3, 42. *tributum facere coegiſti*, h. e. dare.

FACTIO, jus faciendi. Top. 11. Fam. 7, 21. *factionem teſtamenti non habere.* * Partes, etiam in bono ſenſu. Ad Q. Fr. 3, 1, 5. *Gabinium tres adhuc factiones poſtulant.*

FACULTAS, pro copia, dicitur diverſis modis, ut ipſum *copiæ* verbum. Sull. 14. *cujus generis virorum in ſenatu facultas maxima.* Quint. 4. *facultas nummorum.* Fam. 10, 4. *si facultas tui præſentis eſſet.* Quint. 1. *facultates amicorum.* * De poſsibilitate, occaſione &c. Fam. 1, 8. *si res facultatem habitura videatur.* Fam. 2, 3. *facultatem munerum nemo admiratur: eſt enim copiarum, non virtutis.* Roſc. A. 33. *age nunc ceteras facultates conſideremus.*

FAMILIA, ſervi. Fam. 14, 4. *familia liberata.* Hinc Cluent. 15. *familia Martis*, h. e. ſervi Martis, qui *Martiales* dicuntur, ut *Venerii* in Sicilia, qui *Veneri* addicti erant. * Gladiatores, quia & ipſi ſervi. Sull. 19. *comparare familiam.* Item *præeſſe familiæ.* * Res familiaris. Cæcin. 7. *arbitrum erciſcundæ familiæ poſtulavit*, i. e. ad divisionem hereditatis provocavit. * Dicitur etiam de ſecta philoſophorum. Or. 1, 10. *ſingulæ familiæ.* Div. 2, 1. *Peripateticorum familia.* Hinc fluxit proverbium illud *familiam ducit*, Fam. 7, 5. quo significatur præcipuum aliquid, quodque principem in re quapiam obtinet locum.

FAMILIARIS. Quint. 27. *manus allatas eſſe*

ante ſuos lares familiares, h. e. ante Manes majorum, quorum imagines ad focum in atrio ſtabant. * In extis quid sit *pars familiaris*, *fiſſum familiare*, vide *fiſſum*.

Fasti, Kalendarium, in quo inter alia qui dies *faſti*, aut *nefaſti* ſunt, conſignatum eſt. Mur. 11. *poſſet agi lege, necne, pauci quondam ſciebant: faſtos enim non habebant.* * Annales. Piſ. 13. *hos conſules.... ulli faſti ferre poſſunt.*

Fastigium, eſt propriè templorum. Vide Or. 3, 46. unde inter cetera invidioſa a Cæſare uſurpata, etiam faſtigium memoratur Phil. 2, 43. * Sed eſt tamen etiam de privatis. Off. 3, 7. *operi faſtigium imponimus.*

Fauces, anguſtus aditus. Quint. 6. *fauces macelli.* Verr. 3, 76. *Timarchides premit fauces defenſionis*, h. e. facit, ut defendi non poſſis.

Fecialis. Leg. 2, 9. *fœderum, pacis, belli, induciarum oratores, feciales duo ſunto.* Off. 1, 11. *belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali populi Romani jure perſcripta eſt.*

Felicatus, aut filicatus. Att. 2, 1. a filice herba, quæ cælata erat in lancibus, poculis &c.

Feralia, Att. 8, 14. dies feſtus, quo Manibus ſacra fiunt.

Fides. Inv. 1, 39. *fefellerunt per fidem*, h. e. quia ipsis fides habita eſt. Roſc. A. 4. *quod mihi cum fide impoſitum eſt*, h. e. propter opinionem de mea fide. * *Crédit.* Agr. 2, 3. *fides de foro ſublata eſt.* Marc. 8. *revocare fidem.* Manil. 7. *concidit fides.*

Fiducia, hypotheca, pignus. Flac. 21. *fiducia accepta.* Ibid. *fiducia commiſſa.* * Genus judicii, in quo judicatur ex æquo & bono, hac

formulâ adjectâ, *ut inter bonos bene agier oportet.* * Eſt etiam *fiducia* in hereditatibus, quum quis heres ſit hac conditione, ut acceptam hereditatem reddat alteri, verbi gratiâ, filiæ, quæ per legem Voconiam heres eſſe aut ſcribi non poterat. * Eſt item in emptionibus, quum alicui venditur aliquid venditione imaginariâ, quod fiebat in hereditate a ſacris liberanda &c. Roſc. C. 6. *si quæ ſunt judicia privata ſummæ exiſtimationis, & pene dicam, capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis.* Vide & Nat. D. 3, 30. & Off. 3, 17.

FIMBRIA. Piſ. 11. *madentes fimbriæ cincinnorum. Fimbriæ* ſunt cirri capillorum, extremitates calamiſtratæ: nam *fimbriæ* & *fibræ* ſunt propriè extremitates rerum.

FINITOR, agrimenſor, qui in coloniis deducendis agros metitur & definit. Agr. 2, 13. *finitorem mittant &c.* Confer. capp. 17 & 20.

FISCUS, de pecunia, quia in fiſcis reponebatur. Cæcil. 8, 9. *fiſci Sicilienſes.*

FISSUS. Div. 2, 13. *fiſſum familiare & vitale.* Ibid. 1, 10. *fiſſum in extis.* Nat. D. 3, 6. *fiſſum jecoris.* Div. 2, 12. *quod fiſſum, periculum, quod, commodum aliquod oſtenderet.* Fuit autem *fiſſum* linea imaginaria, exta bipartitò dividens, ut altera pars ad hoſtes, altera ad ſacrificantem ejuſque amicos pertineret: unde *familiare fiſſum*, & *pars familiaris extorum* dicitur.

FISTULA, canalis plumbeus vel ligneus ad aquam deducendam aliquò. Rabir. perd. 11. *fiſtulas præcidi imperarat.* * Sibilus, exploſio. Att. 1, 11. *sine paſtoritia fiſtula*, i. e. sine sibilo, cujus ſimilem ſonum notum eſt e paſtoritiis fiſtulis reddi.

Flaccus, qui aures habet magnas & languidas. Nat. D. 1, 29.

Flamen, genus ſacerdotum. Tres erant Romæ flamines, *Dialis*, *Martialis*, *Quirinalis*: additus deinde quartus, *Julius*. Tres priores erant in collegio pontificum. Vide Dom. 14. Phil. 2, 43.

Flaminium, ſacerdotium flaminis. Phil. 13, 19. *flaminium Cæſaris.*

Fluxio, illuvio, diluvium. Div. 1, 14. *fluxiones aquarum.*

Focus, de formula *pro aris & focis*. Roſc. A. 8. *foci patrii.*

Foculus, eſt aræ genus parvum & portatile, quod in conſecrationibus adhibetur.

Fœnicularius. Campus fuit in Hiſpania, in quo magna vis fœni. Att. 12, 16. *utrùm Celer in Fœnicularium, an in campum Martium cogitet.*

Fori. Cato. 6. *quum alii malos ſcandant, alii per foros curſitent.* *Fori* ſunt tabulata navium.

Forma, Dialecticis eſt ſpecies generi ſubjecta. Top. 7. *in diviſione formæ ſunt.* Fin. 5, 4. *forma diſciplinæ triplex.* * In rhetoricis *forma* dicitur, ut *figura*. 1°. de tribus generibus dicendi. Or. 2, 23. 2°. de ſchematibus. Brut. 17. * Eſt etiam *forma* delineatio ædificii, & quælibet rei cujuſcumque ratio & conſtitutio. Fam. 2, 8. *ut quum formam reip. viderim, quale ædificium futurum ſit &c.* Agr. 2, 13. *formam adhuc habetis & ſpeciem tyrannorum.* Nat. D. 2, 40. *formæ igneæ* ſunt ſidera.

Formula, forma. Acad. 1, 4. *formula diſciplinæ.* * Eſt etiam generale pronuntiatum, ex quo de ſingulis rebus judicari poſſit. Off. 3,

4. *formula quædam conſtituenda eſt.* * In jure civili *formula* eſt certus verborum modus. Formulæ ſunt 1°. eæ, in quas judicium datur. Quint. 7. 2°. Juriſconſultorum, quibus agitur in aliquem, quibus teſtamenta, ſponſiones, ſtipulationes, & reliqui hujuſmodi actus juris fiunt, quibus cavent alicui. Et ipſæ ſunt verborum conceptiones, & formæ, unde etiam nomen duxerunt. Mur. 13. *formulæ veſtræ, atque actiones &c.*

FORNIX. Præter vulgarem ſignificationem, ſignificat arcum triumphalem, aut honoris causâ etiam non triumphanti conſtitutum. Verr. Act. 1, 7. *fornix Fabianus.* Verr. 2, 63. *hujus fornix in foro Syracusis eſt, in quo nudus filius ſtat, ipſe autem ex equo nudatam ab ſe provinciam proſpicit :* quem locum illuſtrant nummi, qui fornices exhibent ſtatuis impoſitis ornatos.

FORUM. Or. 1, 36, *ego iſtos non modò oratoris nomine, ſed ne foro quidem dignos putarim, qui cauſas in foro agunt*, de oratoribus, qui juris civilis ſunt imperiti. Fam. 13, 10. *in forum venire.* Ibid. 5, 8. Mur. 9. *forum attingere* de iis dicitur, qui puram togam, h. e. virilem in foro acceperunt a prætore, ac deinde in judiciis verſari, & cauſas agere poſſunt. * Quia in foro tabernæ argentariorum ſunt, ibique pecuniæ perſcriptionibus tranſcriptionibuſque tractantur, ideo ſæpe in re pecuniaria fori mentio. Manil. 7. *ratio pecuniarum, quæ in foro verſatur.* * Flac. 29. *in foro verſari* dicuntur negotiatores. Agr. 1, 8. *fidem de foro ſuſtuliſtis.* Rabir. Poſt. 15. *Poſtumum non haberemus in foro*, quod & *foro cedere* dicitur : *faire banqueroute.* * *Fora* dicuntur conventus provinciales, h. e. non modò civitates, in quibus aguntur,

ſed ipſi etiam dies conventuum. Verr. 3, 15. cum forum ſuum valetudinem prætermitteret. Ibid. 2, 15. civitates, quæ in id forum convenirent. Att. 5, 21. forum agere. * Civitates etiam Italiæ quædam fora dicuntur, ut Fam. 9, 17. forum Julii. Catil. 1, 9 forum Aurelium. * Veſtibulum. Leg. 2, 24. lex forum, id eſt veſtibulum ſepulcri, buſtumve uſu capi vetat.

FREQUENTARE, frequentes convocare, cogere. Catil. 4, 7. quos quum caſu hic dies ad ærarium frequentaſſet. * Crebrò, copiosè uſurpare. Or. 25. acervatim multa frequentant. Or. 3, 52. frequentare orationem luminibus & ſententiarum & verborum.

FRONTONES, homines magnâ fronte. Nat. D. 1, 29.

FUNERA, de muliere, quæ canere incipit leſſum, ſeu ejulatum muliebrem in pompa funebri. Tuſc. 1, 15. neque Funera leſſum faxit.

FURIOSUS, dicitur ſæpiſſime apud Ciceronem, qui contra remp. ſentit, dicit, agit: Fam. 10, 11. quòd quædam pars exercitûs non minùs furioſa eſt, quàm qui cum Antonio fuerunt. Eodem ſenſu furere, furor.

G.

GALLICÆ. Phil. 2, 30. ſunt calcei, qui imas tantùm plantas tegunt, ut crepidæ, ſoleæ.

GALLINARIUS, qui gallinas curat. Lucul. 26. quoniam gallinarium inveniſti Deliacum illum, qui ova cognoſceret.

GENICULATUS. Cato. 15. culmus geniculatus, h. e. qui nodos habet: genicula enim ſunt nodi caulium & culmorum.

Gens, quid Romæ fuerit, intelligitur ex hoc loco Or. 1, 39. *quum Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudii patricii ejuſdem nominis hereditatem gente ad ſe rediiſſe dicerent, nonne in ea cauſa fuit oratoribus de toto ſtirpis & gentilitatis jure dicendum.* Scil. *gens* eſt communis diverſis *ſtirpibus*, ſive familiis. Sic *gens Claudia* comprehendit diverſas familias patricias & plebeias, Appios, Marcellos: *ſtirps* autem ſive familia eſt pars gentis. Ceterùm gens & familia ſæpe permutantur. * Fam. 9, 21. *patricii minorum gentium*, h, e. earum quas Tarquinius Priſcus in ſenatum legit: *majores* autem *gentes* ſunt, quæ a Romulo lectæ ſunt. * Hinc ad alia transfertur loquendi ratio. Lucul. 41. *Cleanthes quaſi minorum gentium Stoicus.* Tuſc. 1, 13. *dii majorum gentium.*

Gentilis. Top. 6. *gentiles ſunt, qui eodem inter ſe ſunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt deminuti.* Sic Brut. 28. M. Pennus *Bruti gentilis* dicitur, quia uterque e Juniis. Et Tuſc. 1, 19. Ciceronis gentilis dicitur Servius Tullius, ob commune *Tullii* nomen.

Germanus, verus. Brut. 86. *germana ironia.* Leg. 2, 1. *germana patria.* Att. 4, 3. *aſinus germanus.*

Gladiator. *Gladiatoribus* ponitur pro *ludis gladiatoriis*, quum gladiatorium ſpectaculum eſſet. Fam. 10, 32. Att. 2, 3. Phil. 9, 7.

Gramineus. Verr. 4, 56. *gramineas haſtas*, Vero ſimile eſt fuiſſe opus naturæ, graminis ſcil. culmos inviſitatæ magnitudinis, ut haſtas æquarent.

Grassator. Fat. 15. genus latronum, quod

in urbe vias obsidet, & obvios injuriæ opportunos verberat, ſpoliat, & morte territat.

GRATUITUS. Ad Q. Fr. 2, 15. *comitia gratuita* ſunt, in quibus nulla largitio verſata eſt.

GREX, in contemptum dicitur. Roſc. A. 32. *ego in grege annumerer.*

GUMIA. Fin. 2, 8. e Lucilio vox antiqua, quæ helluonem & gulæ mancipium ſignificat.

GURGUSTIUM. Piſ. 6. genus habitationis anguſtæ.

GYMNASIARCHUS. Verr. 4, 42. eſt præfectus & curator gymnasii publici.

GYPSATUS. Fam. 7, 6. *gypſatissimis manibus*, de Medea hiſtrionica, quæ de more manus habuerit gypſatas, ad candorem eximium.

GYRUS. Off. 1, 16. *homines effrenatos... in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere.* Or. 3, 19. *oratorem in exiguum gyrum compellitis*, h. e. ad ejus artem pauca refertis: ducta metaphora ab equis, qui a domitoribus in gyrum aguntur crebrò, ut manſuetiores & faciliores fiant.

H.

HABENÆ. Læl. 13. *laxissimas habenas dare amicitiæ, quas vel adducas, quum velis, vel remittas.*

HABERE, pro habitare. Fam. 7, 6. *quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ.* * Phil. 2, 32. *habebat hoc omnino Cæſar*, i, e. mos hic illi erat. * Ibid. 28. *res ſuas sibi habere jussit*, eſt formula divortii.

HASTA, tropicè, auctio publica, quia haſta ſignum auctionis publicæ, * Argumenta oratoris, Top. 17. *juriſconſulti patronis .... haſtas miniſtrant.*

HASTATUS, eſt genus militum, qui in acie prima ſtabant, ut in media principes, in ultima triarii. Div. 1, 35. *ſignifer primi haſtati*, h. e. primæ centuriæ haſtatorum.

HEDYCHRUM, unguentum. Tuſc. 3, 19. *hedychrum incendamus*, quæ vox de unguento dici vix poteſt. Itaque Daviſius partim ex mſſ. partim ex conjectura, quam probat Buherius, reponit *hedychrum demus & intendamus*, i. e. porrigamus.

HELVELLÆ, minutæ herbæ. Fam. 7, 26.

HERMATHENÆ. Att. 1, 9 & 10. ſtatuæ ex Mercurio & Minerva.

HERMERACLÆ. Att. 1, 6. ſtatuæ e Mercurio & Hercule.

HIR. Fin. 2, 8. Vola manûs, quâ utuntur interdum, qui furtim vinum guſtant, quum ſiphon, aut aliud inſtrumentum non eſt ad manum.

HONOR, in plurali de magiſtratibus dicitur: de magiſtratu autem in ſingulari. * Præmium, donum, & quidquid honoris causâ datur, aut datum honori eſt. Sic de hereditate, Quint. 4. *ut ad quem maximus mœror morte ſuâ perveniret, ad eum maximus etiam honos &c.* Roſc. A. 37. *nonne ſatis fuit his... honoris aliquid haberi.* Ibid. 47. *quòd viris fortibus honos habitus eſt, laudo.* Fam. 16, 9. *medico honos habeatur.*

HONORARIUS, arbitri epitheton, quòd honoris causâ ad aliquem arbitrium defertur. Roſc. C. 5. *honoraria arbitria.* Cæcin. 2. *honoraria opera amici*, ſcil. arbitri. * Honorarium eſt, quod non debemus, ſed noſtrâ ſponte facimus liberè, honoris causâ. Opt. gen. dic. 1. *docere debitum eſt, delectare honorarium, permovere ne-*

ceſſarium. Sic Piſ. 35. *honorarium frumentum.*

HORNOTINUS, hujus anni. Verr. 3, 18. *frumentum hornotinum.*

HUMANITAS, natura ipſa humana. Roſc. A. 22. *magna eſt vis humanitatis.* Or. 1, 2. *omnem vim humanitatis tenere, cauſaſque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur.* * Hinc *humanitas* dicitur de omnibus rebus, quæ hominibus ſunt attributæ naturâ, de ingenio, de propenſionibus, ſenſibus, & omnibus, quæ in homines, quia homines ſunt, cadunt. Roſc. A. 53. *ſenſum humanitatis amittimus.* * Humanam naturam, h. e. ingenium, mentem, animam, moreſque ſitteræ expoliunt, hinc *ſtudia humanitatis* dicuntur. Fin. 5, 9. cultus animi *humanitatis cibus* appellatur. * Tres ſunt gradus conjunctionis inter homines. Primus gradus eſt ipſius naturalis conjunctionis, quæ omnes homines amplectitur: huic eſt proprium vocabulum *humanitatis.* Secundus gradus eſt ejus conjunctionis arbitrariæ, quæ eſt inter cives, ſocios, æquales: huic reſpondet *officium.* Tertius gradus eſt inter magiſtratus & cives, parentes ac liberos, conjuges, fratres, benefactores, & eos qui beneficia accepere: & huic proprium eſt *pietatis* vocabulum. Itaque ſæpe hæc verba, ut diverſa junguntur: ſed tamen permutantur etiam interdum. Fam. 11, 28. *ab officiis aut ab humanitate deſciſcere.* Fam. 10, 34. *humanitatis & neceſsitudinis cauſâ, eorum ſalutis rationem habuimus.* * *Humanitas* igitur multa ſignificat, ut facilitatem, æqualitatem animi in ferendis malis, miſericordiam, æquitatem erga alios, manſuetudinem, placabilitatem, urbanitatem, vitæ rationem homine dignam &c. Ad Q. Fr. 1, 19. *humanitatis eſt*

aliorum conſulere commodis. Phil. 2, 4. *humanitatis expers*, qui litteras sibi ab amico ſcriptas, offenſione interpoſitâ, profert. Att. 1, 13. *Litteræ ſale humanitatis ſparſa.* Verr. 3, 4. *at ſermone, & litteris & humanitate ejus delectamini.* Or. 2, 57. *Socratem in hac ironia diſſimulantiaque longè lepore & humanitate omnibus præſtitiſſe.*

HUMANUS, Homo. Att. 13, 29. *poſſum falli, ut humanus.* * Homine dignus. Verr. 3, 97. *humana & uſitata ratio.* Or. 1, 8. *humanus cultus.* Arch. 7. *animi remiſsio humaniſsima.* * Æquus, moderatus. Fam. 10, 24. *moderatiſsimi atque humaniſsimi fuit ſenſûs.* Fin. 2, 31. *homo bellus & humanus.* * Acutus, ſive etiam curioſus, quia hominibus hoc innatum eſt, ut velint ſcire, in primis ea, quæ occultantur. Verr. 5, 28. *Syracuſani, homines periti & humani, qui non modò ea, quæ perſpicua eſſent, videre, verùm etiam occulta ſuſpicari poſſent.* * Humana & res humanæ dicuntur, quæ hominibus propria ſunt, iis accidere poſſunt, ut divitiæ, honores, morbi, pericula, paupertas, mors &c. Off. 1, 4. *humanarum rerum contemptio.* Leg. 2, 17. *quæ fateor humana eſſe.* Læl. 5. *amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis.*

HUMATUS. Leg. 2, 22. *& quod communiter nunc in omnibus ſepultis eſt, ut humati dicantur, id proprium tum erat in iis, quos humus injecta contegeret.*

HYDRAULUS. Tuſc. 5, 18. *hydrauli hortabere ut audiat voces potiùs, quàm Platonis.* Fuit inſtrumentum muſicum, in quo id efficiebat aqua, quod in noſtris ſpiritus.

Hypodidascalus. Fam. 9, 18. ſic vocatur magiſter ſecundarius.

Hypomnema. Fam. 16, 21. *multum temporis mihi eripitur in exſcribendis hypomnematis*, h. e. praeceptis & dictatis magiſtrorum.

J.

Jactura, pecunia largitione, mercede, aut aliâ ratione conſumpta. Coel. 16. *nulli ſumptus, nulla jactura, nulla verſura.* Att. 6, 1. *exhauſta ſumptibus & jacturis provincia.* Manil. 23. *quibus jacturis homines in provincias proficiſcantur.* * Att. 16, 4. *quum tanta a nobis facta ſit jactura juris.* Fam. 4, 5. *in unius mulierculae animula si jactura facta eſt.*

Icere. Piſ. 12. *fœdus quod iceras.* Balb. 16. *iciſſe fœdus.*

Idiota, imperitus: opponitur intelligenti alicujus rei, eleganti, philoſopho. Piſ. 26. *idiotarum divitiae*, quas ſcil. indocti, non philoſophi, admirantur.

Idola. Fin. 1, 6. ſpectra, imagines, exſuviae, vel membranae, ut Lucretius appellat, quae de corporibus effluunt continuò, & ſenſus hominum pulſant.

Ignavus, timidus. Caecin. 16. *ignavi milites.* * Fat. 12. *ignava ratio*, genus ſophiſmatis, quod inde nomen traxit, quia credebatur homines eo deceptos ignavos & otioſos reddere. Eſt enim hujuſmodi, ibid. *si fatum eſt tibi ex hoc morbo convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, convaleſces.* Hoc ſophiſmate utebantur in diſputationibus de libertate, de fato.

IGNOTUS. Activè ſumitur quum aſibi, tum Verr. 1, 7.

ILLIM, pro *illinc*. Att. 7, 13. *quid illim afferatur*. Frag. ad Brut. *veritus... ne... in Catonem noſtrum transferamus illim aliquid.*

IM, antiquè pro *eum*. Leg. 2, 24. *aſt im cum eo ſepelire urereve, ſe fraude* (sine fraude) *eſto*.

IMAGO, opponitur rei ipsi, ut nomen. Rabir. Poſt. 15. *umbra & imago equitis Romani*. * De Echo, Tuſc. 3, 2. *imago vocis*. * εἴδωλα Epicuri. Fin. 1, 6. Div. 2, 57. Nat. D. 1, 12. * Verr. 5, 14. *jus imaginis ad memoriam poſteritatemque prodendæ*. Hoc jus dabat curulis ædilitas, & ceteri magiſtratus majores. Itaque *imagines* ſunt signa nobilitatis : nobiles enim ſunt, quorum majores *magiſtratus majores* geſſere. Agr. 2, 1. *imagines familiæ ſuæ*. Planc. 7. *qui imaginibus ducuntur*. Sex. 8. *imaginis ornandæ causâ*, nempe titulis magiſtratuum, triumphorum &c.

IMBIBERE, conſtituere ſecum, decernere : Quint. 6. *quod si facere nolit, atque imbiberit ejuſmodi rationibus eum ad ſuas conditiones perducere*.

IMPENDIÒ, valde. Att. 10, 4. *Itaque impendiò magis odit ſenatum*.

IMPENDIUM, cumulus, auctarium, fœnus. Brut. 4. *impendiis augere largitatem muneris*. Att. 6, 1. *cogito fœnus & impendium recuſare*.

IMPERATOR eſt honoris nomen, quod aut a militibus re bene geſtâ, ducibus tribuitur, aut a ſenatu, certo numero hoſtium occiſo.

IMPERARE. Or. 2, 7. *domi nihil imperavi* ; nempe ad cœnam. Fam. 2, 25. *ades ad imperandum*, h. e. ut tibi imperetur.

IMPERIUM. Manil. 4. *de imperio dimicari dicitur*, quum bellum eſt non de aliqua regionis parte, ſed uter utri imperet. *Imperii*, quod habent magiſtratus, duplex genus eſt: alterum *civilis* & quaſi togati, quod eſt magiſtratuum urbanorum, & omnium provincialium, & alio nomine dicitur *poteſtas*: hi magiſtratus dicuntur *eſſe in imperio*. Alterum genus eſt militare, quod habent magiſtratus provinciales, quibus poteſtas belli alicujus gerendi mandata eſt, aut alii, quibus extra ordinem belli adminiſtratio mandatur; & hi dicuntur *eſſe cum imperio*. Interdum tamen hæ voces *eſſe in imperio*, & *eſſe cum imperio* permutantur.

IMPETRARE. Div. 1, 2. *magna vis videtur eſſe in impetrandis conſulendiſque rebus*. Verbum eſt augurale, idemque ſignificat quod *impetrire*. Div. 1, 16. *avibus magna res impetriri ſolebant*. Eſt autem *impetrire avibus*, *extis* &c. conſulere deos, an quod in manibus habemus, felicem ſucceſſum ſit habiturum, unde quod aves admittunt, exta felicia ſuadent, *impetritum* dicitur.

IMPLUVIUM. Verr. 1, 23. *ſigna, quæ nunc ad impluvium ſtant*. Eſt autem *impluvium* locus ſubdialis, in ædibus beatiorum, cinctus porticibus, in quem aqua de tectis confluit.

IMPURE, illiberaliter. Att. 9, 12. *a quo impuriſſimè hæc noſtra fortuna deſpecta eſt*.

INAUDIRE. Att. 15, 26. leviter audire rem, quæ occultatur.

INCILE. Fam. 8, 5. *in incili omnia adhæſerunt*. Eſt autem *incile* foſſa, quæ in via fit ad aquam aliò deducendam.

INDICES. Mur. 24. *Catilinam vallatum indicibus atque ſicariis*. Sull. 24. *Lentuli ſocietates*

tum indicibus. *Indicis* verbum Ciceronis temporibus convicium, & nomen hominis perditi fuit & nocentis, ut ſub imperatoribus nomen *delatoris* & *cognitoris*. Quippe homines ſeditioſi conducebant egentes & impudentes perditoſque, qui falsis indiciis periculum bonis civibus crearent apud populum, aut in ſenatu. * Titulus. Att. 4, 15. *parantur orationibus indices gloriosi*.

INDICIUM, quod indices ediderunt. Sull. 13. *lege indicium* * Præmium *indicii*. Vatin. 10. Roſc. A. 37. Cæcil. 11. *si tibi indicium poſtulas dari*, nempe promiſsâ impunitate.

INDORMIRE, negligens eſſe in aliqua re. Ad Q. Fr. 2, 15. *in iſto homine colendo tandem indormivi*. Phil. 3, 14. *si indormierimus huic tempori*.

INDUCERE, afferre. Inv. 1, 36. *inducere approbationem*. Fam. 11, 22. *cauſam inducere*. * Commemorare. Dom. 34. Att. 13, 27. *sermonem alterius inducere*. * Referre in rationem. Fam. 13, 10. *rationes, in quibus quantum legatis datum, induxit*. * Delere. Dom. 4. *inducere ſenatusconſultum*. Att. 13, 22. *inducere nomina*.

INFLECTERE. Brut 9. *inflectere orationem*, h. e. molliorem & ſuaviorem reddere. Red. 2, 5. *inflectere oculos*, h. e. movere ad dolorem. Fam. 1, 7. *magnitudinem animi inflectere*, h. e. demittere.

INFULA. Infulæ ſunt ornamenta ſacerdotum, velamina capitis. Verr. 4, 50. *ſacerdotes cum infulis & verbenis*. * De quocumque ornamento. Agr. 1, 2. agri publici dicuntur *infulæ imperii R.* quia ſcil. ſunt ornamenta reipublicæ, & eam venerabilem efficiunt. Or. 3, 21. *Pamphilum sinamus in infulis tantam rem* (artem dicendi)

tanquam pueriles delicias, *depingere*. Alludit ad pupas & plangunculas puerorum, quæ ab iis ſtudioſè ornari ſolent, adeoque etiam infulis, quæ non modò ſacerdotum, ſed etiam regum ornamenta ſunt.

INGENUITAS, eſt eorum, qui liberis parentibus nati ſunt, quorumque nemo juſtam ſervitutem ſervivit. Verr. 1, 58. *ingenuitatis ſignum bulla.*

INHIBERE. de remigibus quid ſit, vide Att. 13, 29. *Inhibitio remigum.* Vide ibid.

INHUMANUS. Off. 3, 11. *inhumanum eſt uſu urbis prohibere peregrinos.* Læl. 14. *non eſt inhumana virtus*, quia ſcil. populis univerſis conſulit. * Ruſticus, indoctus. Or. 1, 36. *agreſtis & inhumana negligentia.* Red. 1, 6. *inhumanum negotium.* Or. 51. *aures inhumanæ.* * Inurbanus. Quint. 3. *neque inhumanus præco eſt habitus.* * Verr. 1, 42. *teſtamentum inhumanum.* * Off. 1, 40. *inhumanus* dicitur, qui in convivio meditatur attentiùs, neque ſe hilaritati permittit.

INIQUITAS. Cæcin. 23. dicitur de eo, quod ſummo jure agitur.

INITIA *naturæ*. Fin. 2, 12. & 3, 6. de iis rebus, quæ nobis primæ a natura quaſi commendari videntur, quòd eas noſtrâ ſponte appetimus, & earum causâ alias conſectamur. * Lucul. 36. *initia mathematicorum, quibus non conceſſis, digitum progredi non poſſunt*: h. e. prima illa, quæ ut perſpicua & certa ponuntur à mathematicis. * Myſteria. Leg. 2, 14. *nihil melius illis myſteriis, quibus ex agreſti immanique vita exculti ad humanitatem, mitigatique ſumus: initiaque ut appellantur, ita revera principia vitæ cognovimus.*

Initiatus. Tuſc. 1, 13. ad myſteria admiſſus.

Inofficiosus. Verr. 1, 42. *inofficioſum teſtamentum*, quo prætermittuntur conjux, liberi, proximi, quibus officii noſtri eſt conſulere.

Inoratus. Roſc. A. 9. *re inoratâ legati reverterunt.*

Insigne, criterium. Lucul. 11. *insigne veri.* Or. 2, 9. *insignia verborum & ſententiarum*, ſunt lumina orationis, tropi & figuræ.

Insolentia, dicitur ut inſolens, non ſolùm ratione rerum inusitatarum & inſolitarum, ut Dejot. 2. ſed etiam ratione hominum, qui inſueti ſunt alicujus rei. Roſc. A. 31. *propter inſolentiam fori judiciorumque.* Piſ. 11. *inſolentia rerum ſecundarum.*

Insula, domus a nulla parte aliis ædibus juncta, ſeu potiùs ædes plures junctæ unius domini, & ab omni parte liberæ. Cœl. 7. *inſulam eſſe venalem.* Off. 3, 16. *Claudius proſcripsit inſulam.* Confer Fin. 2, 26.

Intercalare, diem unum aut plures inſerere, quod fiebat, ut annus cum ratione cœli congrueret. Att. 6, 1. *quasi intercalatum non sit.*

Intercalaris, intercalatus. Quint. 25. *ante V Kalendas intercalares*: intellige de menſe intercalato ex inſtituto Numæ. Annus Numæ erat 355 dierum, ex quo inſtituto, quia octo annorum ſpatio 90 dies aberrabat annus a curſu ſolis, hos 90 dies in quatuor menſes intercalares sive Merkedonios deſcripsit Numa, duos binûm, duos ternûm & viginti dierum, & poſt biennium quodque unum ex his, & quidem alternis, modò parem, modò imparem interpoſuit. Fam. 6, 15. *Kalendas intercalares priores.* Hunc locum cape

de menſibus intercalatis Cæſaris. Is quia anni ratio, propter intercalandi licentiam, quâ pontifices uſi erant, perturbata erat, & ipſe faſtos emendare conſtituerat, primò inſtituit annum 365 dierum : deinde ut antè in ordinem rediret annus, fecit annum, quem vocant, confuſionis: in eo fuere tres menſes intercalarii. Primus is, qui ex inſtituto Numæ in illum annum incidebat; deinde duo Cæſaris integri inter Novembrem & Decembrem interjecti. Prioris Kalendæ dictæ ſunt *intercalares priores*, alterius *poſteriores*.

INTERCESSOR, qui ſe interponit, mediator, ut hodie dicunt. Roſc. A. 38. *iſto hortatore, auctore, interceſſore, legati ad Sullam non adierunt.* * Sponſor. Fam. 7, 27. *utinam ſemper tribunus eſſes; interceſſorem non quæreres.* Ludit in ambiguitate verbi, quod & *ſponſorem* ſignificat, & tribunum intercedentem alicui rei, h. e. vetantem.

INTERDICTUM, decretum prætoris certis formulis conceptum, quo aliquid jubet aut vetat, præſertim in controverſiis de poſſeſſionibus, quum eum, qui ex aliquo loco dejectus eſt, reſtitui jubet, donec res judicio plana facta ſit. Cæcin. 3. *poſſeſſio per interdictum repetita.* Ibid. 14. *hujus rei interdictum majoribus in mentem non veniſſe.* Ibid. 31. *interdictum quotidianum.* Or. 1, 10. *interdicto tecum contenderent.* * Dom. 26. *interdictum ſceleris*, h. e. ſceleſtum, de lege, quâ Ciceroni aquâ & igni interdictum erat.

INTERPOSITIO, quum verba quædam libro jam ſcripto inter lineas inſeruntur. Fam. 16, 22. *una omnino interpoſitio difficilior eſt... de quadrimo Catone* : quâ ætate Cato, quum eſſet in domo M. Druſi avunculi, tribuni plebis, Lati-

nis petentibus civitatem, & ſe præcipitem illum daturos joco minantibus, conſtantiſsimè negavit.

INTERPRES, internuntius, mediator, per quem quid tranſigitur inter duos. Verr. Act. 1, 12. *interpretes corrumpendi judicii.* Cluent. 36. *nummarius interpres pacis & concordiæ.* Nat. D. 2, 4. *interpretes comitiorum* dicuntur aruſpices, quia nempe ſcire ſe profitebantur an juſta fuiſſent comitia, an vitioſa.

INTERREX, magiſtratus extraordinarius, qui comitiorum habendorum causâ creabatur, quum nullus erat magiſtratus major, qui habere ea poſſet. Nomen retinuit in libera republica, quod habuerat poſt mortem Romuli in interregno. Interregem patricium eſſe, & a patricio prodi oportebat. Dom. 14. Interregum poteſtas intra quinque dies finiebatur.

INTERROGARE. Flac. 10. *bene teſtem interrogavit.* Moris fuit in judicio teſtem interrogari & ab eo qui teſtimonium ejus confirmari, & ab eo qui infirmari & refelli vellet: unde *interrogatio*, quum patronus teſtem sive ſuum, sive adverſarii interrogat. * Eſt etiam *interrogare*, compellere de crimine aliquo, quod eſt accuſatoris. Dom. 29. *quis me umquam ullâ lege interrogavit? quis poſtulavit? quis diem dixit?*

INTERTRIMENTUM. Verr. 1, 50. eſt damnum, quod ad duos pertinet, ut detrimentum ad unum. Aſconius.

INTORQUERE. Tuſc. 4, 36. *alternis versibus intorquentur inter fratres contumeliæ.*

INTUS. Verr. 1, 20. *intus canere.* Proverbium in eos, qui ſuis commodis unicè ſtudent. Vide *cano.*

INVIDENTIA, quomodo ab invidia differat, vide Tuſc. 3, 9.

INVIDIA. Tuſc. 4, 7. Dicitur non ſolùm in eo, qui invidet, ſed etiam in eo, cui invidetur.

IRROGARE, eſt populum lege rogare, ut aliquid jubeat quod ad alterius incommodum pertinet. Dom. 22. *multam irrogare*. Sex. 30. *irrogare privilegium*. Rabir. Perd. 3. *irrogatio mulia.*

ISTIM, ISTIC. Fin. 5, 26. *iſtic ſum*, h. e. hoc ago, cogito facere.

ITERARE. Att. 15, 12. *tibi itero dicere*. Tuſc. 2, 19. Att. 14, 14. *iterandum eadem iſta mihi* quâ formulâ utimur in rebus inopinatis, & vix credibilibus.

JUBERE, de populo propriè dicitur, quum legem accipit. Brut. 4. *ſenatus cenſuit, populus juſsit*. * De prætore, quum decernit. Quint. 8. *jubet Quintium ſponsionem facere*.

JUDICIUM & arbitrium ut differant, vide Roſc. C. 4. Mil. 1. *judicium novum*, h. e. extraordinarium & novâ lege conſtitutum, quale fuit Milonis. Cluent. 44. *judicium cum re conjunctum*, h. e. verum. Fam. 9, 25. *judicia turpia* ſunt, quæ ſunt inter fratres, quos non decet judiciis inter ſe conflictari. Sed Roſc. A. 38. *turpe judicium* eſt, quod turpe eſt ei, cui intenditur, ut judicium furti, mandati, tutelæ &. * *Judicia ſenatûs* ſunt ſenatusconſulta. * *Judi[...]* dicuntur etiam honores, præmia, quia ſcil. d[...]tur iis, qui his digni judicantur. Or. 41. *c[...] de meritis ſenatus tanta judicia feciſſet*. Roſc. 37. *age nunc ex Chryſogoni judicio Roſci[...] factum consideremus*, h. e. ex præmio, [...] Roſciis dedit Chryſogonus. * *Judicium* qu[...] ponitur pro acumine in judicando & facu[...] Fam. 6, 18. *quidquid judicii habuerim de [...]ſo*. Ibid. *tantumdem de judicii mei fama d[...]*

tur. Fam. 10, 25. *quum tantum tuum consilium judiciumque sit.* * *Judicium* quoque ſumitur pro ipsis judicibus. Verr. 2, 18. *judicium ſortiri.* * *Judicia legitima*, quæ legibus conſtituta ſunt. * *Publica*, in quibus cauſæ publicæ aguntur: *Privata*, in quibus cauſæ privatæ diſceptantur.

Jugatus. Tuſc. 3, 18. *omnes virtutes inter ſe nexæ & jugatæ ſunt*: propriè de vitibus, in quibus *capitum jugatio* dicitur.

Jugis. Div. 2, 36. *ne juge auſpicium fiat, jubent jumenta disjungere.* Eſt autem *juge auſpicium*, quum junctum jumentum ſtercus facit. Servius.

Jurare. Att. 12, 13. *perpetuum morbum jurare.* Roſc. C. 1. *eſſene quemquam tantâ audaciâ præditum, ut quòd injuratus in codicem referre noluit* (ſcil. quia falſum) *id jurare in litem non dubitet?* h. e. id sibi deberi jurejurando apud judices confirmet, litis obtinendæ causâ. * *Jurare Jovem lapidem* Fam. 7, 12. eſt per fictile simulacrum Jovis in Capitolio.

Jus, significat ea omnia, ex quibus quid juſtum sit, quid faciendum, quid omittendum intelligitur, ut leges, edicta prætorum, conſuetudo &c. Verr. 1, 41.

Jus civile. Vide *civilis.* Sed aliter ſumitur jus civile Flac. 32. *quæro, sintne iſta prædia cenſui cenſendo: habeant jus civile?* h. e. eam conditionem, quâ gaudent prædia, quæ poſſunt in cenſum deferri.

Jus divinum eſt vel naturale, vel pontificium, quòd res divinas attingit, in quibus cognitionem habent pontifices.

Jus humanum, quum opponitur divino, verſatur circa res profanas. Har. Reſp. 7. *domum*

publico omni præcipuo, & humano & divino jure munitam. Domus Ciceronis liberata erat a pontificibus, adeoque *divino jure*, deinde a populo, lege, adeoque *humano jure*. Off. 3, 5. *neque hoc ſolùm naturâ, id eſt jure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus reſp. continetur.* Confer ibid. 17.

Jus prætorium, ſunt edicta prætorum, nonnumquam ipſa jurisdictio prætoria. Off. 1, 10. *quæ quidem pleraque jure prætorio liberantur, nonnulla legibus.* Phil. 2, 2. *quam injuriam iſte interceſſoris beneficio obtinuit, non jure prætorio.*

Jus prædiatorium, quod ad prædia publico obligata, & e lege prædiatoria vendenda pertinebat.

Jus urbanum. Verr. Act. 1, 1. *prædo juris urbani.* Eſt autem *civile privatum*, ex quo jus dicit prætor urbanus.

Jus ſummum, quum in eo quod nobis debetur, aut deberi putamus, non ex æquo & bono, ſed acerbè agimus, nihil remittendo de jure noſtro, ex quo ſummæ ſæpe injuriæ exſiſtunt. Hinc *ſummum jus, ſumma injuria.* Cæcin. 23. *si verbis & litteris, &, ut dicitur, ſummo jure contenditur.* Quint. 11. *aut intra parietes, aut ſummo jure experiri.* Ibid. 15. *jus extremum.*

Jus eſt etiam, quod legibus, edictis, conſuetudini, h. e. ſuperiori illi juri conſentaneum eſt, quod nobis ex eo debetur. Quint. 26. *jus dicere.* Sext. 63. *si interceſſiſſet collega, remp. læſiſſet, ſed jure læſiſſet.* Phil. 2, 29. *jus poſtulabas, quid ad rem? plus ille poterat.* Phil. 5, 16. *demus imperium Cæſari: sit pro prætore eo jure, quo qui optimo.* Agr. 3, 2. *prædia jure optimo*, pro quo etiam dicitur *optimâ lege, optimâ conditione.*

Jus quoque eſt poteſtas in aliquam rem, sive juſta, sive iniqua. Phil. 4, 4. *omnes ſub jure & imperio conſulis debent eſſe provinciæ.* Unde *ſuo jure facere* aliquid dicuntur, qui liberè, pro arbitrio, nemine impediente faciunt. Fin. 5, 25. Manil. 22.

Jus denique ponitur pro loco, ubi jus dicitur. Quint. 19. *in jus vocas: ſequitur.* Cæcin. 19. *quando te in jure conſpicio.*

Justitium eſt, quum juriſdictio & judicia publica non exercentur: id fit edicto conſulum. Phil. 5, 12. *juſtitium edici.*

Justus, ſatis magnus, ſufficiens. Att. 5, 2. *juſta itinera.* Fam. 2, 10. *juſta victoria.* * *Juſta* dicuntur exſequiæ, funus. Roſc. A. 8. *juſta ſolvere.* Flac. 38. *juſta facta Catilinæ.* * *Juſta* ſunt certus quidam modulus rerum ſtato tempore faciendarum, fungendarum, dandarum, percipiendarum, quodvis penſum, officium, ſolennia. Hinc Har Reſp. 10. *ſolennia & juſta ludorum.* Frid. Gronovius Obſerv. 4, 6.

Juvare. Fam. 3, 1. *homo, quod juvet, curioſus.* Formula, quâ utimur in re, quæ bonam & malam interpretationem habet, ne deteriùs, ac volumus, accipiatur. Ita Victorius, & Gronovius: ſed ex regiis & Grævianis mſſ. dedimus, *homo, quod vidi, curioſus.*

L.

Labellum, lapis excavatus in labri formam, quam & arcam vocabant. Leg. 2, 26. *ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis ne altiorem, aut menſam, aut labellum.*

LABES, ruina. Div. 1, 43. *labes agri Privernatis*. Dom. 1. *labes ac flamma reip.* Flac. 10, *labes innocentiæ.*

LABRUM. Fam. 14, 20. vas balneare, in quo ſit lavatio.

LACERNA, veſtis craſſitior, quâ a frigore & pluviis ſe muniebant in itineribus. Phil. 2, 30.

LACUNA, jacturâ largitione facta, aut fraude. Verr. 2, 35. *lacunam rei familiaris explere.* Att. 12, 6. *vide ne qua lacuna sit in auro.*

LACUS. Brut. 83. *cenſuerim... novam iſtam quasi de muſto & lacu fervidam orationem fugiendam.* Lacus eſt dolium, in quod muſtum mittitur, donec deferbuerit, & in teſtas defundi poſſit. Vinum de dolio & *lacu*, eſt muſtum, vinum recens, & oratio de *lacu* eſt ea, quæ novitates verborum conſectatur, necdum habet quamdam ſuam maturitatem.

LÆNA. Brut. 14. eſt duplex amictus, quo purpureo utebantur flamines, injectus ſuper togam, ſimilis chlamydi.

LANGUNCULÆ. Att. 6, 1. vox corrupta, pro qua Boſius, probantibus Lambino, Junio, aliiſque, repoſuit *planguncula*, quas dicit fuiſſe puſillas imagines cereas, pupas, ludibria puellarum parvularum. Victorius maluit *imagunculæ*.

LANISTA, eſt magiſter gladiatorum. Att. 1, 16. *clemens laniſta*, qui ſervum frugi ſecernit ab iis, quos gladiatores facit.

LAPIS. Piſ. 15. *empti de lapide tribuni*, mos erat præconem, quum ſervi venderentur, in lapide ſtare.

LATINITAS. Att. 14, 12. Jus eſt Latii, quod ex fœdere cum Latinis ortum eſt. Eſt autem jure civitatis deterius; melius verò jure Italiæ.

LAUDATIO,

Laudatio, genus eſt teſtimonii publici, quod magiſtratibus provincialibus a civitatibus per legatos Romæ tribuitur, quum rei de repetundis facti ſunt. Font. 2. In Verrinis paſſim.

Laureatus. Att. 8, 10. *lictores laureati* dicuntur, quum faſces *laureatos* præferunt Imperatori victori.

Laureola, triumphus. Fam. 2, 10. *negotium, quod eſſet ad laureolam ſatis*, ſcil. parandam, merendam.

Legatio. Fam. 12, 21. *legatione liberâ legatus.* Flac. 34. *legationes liberas ſumere.* Att. 2, 18. *libera legatio voti cauſâ* datur. Dicuntur *liberæ legationes*, quum ſenatoribus privatæ rei cauſâ, ut voti ſolvendi, hereditatis aut ſyngraphæ perſequendæ, extra Italiam abeuntibus jus nomenque legatorum populi R. datur. * Miſſi a civitatibus legati dicuntur *renuntiare legationem*, h. e. quid in legatione actum ſit. Fam. 1, 4. *niſi legationibus perfectis*, h. e. niſi auditis ab ſenatu legationibus, decretum ſit quid ſingulis reſponderi placeat.

Legatorius. Att. 15, 8. *aliqua legatoria provincia.*

Legare, legatum facere aliquem. Att. 15, 10. *Dolabella me ſibi legavit.* Att. 13, 14. *ſolitos eſſe majores noſtros legare in decemviris, qui eſſent imperatorum neceſſarii.* * Alibi verbum eſt teſtamentarium. Top. 4. *legare a filio*, h. e. ut filius ſolvat legatum.

Lemniscatus. Roſc. A. 35. *lemniſcata palma*, propriè eſt, in qua majoris honoris cauſâ lemniſci ſunt. Nam lemniſci ſunt vittæ in honorem deorum uſitatæ. Porro dabantur palmæ gladiato-

tibus ob victoriam, h. e. ob interfectum eum, quocum comparati erant.

LENTITUDO, nimia lenitas & patientia. Vide Tuſc. 4, 19. & ad Q. Fr. 1, 1.

LESSUS, quid ſit vide Leg. 2, 23.

LEVITAS, dicitur de quocumque vitio, quòd in vitio nulla ferè eſt conſtantia, ut *gravitas* de omni virtute, in qua eſt conſtantia, & æquabilitas agendi. Brut 27. *levitas in populari ratione*. Cæcil. 3. *levitas judiciorum*. Fin. 1, 18. *amatoria levitates*. Tuſc. 4, 31. *eadem levitate eſt cupiditas in appetendo, quâ lætitia in fruendo*.

LEX propriè eſt formula quædam verborum, jubens aut vetans aliquid, a voce græca λέγω. *Lex cenſoria*, formula eſt a cenſoribus propoſita, continens conditiones locationis ſive vectigalium, ſive operis alicujus faciendi, quo ſenſu cenſores dicuntur leges dicere vel edicere. * *Lex prædii* eſt formula conditionis prædii, ex qua judicatur quid emptori traditum ſit, quibuſque conditionibus. * Hinc *lex* dicitur pro conditione. Tuſc. 3, 16. *lex vitæ*, eſt conditio quâ nati ſumus. Agr. 2, 11. *si optimâ lege a populo eſſent creati*. Off. 3, 5. *naturæ ratio, quæ eſt lex divina & humana*. Scil. *lex naturæ* eſt etiam lex divina: leges humanæ autem, quæ ad ſocietatis utilitatem pertinent, non differunt a lege naturæ, ſed ex ea ſunt repetitæ, cum eaque conſentiunt: ſin minùs, iniquæ ſunt & injuſtæ. * Agr. 2, 19. *leges dare provinciæ* dicitur de ſuperiore, qui ſummam habet poteſtatem conſtituendi jubendique; differtque ab eo quod dicitur, *legem ferre*: nam hoc eſt magiſtratûs urbani, qui legem populo jubendam aut rejiciendam

proponit. * *Lex centuriata, curiata.* Lata nempe in comitiis *centuriatis, curiatis*, de quibus vide Agr. 2, 10. 11. 12. * *Lege agere*, eſt actionem alicui intendere ex ea lege, quæ facultatem dat intendendæ actionis. Hæc formula continet quidquid ex lege apud prætorem fit, juris ſui obtinendi cauſâ, eique a parte prætoris reſpondet *jus dicere* vel *reddere*.

LEXIS, verbum. Or. 3, 43. e Lucilio.

LIBARE, decerpere. Div. 1, 49. *a natura... deorum libatos animos habemus.*

LIBATIO. Har. Reſp. 10. *libationes epulæque ludorum publicorum.* Sunt ſacrificia, quæ fiunt defundendo vino.

LIBERALIS. Flac. 17. *cauſa liberalis*, eſt in qua de libertate alicujus agitur. Off. 2, 12. *ſumptus liberalis* diſtinguitur a neceſſario.

LIBERALITAS, eſt propriè omnis ratio vivendi & agendi, quæ a liberali educatione proficiſcitur; & eſt propria hominum honeſtè liberaliterque educatorum, eorumque perſonis digna. Sic pro cultu liberali homine digno eſt Off. 1, 39. *quæ pertinent ad liberalitatem, ſpecie & dignitate moderata ſint.* * Pro hilaritate quadam vultûs & ſermonis, quæ ſeveritati opponitur. Brut. 25. *homo non liberalitate, ſed ipsâ triſtitiâ & ſeveritate popularis.* * Pro ſtudio alterius commodis aut largitione, aut officiis inſerviendi, quod eſt liberaliter educatorum proprium. Vide Off. 1, 14. * Pro ea facilitate, quâ omnes æquè bonos, ac nos ſumus, judicamus. Ad Q. Fr. 1, 1, 4. *a quibus, rudis quum eſſes, videtur decipi potuiſſe liberalitas tua: nam ut quiſque eſt vir optimus, ita difficillimè alios improbos ſuſpicatur.*

ſis LIBER, Or. 2, 16. *libera quæſtio*, quæ in genere verſatur, nullis adſtricta perſonis certis. * Fortis, qui neminem timet; dicit, facit, quæ ipſe probat, quæ vult, etsi aliis diſplicent. Vatin. 10. *maximè liber in tuenda communi libertate.* Planc. 37. *liberum eſſe in republica.* Verr. Act. 1, 9. *Siculos in eo liberos fuiſſe: non veniſſe.* Fam. 12, 28. *ne nimis liber in ulciſcendo viderere: quod idem mox dicit nimis fortis.* * Bona *libera* dicuntur, quæ non ſunt obligata, oppignerata. Fam. 11, 10. *tantum abeſt, ut mea rei familiaris liberum quidquam ſit, ut omnes jam meos amicos ære alieno obſtrinxerim.* * Att. 14, 13. *libero lectulo negat eſſe quidquam jucundius. Liber lectulus* eſt hominis cœlibis.

LIBERARE, a vectigalibus immune facere. Agr. 2, 21. *liberare publica*, h. e. ea declarare privata. Publici agri vectigales ſunt; liberati ergo privati. Verr. 2, 31. *liberet Bizantios.* * Att. 16, 6. *Buthrotios quum Cæſar liberaviſſet*, ne, ſcil. agri eorum ex lege agraria dividerentur. Har. Reſ. 8. *liberare domum*, nempe a religione. * Off. 1, 3. *pleraque promiſſa jure prætorio liberantur, quædam etiam legibus*, ſcil. ne ea ſervare cogare. * In libertatem vindicare. Cæcil. 17. *liberare ſe a Venere*, unde *liberta Veneris*, quæ pecuniâ redemit onus a majoribus acceptum, ſumptûs certis Veneris ſacris ſuppeditandi; quod qui ſuſtinebant, *ſervi Veneris, Venerii dicebantur.* * Secernere. Tuſc. 1, 22. *divinus animus liberatus a corpore.* * In auſpiciis. Leg. 2, 8. *templa liberata & effata habento.* Templa *liberata* ſunt, quæ liberum ab omni parte proſpectum habent: nam augures, quum locum aliquem auſpiciis conſecrant, quod eſt *effari*, jus ha-

bent amovendi ea, quæ liberum proſpectum impediunt.

LIBERTINI. Sext. 45. ſunt homines e ſervis liberi facti. Iidem ſunt qui *liberti*: ſed hi ita dicuntur in relatione ad patronum. Locus in Suetonio Claud. 4. induxit quoſdam ut exiſtimarent *libertinos* dictos eſſe *libertorum* filios: quod eſt falſum. Suetonius non hoc dicit: ſed Appii cæci temporibus nomen libertinorum manſiſſe etiam in poſteris libertinorum, quamvis jam ingenuis.

LIBRAMENTUM, eſt ſuperficiei æqualis altitudo. Lucul. 36. *punctum eſt extremitas & quaſi libramentum.*

LIBRARIUM, capſa librorum, chartarum. Mil. 12. *librarium legum veſtrarum.*

LIBRATUS, in æquilibrio ſervatus. Tuſc. 5, 24. *terra quibus librata ponderibus, quibus cavernis innixa ſuſtineat.*

LINEA, pro perpendiculo. Fin. 1, 6. *ſolida corpora ferri ſuo deorſum pondere ad lineam.*

LINEAMENTUM, delineatio operis, adumbratio. Brut. 87. *intelliges nihil Catonis lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem & colorem defuiſſe.* * Paulò aliter eſt hoc verbum Or. 55. *quaſi quamdam palæſtram, & extrema lineamenta orationi attulit.*

LINGUA. Or. 3, 30. *linguam procudere*, eſt exercere dictionem, declamare.

LIS. Fin. 2, 12. *lites privatæ* ſunt cauſæ privatæ. * Sumitur pro pecunia, de qua eſt judicium. Rabir. Poſt. 4. *ſumma litium*, eſt *æſtimatio litis*, quæ dicitur Cluent. 116. ubi eſt etiam *æſtimare litem*, quod fit, quum ſumma fit omnis ejus pecuniæ, de qua judicium eſt, ut in cauſa de repetundis, in qua *lis* dicitur *æſti-*

mari, quum omnium furtorum, quæ ab aliquo repetuntur, ſumma ſit.

LITTERÆ, quæcumque ſcripta. Leg. 1, 2. *abeſt hiſtoria litteris noſtris.* Div. 2, 2. *Græca de philoſophia littera.* Fam. 7, 19. *nullam artem litteris sine interprete... percipi poſſe.* * Tabulæ & chartæ ſcriptæ quæcumque. Leg. 3, 20. *publicis litteris consignatam memoriam publicam non habemus.* Artes liberales omnes. Or. 3, 34. *inſtructa litteris eloquentia.* Fam. 15, 21. *litteræ reconditæ.* * Græcæ litteræ ſunt artes Græcorum libris illuſtratæ. Acad. 1, 2. Latinæ litteræ, Latinis libris illuſtratæ artes. * Dicitur tamen etiam de singulis generibus, aut de grammatica, Or. 1, 3. Or. 3, 10. Off. 1, 37. De philoſophia, Balb. 1. Sext. 51. De reliquis præter philoſophiam artibus liberalibus. Piſ. 19. *eſt autem non philoſophiâ ſolùm, ſed etiam litteris perpolitus.* * Epiſtolæ. Att. 11, 5. *conficere plures litteras non potui: iis tantùm reſcripsi, a quibus acceperam.*

LITO, parento, hoſtiis placo. Flac. 38. *litemus Lentulo.* * Litare dicuntur, qui in hoſtiis bona exta inveniunt. Div. 2, 15. *proximâ hoſtiâ litatur ſæpe pulcherrimè.*

LITUUS. Div. 1, 17. lituus augurum unde traditus. * Fam. 11, 12. *lituum profectionis meæ fuiſſe*, h. e. auctorem, quia lituo, ut tubâ, in bello signum datur.

LOCARE, uſum alicujus rei aut fructum alteri certâ mercede concedere. Cæcin. 6. *locare fundum.* * Pro conſiſtere. Off. 3, 17. *prudentia eſt locata in delectu bonorum & malorum.* * Locant vectigalia cenſores redemptoribus, unde *locatio* dicitur.

LOCUPLES, de teſtibus, cognitoribus &c. dicitur, cui ſcil. fides haberi debeat, tamquam diviti, sic dictus a *loco*, pro agro, fundo. Flac. 17. *qui locuples teſtis doloris & ſanguinis ſui non fuerit.*

LOCUS, caput philoſophiæ, aut cujuſcumque artis, materia. Div. 2, 1. *perpurgatus eſt locus de finibus bonorum & malorum a nobis quinque libris.* Ibid. *quintus eum locum complexus eſt.* * Sunt etiam *loci* rhetorum, qui ſunt fontes argumentorum. * Loci autem communes ſunt, quum de re univerſa dicitur, quum revocatur oratio ad genus. * Status in re gladiatoria & militari, ut gradus. Catil. 2, 1. *loco ille motus eſt, quum eſt ex urbe depulſus.* * Dignitas. Fam. 14, 18. *iſto loco feminæ.* * Ordo, classis in civitate. Quint. 13. *locus, quem honeſtiſſime defendit.* * Res. Verr. Act. 1, 15. *cui loco conſuetudine ac providete.* * Genus, pars. Off. 1, 6. *loci, in quos honeſti naturam divisimus.* Ibid. 25. *alter locus cautionis.* * Locum *relinquere* & *dare* non eodem modo dicitur. Verr. 5, 50. *fortunæ alicujus veniam & locum dare.* Cluent. 42. *locum defensioni non relinquere*, de judice, qui pecuniâ corruptus inutilem defensionem reddit. Fam. 1, 1. *locum* non *relinquit precibus*, de eo, qui etiam non rogatus facit, quæ volumus, ut non opus sit precibus. * Verr. 5, 14. *ædilitas loco poſita*, h. e. recte & bene.

LOLIGO, genus piſcis. Div. 2, 70.

LOMENTUM, fabarum farina, quâ ad interpolandam faciem & tegendam deformitatem utebantur. Fam. 8, 14. *cenſuram lomentum & nitrum putas.*

LUCANICA, genus farciminis e carne ſuillâ, a Lucanis populis inventum.

LUDIUS, hiſtrio, ſaltator. Har. Reſp. 11. *ſi ludius conſtitit*, h. e. si ejus ſaltatio interrupta eſt.

LUDUS, de re facili. Verr. 5, 70. *ad honores per ludum & negligentiam pervenire.* * De fraude, Dom. 8. *ſin ille tibi ludus fuit.* * Phil. 6, 4. *ludus* dicitur de tempore, quo ludi fiunt. * Sext. 55. *ludos facere* dicitur de eo, cujus ſumptibus fiunt. * Verr. Act. 1, 10. *ludi victoriæ* inſtituti a Sulla in memoriam victoriæ ex Marianis reportatæ. * Cæcil. 10. *ludi plebeii.* Confer Verr. 5, 14. unde patet eos ludos Floræ factos eſſe.* Fam. 7, 1. *ludi Græci*, *Oſci*, fabulæ Græcorum, Oſcorum linguâ & amictu. * Div. 1, 26. *ludi votivi*, qui fiunt ex voto imperatoris ad bellum profecti, & cum victoria reverſi. * Ibidem: *ludi Romani*, celebrati pridie Nonas Septembris ex inſtituto regio.

LUSTRUM, ſpatium quinque annorum, ſub cujus finem a cenſoribus cenſus habetur, & poſtea publicæ preces, & ſacrificia ſuovetaurilia fiunt. Or. 1, 41. & 2, 66.

LYMPHATUS. Div. 1, 36. Ita dicebantur qui nympham aquaticam viderant, & aquam timebant, unde de perculsis aliquo numine, & inde furentibus dicitur.

M.

MACROCOLON. Att. 13, 33. & 16, 5. eſt membrana longior & major.

MACTARE, placare. Vatin. 6. *extis puerorum deos manes mactare ſolebas.* * Nocere reo. Flac. 22. *mactare aliquem civitatis teſtimonio.*

MACULA, foramen in reti. Verr. 5, 11. *reticulum minutis maculis.*

Maculosus, cenſoriâ notâ infamis, turpis vitiis. Att. 1, 16. *maculosi ſenatores.*

Magister, director, ut hodie vocant. Att. 5, 15. *magiſter ſcriptura.* Verr. 2, 74. *magiſter ſocietatis.* Ibid. 70. *pro magiſtro in ſcriptura*, eſt vice-director. Similiter dicuntur *magiſtri auctionum*, qui quum bona alicujus venduntur, ab iis quorum intereſt, conſtituuntur, ut ejus rei curam ſuſcipiant, quos hodie curatores bonorum appellant. Unde Or. 1, 57. *magiſtri carmen*, quæ formula eſt a magiſtro auctionis promulgata. * Att. 9. 13. *magiſter equitum*, qui in exercitu equitibus præeſt, quaſi collega dictatoris, qui *magiſter populi* dicitur.

Magisterium. In convivio, eſt ejus, qui *regna vini ſortitus eſt talis*, ut loquitur Horatius. Cato. 14. *me & magiſteria delectant a majoribus inſtituta.* * Prov. Conſul. 19. *morum magiſterium* eſt cenſoris, qui & *magiſter morum* dicitur.

Majalis. Piſ. 9. eſt porcus pinguis, qui Maiæ mactatur.

Malleolus, in vitibus eſt palmes novus cum parte ligni durioris ab utraque parte reciſus, ut malleoli figuram habeat. Cato. 15. * In re militari ſunt manipuli ſpartei pice inducti, quibus ſagitta inſerta, unde malleoli figura, ut projiciatur in hoſtilia munimenta, opera, tecta &c. incendii excitandi cauſâ. Catil. 1, 13. Mil. 24.

Manceps, redemptor, conductor. Sic publicani dicuntur *mancipes*, quia publica vectigalia redimunt. Dom. 10. Item alii redemptores decumarum. Cæcil. 10. *Manceps* etiam dicitur redemptor ædificii alicujus aut operis publici. Verr. 1, 54. Item qui prædam emit. Dom. 18. Item is, qui & *ſector* dicitur. Roſc. A. 8. *manceps*

T v

hominis ſtudioſiſſimi nobilitatis, h. e. bonorum ejus. Denique is, qui pecuniam emit, & eam alio loco ei, a quo accepit, aut in eodem genere, aut in alio nummorum ſolvendam curat. Fam. 5, 20. *erat enim nobis curata pecunia Valerii mancipis nomine*, h. e. Valerius redemerat pecuniam ſine periculo noſtro nobis, quo loco volebamus, ſolvendam.

MANCIPIUM. Top. 26. *mancipio dare*, h. e. jure mancipii. Res *mancipi* ſeu *mancipii* ſunt, quæ venduntur per æs & libram, præſentibus quinque teſtibus, quo ritu venditor tenetur ad evictionem præſtandam. Mur. 2. Unde jus mancipii, quod eſt earum rerum, quæ *mancipio & nexu*, h. e. ritu commemorato nobis traditæ ſunt. * Mancipium eſt etiam pro formula & conditionibus abalienationis. Off. 3, 16. *hoc in mancipio Marius non dixerat.* Pro quo eſt *mancipii lex*. Or. 1, 39. *mancipii lege ſervire dixit.*

MANDATUM, commiſſum. Roſc. A. 38. *judicium mandati.* Confer Off. 3, 17.

MANICA, chirotheca, quâ iter facientes & feminæ utebantur. Phil. 11, 11. *ſolet enim accipere ipſe manicas*, de homine molli & timido, fugam meditante.

MANUBIÆ. Arch. 11. Dom. 38. Roſc. A. 47. &c. eſt pars prædæ, quam imperator capit, in monumento aliquo conſumendam. Vide Agr. 2, 12.

MANUS. Labor manuum. Verr. 3, 11. *manu quærere*, de aratoribus. * Proboſcis elephanti. Nat. D. 2, 47. *manus data elephantis.* * Fam. 11, 13. *quæ in manibus ſunt*, dicitur de præſenti rerum ſtatu. Sext. 32. *res jam manibus tenetur*, h. e. pene confecta eſt. Fam. 1, 10. *ſic in manibus*

habebant, sic oſculabantur. Ibid. 8, 1. *manus ad os apponere*, ſignum ſilentii ſervandi. Flac. 6. *porrigere manum*, modus Græcorum ſuffragii ferendi. Fam. 7, 5. *tollere manus*, admirantis geſtus. Att. 3, 15. *vulneribus ſuis manus afferre*, h. e. dolorem inſtaurare, augere. Fam. 10, 23. *Vocontii ſub manu ut eſſent*, h. e. parati, si quid vellem, ad manum. * Top. 4. *mulier viro in manum convenit*: id fit per coemptionem, de qua ſuprà.

MASTRUCATUS. Prov. Conſ. 7. *maſtrucati latrunculi*, dicti a maſtruca, villosâ veſte, quâ montani Sardi utebantur.

MATERIATUS. Off. 3, 13. *ædes malè materiatæ.*

MEMORIA, tabulæ, litteræ, quibus rei memoria conſervatur. Arch. 4. *litterarum memoriam flagitare.* Cluent. 23. *exſtat memoria*, *ſunt tabulæ publicæ.* * Memoria publica, eſt rerum publicarum, publicè in ſenatu, in concione, in bello geſtarum. Or. 2, 12. Leg. 3, 20. * Or. 1, 2. *ac mihi repetenda eſt veteris cujuſdam memoriæ non ſanè ſatis explicata recordatio*, ubi videtur memoria dici pro re olim geſta, diſputatione vetere. Brut. 69. *in memoriam notam & propè æqualem incurro.* Phil. 2, 43. *& tu in Cæſaris memoria diligens?* ſcil. honoranda, conſervanda.

MENSA. Fam. 16, 21. *menſa ſecunda*, h. e. bellaria, poma, piræ. Fin. 2, 28. *Syracuſana menſa.* Tuſc. 5, 35. *menſæ Italicæ, Syracuſiæ*, h. e. lautæ, deliciis refertæ. Att. 5, 1. *diſcubuimus omnes præter illam, cui tamen Quintus de menſa miſit.* * Eſt menſa deorum in templis. Nat. D. 3, 34. * Eſt etiam menſariorum, qui

MUGINARI, tardè conari, ceſſare. Att. 16, 12. *dum tu muginaris, nec mihi reſcribis, cepi conſilium domeſticum.*

MULTA, pœna pecuniaria. *Multa* dicitur a magiſtratu, irrogatur lege a magiſtratu latâ. * Sed *multare* non tantùm de pœnis pecuniariis dicitur, ſed etiam de capitalibus in ſignificatione privandi. Verr. 2, 8. *heredem Veneri eſſe multatum*, h. e. hereditatem Veneri eſſe commiſſam.

MULTIFARIAM, pluribus locis. Or. 2, 41. *si aurum cui, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare vellem.*

MUNDANUS. Tuſc. 5, 37. mundi incola.

MUNICIPIUM, genus oppidorum Italiæ, jure civitatis donatum ita, ut ſuis legibus uterentur & ſuis magiſtratibus: at *coloniæ* legibus & magiſtratibus Romanis parebant.

MUNIO. Or. 1, 59. *quàm toties... pæonem aut munionem citarimus.* Vox eſt corrupta, pro qua reponit Erneſtus *monogenem*, qui pes ex tribus longis & unâ brevi syllabâ conſtat. Notiori nomine dicitur epitritus quartus, contrarius pæoni, qui eſt ex tribus brevibus & una longa.

MUNUS. Hoc verbo compleƈtuntur omne genus ludorum & ſpeƈtaculorum, quæ magiſtratus aliique populo præbent. Fam. 2, 3. *declarare munera*, h. e. polliceri populo. Hinc eleganter mundus vocatur *munus dei*. Tuſc. 1, 29. Nat. D. 2, 35.

MURIA. Fin. 5, 14. eſt ſalſus ille liquor in quo ſervantur ſalſamenta.

MUSTACEUM, genus placentæ, cui *folia lauri* ſubjiciebantur, unde proverbium, *laureolam in muſtaceo quærere*. Att. 5, 20.

MYSTAGOGUS, qui dicatur, vide Verr. 4, 59.

MITELLA, Rabir. Poſt. 10. eſt mitra parva, ſive corollæ e veſte ſerica diverſicolori, unguentis madidæ. *Mitra* vero eſt faſcia, quâ caput redimitur.

MOLA. Div. 2, 16. *molam ſpargere*, quod uno verbo *immolare* dicitur. *Mola* eſt far toſtum, comminutum, & ſale mixtum, quo victima conſpergitur.

MOMENTUM, propriè id quod movet, pondus, gravitas. Nat. D. 2, 46. *aſtra formâ ipsâ figurâque ſuâ momenta ſuſtentant.* Mur. 2, *momenta officiorum perpendere.* Ibid. 8, *momento pari ſortis.* Or. 1, 31. *momento quodam atque judicio diſpenſare.* Phil. 5, 10. *minimis momentis maximæ temporum inclinationes fiunt.*

MONITOR, in judiciis eſt patroni, cui ſubjicit, si quid prætermittit, aut obliviſcitur. Cæcil. 16. *video non te, ſed hunc librum, quem monitor tuus tenet, eſſe reſponſurum.* * Nomenclator. Mur. 36. *cives per monitorem appellare.*

MONOGRAMMUS, adumbratus, delineatus. Nat. D. 2, 23. *monogrammi dii Epicuri*, quia non habent verum corpus, ſed quasi corpus, adeoque similes ſunt delineatis a pictore corporibus, non expressis.

MONUMENTUM, dicitur id omne, quo memoria hominis alicujus, aut rerum aliarum excitatur. Verr. 1, 4. *monumenta Africani*, ſunt ſtatuæ, quas ille, Carthagine deletâ, Siculis reddiderat, quibuſque ideo nomen ejus erat inſcriptum. Div. 1, 28. *monumentum Marii eſt templum* ab eo exſtructum. * Eodem ſenſu litteræ publicæ dicuntur *monumenta*, quòd rerum memoriam conſervant. Dom. 28. *ſcribæ nobiſcum in rationibus publicis monumentiſque verſantur.*

nitate, collegio, aut quacumque aliâ ratione. Ad Brut. 6. *noli pati a ſi neceſſariis tuis injuriam fieri neceſſario meo.* * Fam. 6, 12. *neceſſaria rogationes*, quæ propter neceſſitudinem aliquam, pro neceſſario fiunt. * Phil. 7, 2. *tempus neceſſarium*, h. e. quo neceſſariò ſubveniendum reip.

Necessitas, de natura, ordine naturæ, quòd quæ naturâ fiunt, neceſſariò fiunt. Catil. 4, 4. *mors aut necessitas naturæ, aut laborum miſeriarumque finis eſt.* Sext. 21. *ut vita, quæ necessitati deberetur, patriæ potiùs donata, quàm naturæ reſervata videretur.* Or. 50. *necessitate ipsâ*, pro, ſuâ ſponte, naturâ ſuâ. * Vis divina, fatum. Ligar. 6. *humana consilia necessitate divinâ eſſe ſuperata.* * Conjunctio ſanguinis, amoris, officii. Roſc. A. 24. *magnam necessitatem possidet paternus maternuſque ſanguis.* Sul. 1. *si noſtram necessitatem familiaritatemque violaſſet.* * De rebus ad vitam conſervandam neceſſariis. Verr. 5, 14. *ipsi naturæ ac necessitati negare.* Off. 1, 35. *necessitati quàm occultissimè parent*, de excretione urinæ &c.

Necessitudo, natura, opponitur caſui. Har. Reſp. 9. *ordo rerum ac necessitudo.* * Omnis conjunctio ſanguinis, affinitatis, conjugii, collegii, amicitiæ &c. Ad Q. Fr. 1, 1. *ſummâ necessitudine nos attingunt publicani*, quia ſcil. Cicerones erant ex equeſtri ordine, ex quo publicani. Cæcil. 2. *necessitudo cum Siculis*, apud quos quæſtor fuerat. * Cauſa conjunctionis, amoris. Fam. 13, 12. *cum eo mihi omnes necessitudines ſunt.*

Nexus, ritus vendendi per æs & libram, quo venditor obligatur ad evictionem præſtandam. Fam. 7, 20 *cujus proprium te eſſe ſcribis mancipio & nexu.* Cicero ſæpe jungit hæc duo tam-

quam vim eamdem habentia. Diſtinguit tamen Har. Reſ. 7. Vide mancipium.

Nexus, adj. pendens ex alio, junctus. Tuſc. 3, 8. *omnes virtutes inter ſe nexæ ſunt.* Or. 41. *res collocatæ, & quaſi ſtructæ & nexæ verbis.*

Nilus, genus aquæductûs, qui & euripus vocatur, de quo ſuprà. Leg. 2, 1. Ad Q. Fr. 3, 1. *ductus aquarum, quos illi nilos & euripos vocant.*

Nitedula. Sext. 33. *ut illa e vepreculis extracta nitedula remp. conaretur arrodere.* Eſt autem mus agreſtis, quæ & *nitela* dicitur.

Nitrum. Fam. 8, 14. *cenſuram nitrum & lomentum putat*, quo nempe poſſit ſuperioris vitæ maculas eluere.

Nixus, gravitas. Nat. D. 2, 46. *terra nixu ſuo conglobata.*

Nobilis, quasi noſcibilis, qui facilè ſolo nomine audito agnoſcitur. Tales erant apud Romanos orti ex familia ſive patricia, ſive plebeia, in qua majores fuerant magiſtratus, hoc eſt, ædiles curules, prætores, conſules; hi enim jus habebant imaginis ſuæ ad poſteritatem prodendæ; unde nobilis etiam sic definitur, *qui imagines majorum habet*: ab his enim imaginibus nobilitas.

Nomen, verbum. Tuſc. 3, 34. *omnis caſus in quo calamitatis nomen ponitur.* * Claritas, nobilitas, quia ſcil. nobilium nomen notum eſt. Planc. 7. *nominibus ducuntur.* Fam. 3, 7. *iſta veſtra nomina numquam ſum admiratus.* * Cluent. 32. *res ſuo nomine in judicium numquam eſt vocata*, h. e. nullius quæſtionis proprium crimen fuit. * Species, prætextus, titulus. Fam. 1, 4. *nomen fictæ religionis.* Att. 5, 13. *me nomen habere duarum legionum exilium*, h. e. non verà-rum, sine viribus. * Nomen etiam dicitur de reo,

Nummarius, pecuniâ corruptus. Verr. 3, 37. *nummarium judicium.* Cluent. 27. *nummarii judices.*

Nuntiatio. Phil. 2, 81. *nos (augures) nuntiationem ſolùm habemus, conſules etiam ſpectionem.* Verba ſunt augurum, conſulum, aliorumque magiſtratuum, quum in auſpicio ſunt.

O.

Obligare, propriè vincire, devincire, ut Tuſc. 2, 16. de vulnere, *a medico obligari.* Sed metaphoricè *obligari* dicuntur omnes, quibus alicujus rei faciendæ, præſtandæ, ferendæ, patiendæ neceſſitas impoſita eſt, quacumque de cauſâ, quâ tamquam vinculo alligantur. Hinc 1°. *obligari ſcelere*, & *pœnis legum obligari* dicuntur Dom. 8. & Fin. 1, 14. qui ſceleribus ſuis aut alienis in neceſſitatem incidunt pœnæ ferendæ. 2°. *obligantur*, qui jurejurando ſibi neceſſitatem imponunt alicujus rei faciendæ. Off. 1, 11. Verr. 2, 12. Item promiſſis, fœdere. Balb. 15. Phil. 5, 18. 3°. ſpondendo pro aliquo, cavendo prædiis, quæ & ipſa obligari dicuntur. Agr. 3, 2. Fam. 5. 20. 4°. qui mancipio & nexu tenentur præſtare periculum evictionis. Mur. 2. Top. 10. 5°. qui beneficiis acceptis neceſſe habent bene meritis referre gratiam, unde *in ære* alterius eſſe, ei debere dicuntur. Fam. 6, 11, & 8, 12. 6°. res, quæ deo alicui conſecratæ ſunt. Dom. 40. unde contrà quæ profana e ſacris fiunt, *liberari* dicuntur. 7°. Eſt etiam pro impediri. Verr. Act. 1, 9. *quod eos intelligere videbam, me hoc judicio diſtrictum & obligatum futurum.*

Obnuntiare, auſpicium malum, diras, comitia habenti, nuntiare, ut comitia dirimantur, in quo utebantur hac formulâ, *alio die.* Phil. 2, 33. *conſul conſuli obnuntiaſti.* * Obnuntiatur etiam ſingulis hominibus. Div. 1, 16. *Ateius Craſſo obnuntiavit* in Perſas ituro.

Obrogare, legem ferre, quæ adverſetur alteri legi, ut eâ perlatâ, prior tollatur. Phil. 1, 9. *quid, quod obrogatur legibus Cæſaris?* Confer ad Att. 3, 23.

Obrussa, eſt auri experimentum, quod igne ſumitur, unde poſt & aurum *obryſum* dictum. Brut. 74. *adhibenda tamquam obruſſa, ratio eſt, quæ mutari non poteſt, nec utendum praviſſimâ conſuetudinis regulâ.*

Observare, curiosè ſpectare, aucupari, captare, etiam in deteriorem partem, & insidiarum causâ. Fam. 11, 16. *ut tempus obſervaret epiſtolæ reddendæ.* Verr. 3, 1. *vitam tuam obſervari pluribus oculis.* * *Obſervare* dicitur de officiis ſalutandi, deducendi, præſertim candidatos, & hinc in genere pro colere. Mur. 34. *si interdum ad forum deducimur... diligenter obſervari videmur.* Att. 13, 49. *si obſervare eſt ſervire.* Phil. 2, 20. *obſervatus a me in petitione quæſturæ.* Fam. 7, 27. *ego te in conſulatu obſervaram.* * Fam. 13, 4. *obſervare commendationes alicujus*, h. e. complecti eos, qui commendati ſunt.

Obses, pignus, quodcumque signum certum voluntatis. Cluent. 30. *damnationem dederat obſidem &c.* Cæcil. 22. *obsides a nobis habet populus.* Confer Catil. 2, 2. Cœl. 32.

Obstipus. Nat. D. 2, 42. de cervice rigida & reclinata nimis in tergum.

Obstitus, fulmine tactus. Leg. 2, 9. *fulgura atque obſtita expianto.*

Obstrictus, obnoxius, qui eſt in alterius poteſtate. Cœl. 19. *obſtrictus voluptatibus tenetur.* Ibid. 32, *addictum, deditum, obſtrictum vobis tenebitis.*

Obtestatio. Balb. 14. *ſanctiones ſacrandæ ſunt aut genere ipſo, aut obteſtatione, aut conſecratione legis, aut pœna &c.* h. e. populo per legiſlatorem ad ſacramentum adigendo, quo jures obteſtans, i. e. teſtes faciens deos, ſe velle legem ſervare, unde *ſacratæ leges.* Dom. 48. *quid ergo illa tua tum obteſtatio tibicinis.* Fuit pars cæremoniæ in dedicationibus, quæ videtur facta iiſdem ferè verbis, quibus obteſtationem & denuntiationem pontifici, pullario, factam eſſe conſtat, *ædes mihi*, ſeu poſtulo, ut ædes mihi &c. Dom. 52. & Div. 2, 34.

Offendere. Att. 10, 4. *offendere apud aliquem de aliqua re* * Cluent. 23. *offendere apud judices*, i. e. condemnari a judicibus. * Infeliciter rem gerere. Fam. 1, 8. *si quid offenderis, tibi offenderis.*

Offensio, calamitas, damnum. Manil. 9. & 10. *offenſio & offenſiones belli.* * Morbus. Tuſc. 4, 14. *offenſiones corporum.* * Repulſa. Cluent. 25. *quòd ædilitatem ſe petere cum hominibus nobiliſſimis, & offenſionem timere dicebat.* Ibid. 50. *judiciorum offenſiones* dicuntur corruptiones judicum, quibus judicia in odium populi veniunt. * Tuſc. 4, 11. *offenſio ægrotationi contraria* quid ſit.

Omen, propriè quid ſit, de eo eſt locus claſſicus Div. 1, 45. Dicitur tamen etiam de

aliis auſpiciis. Ibid. 48. *ſic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.*

Optimates, qui ſint propriè docetur Sext. 45, 66. qui ſunt loci classici. Et quoniam hi ſunt ferè homines ſuperiorum ordinum, pauci de plebe, niſi fortè locupletiores, *optimates* etiam interdum opponuntur plebi. Tuſc. 1, 45.

Orbiculatus. Fam. 8, 15. *ut milites malis orbiculatis paſti eſſe videantur*, h. e. optimis & delicatissimis: rotunda enim mala, ova &c. optima putantur; unde orbiculata mala per jocum hoc loco pro lautissimis cibis ponuntur.

Ordo, omne hominum in civitate genus: ſic de libertinis dicitur Verr. 1, 47. de ſcribis Verr. 3, 79. de publicanis Fam. 13, 9. * In militia *ordines* ſunt tricesimæ partes legionum, quibus in ſingulis partibus duæ centuriæ, a decimo haſtato ad primum pilum; unde Piſ. 36. *ordines assignare.* Et Phil. 1, 8. *ordines duxerunt.* * Subſellia theatri. Phil. 2, 18. *ſediſti in quatuordecim ordinibus.* * Roſc. A. 48. *rectè & ordine judicare*, eſt formula antiqua, pro, ex legibus, laudabiliter, ſapienter. * *Extra ordinem*, eſt aliter ac legibus eſt conſtitutum. Cluent. 31. *pecuniam extra ordinem accepiſſe confeſſus eſt.* Fam. 6, 5. *ſpes quam extra ordinem habemus*, eſt major quàm de ceteris.

Oscines. Nat. D. 2, 64. aves augurales, quæ cantu augurium faciunt.

Oscitare. Or. 2, 35. *oſcitans ſapientia*, i. e. otioſa, quæ nihil laboris affert.

Ovare, minus eſt quàm triumphare, ingredi urbem ob victoriam non ita inſignem, equo. Ad Brut. 15. *ut ovanti introire Cæſari liceret, decrevi,*

P.

PACTIO. Inter publicanos & provinciales, qui agros decumanos habebant, fieri ſolebant *pactiones*. Ejus rei ratio intelligi poteſt e Verrina 3. præſertim c. 14. * Sæpe *pactionis* mentio in corruptionibus pecuniariis. Verr. 1, 7. *ſciebam in rejiciendis judicibus nonnullos pactionis ſuſpicionem non vitav ſſe.* Piſ. 36. *pactiones reorum.*

PAGANUS. Dom. 28. *in hac urbe nulli pagani aut montani, qui non &c.* Serv. Tullius in locis montanis, atque adeo munitis, fecit ruſticis perfugia, quos pagos Græco vocabulo appellavit: itaque pagani iidem, qui montani.

PALIMPSESTUS, Fam. 4, 47. charta pergamena, in qua deleta ſunt & eraſa, quæ antea ſcripta erant.

PARARE, comparatione paciſci. Fam. 1, 10. *si curiata lex non eſſet, ſe paraturum cum collega*, nempe in quam quiſque provinciam iret.

PARENTARE, inferias agere in memoriam mortui, unde *parentalia*, eaque vel publica h. e. auctoritate publicâ celebrata, vel privata.

PARERE. Leg. 1, 21. *requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, iiſque parere*, pro, apparere, demonſtrari, verbum forenſe antiquum. Roſc. C. 4. *si paret.*

PAROCHUS, qui redemit neceſſaria legatis peregrinis & hoſpitibus præbenda. Att. 13, 3. *Sextius noſter parochus publicus.* Vide Horatium Satir. 1, 6.

PARS, in ſcena eſt perſona, quam quis ſuſcepit agendam. Cæcil. 15. *actores ſecundarum & tertiarum partium.* Unde ad alia transfertur. Flac,

27. *ſervus primarum partium.* * Verr. 3, 4. *pars virilis*, eſt ea pars cujuſcumque rei communis pluribus, quæ unicuique debetur æqualiter. * Genus, ſpecies. Or. 1, 6. *pars dicendi.* Top. 7. *formas qui idem putat eſſe, quod partes, confundit artem.*

PARTITIO, genus eſt legati, quo legatarius tantum capit, quantum heres, si unus eſt, aut omnes simul, si plures ſunt; ita nempe, ut heres quiſque dimidium ejus partis ei det, quam ex hereditate çepit. Leg. 2, 20. 21.

PARTURIO, de re matura, mox eruptura in lucem. Mur. 39. *periculum conceptum reſpublica parturit.* Phil. 2, 46. *utinam reip. dolor pariat, quod jamdiu parturit.* * Laborare, *ſecuritate frui animus non poteſt, si tamquam parturit unus pro pluribus.* Læl. 13.

PATELLA, diis propria, in qua iis cibi apponuntur. Fin. 2, 7. *ita non religiosi, ut edant de patella.*

PATRICIUS, qui e familia aliqua eorum ſenatorum ortus eſt, quos Romulus & Tarquinius Priſcus legerunt: & qui ab illis quidem orti ſunt, *majorum gentium*; qui verò ab his, *minorum gentium* dicuntur. *Patriciis* opponuntur plebeii. Ad Brut. 5. *dum erit unus patricius magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poſſunt.* Patricii magiſtratus ſunt conſulatus, prætura, ædilitas curulis &c. quia olim patriciis proprii fuere, & a patriciis capi potuere.

PATRIUS, a majoribus relictus & traditus, antiquus. Or. 1, 18. *mos patrius Academiæ.* Mur. 41. *ſacra patria.* Verr. 1, 3. *dii patrii* ſunt quorum cultus a majoribus ad nos venit. * Paternus. Roſc. A. 46. *animus patrius in liberos.*

Sic apud Liv. 2, 5. *eminente animo patrio inter publicæ pœnæ miniſterium.*

PATRUUS, reprehenſor. Cœl. 11. *fuit pertriſtis patruus, cenſor, magiſter:* quia ſcil. plus vident homines & reprehendunt in fratrum liberis, quàm in ſuis.

PAVIRE, ferire. Div. 2, 34. *terram pavire &c.*

PAX, in formulis precum. Rab. Perd. 2. *pacem ac veniam peto.*

PECUARIUS, qui gregibus pecorum alendis quæſtum quærit, ſive ex privatis, ſive ex publicis pro certo vectigali conductis paſcuis. Dejot. 9. rex Dejotarus *pecuarius* dicitur. Vide & Verr. 2, 6. & Fontei. 1.

PECULATOR, qui peculatûs reus eſt, Off. 3, 18. Eſt autem peculatûs crimen, quo tenetur, qui ærarium defraudavit. Roſc. A. 29.

PECULIATUS, dives, nummatus. Fam. 10, 32. *planè peculiatus diſceſſit.*

PECULIUM, pecunia, quam ſervus domini permiſſu collegit. Verr. 1, 36. *peculia ſervorum.* Parad. 5. *qui cupiditate peculii nullam conditionem recuſant durissimæ ſervitutis.*

PEDARIUS. De ſenatoribus, qui non habent jus dicendæ ſententiæ, ſed tantùm aſſentiuntur diſceſſione, quia nondum magiſtratu aliquo functi ſunt. Att. 1, 19. 20. Vide Gell. 3, 18; nam is eſt locus claſſicus.

PEGMATA, loculi lignei, in quibus libri reponuntur. Att. 4, 8.

PENATES, unde dicti Nat. D. 2, 21. Penates, dii patrii, item familiares, iidem ſunt, nempe ii, quos & quæque urbs communiter a majoribus traditos, & quæque familia ſibi pro-

prios adſcivit & colit. Colebantur autem privatim in impluvio. Illi ſunt penates publici, hi privati.

PENULA, veſtis crassior, quâ in itinere utebantur. Att. 13, 10. *eorum ego vix attigi penulam.* Ibid. *ita egi ut non ſcinderem penulam.* Mil. 10. iter faciens dicitur fuiſſe *penulatus.*

PENUS. Nat. D. 2, 27. *Eſt omne, quo veſcuntur homines, penus.*

PERCUSSIO, eſt in musicis, ac deinde in poeticis & numeris oratoriis, qui & *ictus* dicitur, quia tibicen pede ferit terram. Or. 3 47. *ſed ſunt insignes eorum numerorum percussiones.* Ibid. 48. *percussio intervallorum.* Or. 58. *non ſunt in oratione tamquam tibicini percussionum modi*

PERDUELLIO, eſt propriè parricidium, h. e. cædes hominis liberi, quam quis ſciens fecit: verùm perduellionis crimen in ſpecie illud dictum eſt, quo quis libertatem populi R. violavit, tamquam affectato regno, tribuno plebis pulſato, aut interfecto, cive Romano virgis cæſo, aut percuſſo, aut alio ſupplicio ſervili affecto.

PERDUELLIS, qui propriè ſit, vide Off. 1, 12.

PEREMNIS. Nat. D. 2, 3. *nulla peremnia ſervantur.* Peremne auſpicium eſt, quum magiſtratus amnes auſpicatò tranſeunt.

PERICULUM, judicium, quod capitis periculum affert. Roſc. A. 30. *periculum creare*, pro accuſare. Arch. 6. *pericula amicorum.* * Fam. 13, 68. *quid ſentiam non ſæpe ſcribam, propter periculum ejuſmodi literarum.* * ſpecimen, quod experiendarum virium causâ fit. Leg. 1, 1. *faciunt imperitè, qui in iſto periculo non ut a poeta, ſed ut a teſte veritatem exigant.* * Verr. 3, 79. *ſcribis tabulæ publicæ periculaque magiſtratuum*

committuntur, quia ex tabulis publicis pericula creari poſſunt magiſtratibus.

Peripetasma, idem quod periſtroma, veſtis ſtragula, auro intertexta, ab Attalo rege inventa & uſurpata, unde *Attalica peripetaſmata.* Verr. 4, 12.

Peristylium. Dom. 44. eſt locus, qui a columnis undique ambientibus nomen habet.

Perpetuus. Verr. Act. 1, 11. *perpetua oratio*, i. e. continua, & opponitur ei, quæ eſt in interrogando & reſpondendo. Fam. 5, 12. *perpetuæ hiſtoriæ* ſunt aut quas nos *univerſales* appellamus, aut certè regni aut reip. totius, opponunturque hiſtoriis ſingulorum hominum. * Or. 36. *perpetua quæſtio*, eſt univerſalis, quum de genere univerſo quæritur. * Att. 5, 21. *ut centesimæ perpetuo fœnore ducerentur*, h. e. ut centesimæ uſuræ in ſingulos annos ducerentur in ſupputatione, non autem etiam centesimarum uſuræ.

Perscriptio, ſolutio de menſa argentarii per attributionem, per assignationem. Att. 12, 51. *debere, non eſſe dignitatis meæ, perſcriptionem tibi placere.* * Eſt etiam *perſcriptio* omnium earum rerum, quæ litteris consignantur, in codices referuntur, in æs inciduntur. Agr. 2, 9. *perſcriptio legis.* Or. 1, 58. *si de tabulis & perſcriptionibus controversia eſt.*

Persecutio, actio in aliquem civilis. Or. 41. *in juris ſcientia perſecutionum cautionumque præceptio.* Hinc Rabir. Perd. 4. *perſequi ab aliquo pecuniam.* Leg. 3, 8. *ſyngraphas ſuas perſequi.* Verr. 3, 13. *bona ſua repetere ac perſequi lite & judicio.*

Persona, facies ficta hiſtrionis. Or. 2, 46. *quum ex perſona ardere oculi hiſtrionis viderentur.*

tur. * Perſona dicitur per quamdam periphraſim de hominibus, ſed cum reſpectu ad eorum conditionem, officium, mores &c. Cluent. 29. *hujus Staleni perſona ab nulla turpi ſuſpicione abhorrebat.* * Nec solùm de hominibus dicitur, ſed etiam de rebus aliis, ut in his formulis abſtractum pro concreto ponitur, Mur. 3. *perſonam gravitatis ſeveritatiſque non appetivi.* Att. 15, 1. *fœda eſt perſona ipsius ſenectutis.* Arch. 2. *in ejuſmodi perſona, quæ minimè in judiciis periculiſque verſata eſt.* Verr. 2, 17. *perſona calumniæ imponatur.* Hinc *perſonatus*, i. e. simulator, dissimulator. Att. 15, 1. *quid eſt autem cur ego perſonatus ambulem?*

PERTINERE. Variis modis conſtruitur apud Ciceronem cum præpositionibus *ad*, *in*, *per*, & cum ablativo. Att. 3, 6. *ad multa pertinuit.* Off. 2, 10. *quæ ad gloriam pertinent*, Nat. D. 1, 14. *ratio pertinens per omnem rerum naturam.* Ibid. 2, 55. *venæ in omnes corporis partes pertinentes.* Ibid. *implicatio nervorum toto corpore pertinens.* Arch. 11. *pertinebit ad aliquam animi mei partem.* * Dicitur etiam ad aliquem pertinere id, cujus eſt auctor. Roſc. A. 36. *ad quem maleficium pertineret.* Verr. 1, 17. *pertinet res ad ipſum.*

PES quomodo a numero differat, vide Or. 64. * Pars terræ exigua. Att. 7, 22. *pedem in Italia vides nullum eſſe, qui non in iſtius poteſtate ſit.* In navibus pedes ſunt funes, quibus interiores veli anguli versùs puppim trahuntur. Or. 5, 40. *pes in navi.* Att. 16. 6. *pedibus æquis.* * Cluent 13. *conſtituitur ante pedes*, dicitur de eo, qui coram tribunali aut ſubſelliis judicum conſtituitur. * Sæpe etiam ſervi dicuntur eſſe *ad pedes*, *circum pedes &c.* Verr. 1, 36. *homines circum pedes habe-*

bat. Dejot. 1, *ſervum a legatorum pedibus abduxit.* * Red. 1, 4. *ne pedibus iret*, de ſenatoribus pedariis, de quibus ſuprà. * Pedibus trahi, eſt peſſimè & iniquiſſimè tractari. Fam. 7, 31. *de judiciis non laboro : trahantur per me pedibus omnes rei.* Att. 4, 16. *per me iſta pedibus trahantur.* Vatin. 5. *pedibus iter facere*, eſt terrà proficiſci, & opponitur τῷ navigare.

PETITIO, ictus, propriè de ictibus gladiatorum, & athletarum, qui dicuntur *petere*, aut *caput petere.* Catil. 1, 6. *petitiones corpore effugere.* * Transfertur ad oratores, eorumque artificia, quibus adverſariis nocere ſtudent. Or. 3, 14. *orationis ipsius, tamquam armorum, eſt vel ad uſum comminatio & quaſi petitio.* Cæcil. 14. *novi omnes hominis petitiones rationeſque dicendi.* * Actio in aliquem, item poſtulatio a prætore, ut jus noſtrum nobis concedat. Brut. 5. *cujus petitio ſit.* Roſc. C. 18. *petitionem integram reliquit.* Inv. 1, 18. *petitioni* opponitur *recuſatio*, quæ eſt ejus, unde petitur.

PETITOR, actor, qui litem intendit in cauſa privata, cui opponitur is, unde petitur. Or. 1, 37.

PHALERÆ, ornamenta equorum. Verr. 4, 12. *phaleræ pulcherrimè factæ.*

PIGNERARI. Phil. 14, 12. *Mars ipſe ex acie fortiſſimum quemque pignerari ſolet*, h. e. eripere morti, & tamquam pignore quodam ab eo accepto, proprium ſibi reddere. Nam *pignerari* eſt etiam pignus accipere. Hinc *pignerator*, qui pignus capit a poſſeſſore, ne ille rem, dum lis eſt, deteriorem faciat.

PIGNUS. Phil. 1, 5. *cogi pignoribus.* Or. 3, 1. *pignoribus ablatis coercere.* Fuit genus coercitio-

nis, quo utebantur magiſtratus, in primis conſules, in ſenatores, qui v. g. vocati in ſenatum parere nollent. * Eleganter pignora dicuntur omnia, quæ fiduciam faciunt, qualem aliquis ſe præſtiturus sit. Att. 8, 9. *minùs multa illi dederant reip. pignora.* Phil. 13, 4. *magnis & multis pignoribus M. Lepidum reſpublica illigatum tenet.* Ea deinde pignora enumerantur.

PISCINARIUS, qui piſcinis murænarum alio- rumque piſcium pretioſorum delectatur, qualis L. Lucullus fuit. Att. 1, 16. 17.

PLANGUNCULA, pupa, ſimulacrum cereum a voce Græca πλαγγών. Att. 6, 1. *inventæ ſunt quinque plangunculæ matronarum.* Ita regii cum Boſianis & aliis codicibus. Recentiores dederunt *imagunculæ*, quum priùs eſſet nullo ſenſu, *langunculæ.*

PONERE, abjicere, deponere. Or. 59. *ponere ambitum.* Or. 3, 12. *ponere vitia* Fam. 8, 6. *candidè ponere inimicitias.* * Afferre, commemorare in diſputatione & oratione. Cœl. 7. *poſuiſtis enim conjurationis hunc participem fuiſſe.* Huc refer illud. Fam. 9, 15. *ponor ad ſcribendum.* * Pecunia dicitur *poni*, quum fœnori datur. Verr. 3, 70. *quum posita eſſet pecunia apud eas ſocietates, unde erat attributa, binis centesimis fœneratus eſt.* Hinc *ſumptus*, *beneficium*, *tempus* poni dicuntur. * Ponere quæſtionem dicitur, qui aliquem jubet de re aliqua dicere. Fam. 9, 26. Tuſc. 1, 47. * Apponere, ſubornare. Fam. 8, 12. *ponere alicui accuſatorem.* * Tamquam conceſſum & verum ſumere. Div. 1, 52. *hoc autem posito & conceſſo.* Cæcin. 11. *eſt hæc res posita, quæ ab adverſario non negatur.* * Att. 5, 3. *ponere aliquem in gratia apud aliquem.* Ibid. 12,

51. *hoc metuere, alterum in metu non ponere.*

PONTIFICES, ſunt communes ſacerdotes omnium deorum. Leg. 2, 8. *diviſque aliis ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto.* Inter pontifices princeps fuit, qui pontifex maximus dicebatur. Reliqui diſtinguuntur in *majores* & *minores*: majores ſunt patricii, minores plebeii, quorum mentio Har. Reip. 6. Ita quidem plerique: ſed Livius 32, 57, ſcribas pontificum temporibus ſuis pontifices *minores* dictos ait, quem ſequi debemus.

POPA, caupo. Mil. 24.

POPULARIS, qui eſt ex eodem populo. Leg. 1, 23. *non popularis alicujus loci definiti, ſed civis totius mundi.* Att. 10, 1. *Solon popularis tuus.* * A populo tributus. Dom. 18. *honor popularis.* Phil. 11, 7. *imperium populare ſemper ventoſum eſt.* * Populi ad captum accommodatus. Off. 2, 10. *popularibus verbis utendum & uſitatis.* Or. 2, 38. *popularis trutina.* * Populo gratus. Leg. 2, 4. *lex popularis.* Agr. 2, 4. *quid tam populare, quàm pax?* Fin. 5, 23. *homo habet innatum quiddam civile ac populare* * ſtudioſus populi, ejuſque gratiam captans, de quo locus eſt claſſicus Sex. 45. Off. 1, 25. *alii populares, alii ſtudioſi optimi cujuſque* * Illuſtris, pervagatus, ſpecioſus. Agr. 2, 1. *popularis laus & lux.* Lucul. 2, *quorum ad illuſtres & populares laudes.* * Ad populum movendum aptus. Verr. 1, 58. *quid tandem erat in illo puero populare? quid invidioſum?* * Or. 2, 83. *popularis lapſus*; & Tuſc. 5, 36. *popularis offenſio*, de iis, qui in re aliqua, oratione, actione populum offenderunt.

POPULARITER, more populi, ut populus

intelligere poſſit. Leg. 1, 6. *populariter loqui.* Fin. 5, 9. *populariter ſcribere.* * Seditioſè, invidioſè. Verr. 1, 58. *me populariter agere.*

PORRECTUS. Att. 5, 18. *inter cæſa & porrecta.* Propriè eſt tempus interjectum inter victimæ mactationem, & extorum in aram impoſitionem. Proverbialiter dicitur, quum aliquid nobis accidit, dum aliis rebus intenti ſumus, neque nobis ab eo cavere poſſumus.

PORTITORES, ſunt operæ publicanorum, qui vectigalia redemerunt: quæ quidem operæ in portu ſedebant, merces excutiebant, & portorium exigebant.

PORTORIUM, vectigal quod in portu pro mercibus ſolvitur. Font. 5. *portorium vini.* Verr. 2, 75. *portorii viceſima*, h. e. viceſima mercium, quam portorii loco ſolvebant.

PORTUOSUS. Fam. 6, 20. *navigatio portuoſa*, h. e. in qua multi portus patent. Or. 3, 19. *mare portuoſum*, eſt portubus frequens.

POSTLIMINIUM, reverſio, reditus. Vide Top. 8. Balb. 11. *poſtliminio fieri poteſt civitatis mutatio*, putà si Gaditanus, civitate Romanâ donatus, poſtea remigret in patriam, ibique jus civitatis amiſſum recipiat.

POSTULARE, in ſenſu forenſi eſt in cauſis privatis rogare prætorem, ut liceat actionem alicui intendere, in cauſis autem publicis, ut liceat nomen alicujus deferre. Hinc pro accuſare dicitur. Fam. 8, 12. *Appium eadem lege poſtulavi.* Ad Q. Fr. 3, 1. *Gabinium tres factiones poſtulant.* * Off. 3, 7. *ut geometræ non omnia ſolent docere, ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, ſic ego a te poſtulo, ut mihi concedas &c.* * Dicuntur etiam provinciales *poſtulare*, quum aliquid ſuâ cauſâ

decerni a ſenatu Romano petunt. Balb. 15. *Gaditani in ſenatu de fœdere poſtulaverunt.* Hinc Verr. 2, 4. *Siculi dicuntur poſtulata conſulibus ..... edidiſſe.*

POSTULATIO, in ſacris eſt prodigium, quo dii poſtulant aliquid iræ ſuæ avertendæ cauſâ fieri, unde pro ipſo ſacro piaculari dicitur. Har. Reſp. 10. *poſtulationes eſſe Jovi, Saturno &c.* Ibid. 14. *eodem oſtento Telluri poſtulatio deberi dicitur.* ¶ Eſt autem verbum forenſe, quum ſignificat petitionem apud prætorem, ut liceat nomen alicujus deferre. Fam. 8, 6. *inter poſtulationem & nominis delationem uxor a Dolabella diſceſſit.*

PRÆCONIUM, vitæ genus, quod eſt præconum. Fam. 6, 18. *qui præconium facerent.* * Præconis proclamatio. Rabir. Poſt. 17. *o meum miſerum acerbumque præconium!* Att. 13, 20. *Ligarianam præclarè vendidiſti*, laudando vendibilia feciſti. *Poſthac quidquid ſcripſero, tibi præconium deferam*, h. e. te venditorem, laudatorem conſtituam.

PRÆDIATOR, qui prædia publico obligata & vendenda emit, adeoque pecuniam ſuam in prædiis habet.

PRÆDIATORIUS. Balb. 20. *quum Q. Mucius de jure prædiatorio conſuleretur*, h. e. de jure quod ad prædia publico obligata, & lege prædiatoriâ vendenda pertinebat.

PRÆDIUM. Verr. 3, 86. *habet in nummis, in urbanis prædiis.* Prædia urbana ſunt omnia ædificia ſive in urbe, ſive in villâ.

PRÆFECTURA, civitas, quæ neque ſuas leges, neque ſuos magiſtratus habet, ſed aut a prætore Romano, aut a præfecto, quem prætor dedit, adminiſtratur. Rabir. Poſt. 8. *omnis præfectu-*

na, *regio*, *vicinitas veſtra*. * Munus præfecti. Att. 6, 1. *præfecturas ſumere*. Ibid. *dare & deferre præfecturam*. Ibid. 5, 21. *petere præfecturam*.

PRÆFECTUS Præfectorum genera quatuor: nam fuere *præfecti alarum*, qui equeſtribus turmis præerant, *præfecti evocatorum*, *præfecti fabrûm*, & *civitatum* denique, h. e. qui a magiſtratu provinciali in civitates eas mittebantur, in quibus ipſe non poſſet eſſe assiduè, ut jus dicerent. His adde *præfectos*, qui a prætore R. in Italia mittebantur in præfecturas.

PRÆPES. Div. 1, 47. avis quæ volatu auſpicium facit.

PRÆROGATIVUS. Planc. 20. *prærogativa centuria*. Div. 2, 35. *referre prærogativam* dicitur rogator centuriæ, quum ſuffragia conſuli renuntiat. *Prærogativa* dicitur centuria vel tribus, quæ per ſortem accepit locum primum ferendi ſuffragii. Quum verò a ceteris centuriis vel tribubus ferè ſemper crearetur, quem prærogativa crearat, quumque etiam id ſpectaretur, ut prærogativa nomen haberet boni ominis, inde evenit, ut prærogativa pro bono omine & ſignificatione aliqua diceretur. Fam. 15, 5. *ſupplicatio eſt prærogativa triumphi*. Verr. Act. 1, 9. *dedit prærogativam ſuæ voluntatis ejuſmodi, ut eam pro prærogativis reddidiſſe videatur*. Div. 2, 40. *prærogativa omen comitiorum*. Mur. 18. *prærogativum omen*.

PRÆS, qui vel ſuo, vel alterius nomine prædiis populo cavet. Fam. 2, 17. *prædes pecuniæ publicæ*. Dicti tamen etiam in litibus privatis fidejuſſores, qui prædiis cavebant. Verr. 1, 45. *pro præde litis vindiciarum quum ſatis accepiſſet*.

Pro præde eſt *præde* vel *prædibus*. Sic Verr. 2, 51. *pro ſuffragio* eſt *ſuffragio* vel *ſuffragiis*. Verr. 1, 54. *conſuetudo in bonis, prædibus prædiiſque vendendis*.

PRÆSCRIPTIO. Agr. 2, 9. *præſcriptio legis* ſunt nomina auctorum, latorum, quæ legi præſcribuntur. Fam. 5, 2. *ſenatusconſultum eâ præſcriptione eſt*, de nominibus eorum, qui ſcribendo affuerunt.

PRÆSTARE. Planc. 1. *ſin omnia præſtitero*, i. e. ineſſe demonſtraro. * Aliquem præſtare dicuntur, qui ſpondent pro eo, qualis ſit, aut futurus ſit, aut efficiunt ut talis ſit, qualis debet, aut qualem alii volunt. Ad Q. Fr. 1, 1, 3. *eſſe circumſpiciendum diligenter, ut in hac cuſtodia provinciæ non te unum, ſed omnes miniſtros imperii tui ſociis præſtare videare*. Att. 6, 2. *nec ſatis eſt ſe quemque præſtare*. Ibid. *quem ego præſtare non poteram*. Ad Q. Fr. 3, 8. *Meſſallam Cæſari præſtabo*, h. e. certò ſcio, ſpondeo, eum, qualem Cæſar optat, conſulem fore. * Similiter res dicuntur *præſtari*, quum aliquis cavet eas aut non eventuras, aut ita, ut volumus, caſuras, vel earum periculum & culpam in ſe ſuſcipit. Fam. 1, 4. *a vi præſtare nihil poſſum*. Ibid. 7, 17. *ultima tibi jucunda & honeſta præſtabo*. Mur. 2. *periculum judicii præſtare*.

PRÆTERIRE, de iis, qui repulſam ferunt. Vatin. 16. *quos omnes ſcimus ædilitate præteritos conſules factos eſſe*. Planc. 3. *populus ſolet nonnumquam dignos præterire*.

PRÆTEXTA, toga alba cum limbo purpureo, a quo nomen duxit, quâ utebantur magiſtratus, ſacerdotes, magiſtri ludorum, & pueri. puellæ,

que ingenuæ. * *Prætexta* etiam dicitur fabula Romani argumenti, in qua prætextati, h. e. magiſtratus inducebantur. Fam. 10, 32. *prætextam poſuit* h. e. agendam curavit. Ibid. *prætextam si voles legere.*

PRÆTOR, olim nomen conſulis, & quidem veteres omnem magiſtratum, qui exercitui præeſſet, prætorem appellabant, unde *prætorium*, tabernaculum ducis, *prætoria* cohors. Poſtea a conſulatu ſeparata eſt jurisdictio, & qui eam acceperat, juſque dicebat inter cives, dictus eſt *prætor urbanus*: nam huic additus eſt alter, qui jus diceret inter cives, & peregrinos, & dictus eſt *prætor peregrinus*. Quum autem anno urbis 604, quæſtiones perpetuæ conſtitui cœpiſſent, prætores creati ſunt, qui quæſtionibus illis præeſſent; & hinc *quæsitores* dicti. Sulla ſex inſtituit, octo Julius Cæſar: auxit quoque numerum eorum Auguſtus. * Sed *prætores* etiam aut *proprætores* dicti, qui poſt præturam in urbe, aut etiam poſt conſulatum, mittebantur cum imperio in provincias; quamquam erant provinciæ propriè *prætoriæ* aut *conſulares*, quique iis præerant, dicebantur *proprætores*, aut *proconſules*, etiamsi conſules non fuiſſent. Sic. Fam. 2, 17. Bibulus Syriæ *proconſul* dicitur *prætor*.

PRÆTORIUM, tabernaculum ducis in caſtris, vel ædes in provinciis, in quibus magiſtratus provincialis habitabat.

PRÆTORIUS. Red. 2, 7. *prætorii*, qui prætores fuerunt. Verr. 1, 52. *prætoria turba*, qualis ſcil. confluere ad prætorem urbanum ſolet. * *Cohors prætoria*, vide *cohors*. * *Jus prætorium*, vide *jus*.

PRAGMATICUS, juris peritus, oratorum mi-

niſter. Or. 1, 59. * Politicus, prudens. Att. 1, 20. *homines pragmatici cavere jubent, & vetant credere.* Ibid. 14, 3. *si quid pragmaticum habes, ſcribe.*

PRESSUS, de voce eſt 1°. obſcurus. Red. 1, 6. *preſſa vox & temulenta.* 2°. bene expreſſus. Nat. D. 1, 59. *lingua ſonos vocis diſtinctos & preſſos facit.* * De oratione autem 1°. brevis, & opponitur luxurianti. Or. 2, 23. *oratio preſſior.* 2°. tenuis, ſubtilis, acutus. Or. 2. 18. *preſſus verbis.* Brut. 55. *cavenda eſt preſſo oratori inopia & jejunitas; amplo &c.*

PRESSUS, ûs. Or. 3, 11. *lenitas vocis, atque ipſe oris preſſus ac ſonus*: eſt oris conformatio in pronuntiando, quæ vel eſt vaſta, vel rotunda, unde *os rotundum* Horatii.

PRINCEPS, auctor. Tuſc. 1, 31. *ejus inventor & princeps* * Principes civitatis ſunt principes optimatium, qui & ipsi principes dicuntur. Or. 1, 7. *principum cauſa.* Sic etiam dicuntur primores, potentissimi quum popularium, tum optimatium. Fam. 1, 10. *principes in republica.* * *Princeps ſenatûs*, quem cenſor ſenatum recenſens primum legit, qui honos viventi non adimebatur. * *Princeps juventutis*, cujus nomen primum recitavit cenſor, ordinem equeſtrem recenſens. * Sunt etiam *principes* genus militum, qui olim gladiis pugnabant, medii inter haſtatos & pilanos. Ad Brut. 8. *Cretensi bello octavum principem duxit*, h. e. octavum principum ordinem.

PRIVILEGIUM. Dom. 17. *vetant leges ſacratæ, vetant XII tabulæ leges privatis hominibus irrogari: id eſt enim privilegium.*

PROAGORUS, nomen ſummi magiſtratus in quibuſdam Siciliæ civitatibus. Verr. 4, 23.

PROBARE, cum dativo perſonæ, efficere quocumque modo ut aliquid rectum, verum, juſtum, &c. videatur. Tuſc. 2, 10. *mihi non probant mediocritates ſuas*, Balb. 20. *poſſumusne tibi probare auctorem exempli Marium?* * Examinare, perſpicere. Agr. 2, 34. *probare hoſtias.*

PROCINCTUS. Or. 1, 58. Nat. D. 2, 3. *teſtamenta in procinctu*, ſunt militaria, quæ fiunt antè, quàm ad prælium itur: tunc enim miles in procinctu.

PROCURATOR, eſt qui res alterius abſentis curat, cauſam agit, defendit, quemadmodum curator præſentis. Fam. 1, 3. Quint. 7.

PRODERE, relinquere, tradere. Verr. 5, 14. *imaginis prodendæ jus.* Leg. 2, 19. *ut deinceps familiis prodantur.* * Creare. Mil. 10. *flaminem prodere.* Confer Dom. 14. * Deferere. Flac. 41. *ego te prodidero.*

PROMULGATIO, eſt legis, quum publicè proponitur ante comitia. Fam. 1, 5. *nefaria promulgatio.* Confer Leg 3, 19.

PRONUNTIARE. Vis aliquando ineſt huic verbo eadem ac promittere. Cluent. 29. *quam pro reo pronuntiaſſet pecuniam.*

PSYCHOMANTIUM, locus ubi manes evocantur. Tuſc. 1, 48. *veniſſe in pſychomantium.* Confer Div. 1, 58.

PULLARIUS, qui pullos in cavea auſpiciorum cauſâ habet & curat. Div. 1, 25.

PULVINAR, lectus deo in templo poſitus, & ipſum templum. Har. Reſp. 5. *pulvinaribus ſtuprum intulit.* Dom. 53. *aram & ædiculam & pulvinar dedicaſſet.*

PUNCTUM, ſuffragium, quia ſcil. in comitiis ſuffragia ſingulorum punctis notabantur. Planc. 22.

nus & preſſos facit. * D
vis, & opponitur la
preſsior. 2°. tenuis
preſſus verbis. Bre
nori inopia & je

PRESSUS,
qua ipſe oris
tio in pronun
nunda,

PRIN
ter &
per
Or.
pr

um ſumma
tibi ita quadra
16. ad multa quadr
onem. Ibid. ſententia
numeroſam orationem e

QUADRUPLATOR, dela
nes inde doctum eſſe quidam
tam partem ejus pecuniæ, d
multæ, quæ damnato irro
cipiebat. Cæcil. 7. quad
liſem Verr. 2, 9. dicuntur

QUÆRERE, vocabulum

* De quæſtione rei capitalis. Verr. Act. 1, 8. *quærere de repetundis.* * Deliberare, excogitare. Phil. 9, 1. *honores quærere alicui.* * Desiderare. Verr. 3, 18. *quærere multitudinem jugerum.*

QUÆSITOR, eſt prætor, qui quæſtioni præeſt. Verr. Act. 1, 10.

QUÆSTIO in rhetoricis quid sit, Inv. 1, 6. Or. 2, 19. * Materia quæcumque de qua quæritur. Or. 10. *ſuſtinere quæſtionem tantam non possim.* Att. 13. 27. *omnis Academica quæſtio.* * Tormenta ad veritatem exquirendam adhibita. Roſc. A. 41. *in quæſtionem dari.* Dicitur & de iis, quæ tormentis expreſſa ſunt. Cluent. 63. *tabellæ quæſtionis.* Ibid. 66. *quæſtio ficta.* Et de advocatis, quibus præſentibus quæſtio habita eſt. Cluent. 63. *quæſtio dimiſſa eſt.* * Judicium in cauſa capitali. Verr. Act. 1, 10. *quæſtioni præeſſe.* Mil. 5. *quæſtio nova*, h. e. novâ lege conſtituta. Rab. Poſt. 6. *quæſtione alligari*, quum ſcil. lata lex eſt, ex qua accuſari in cauſa publica poſſumus. Brut. 27. *quæſtiones publicæ*, vide ſuprà in voce *prætor.* * Brut. 76. *judex quæſtionis.* Confer Cluent. 33. quibus ex locis colligitur illum fuiſſe prætoris vicarium. * Judices, & quicumque judicio interſunt. Verr. 2, 30. *dimisit quæſtionem.*

QUÆSTORIUM. Planc. 41. ædes in quibus quæſtor habitat.

QUÆSTORIUS. Verr. 1. 21. *legatus quæſtorius*, qui poſt quæſturam fit alicujus imperatoris legatus.

QUÆSTUS de fœnore. Piſ. 33. *in quæſtu relinquere pecuniam.* Cluent. 26. 36. *quæſtus forenſis & judiciarius*, de pecunia ob rem judicandam contra leges accepta.

unde iis temporibus, quum
ſsis locum obtinuit. Aſſes
a.

cipere cauſam dici-
t, qui ſponte eam
erbum forenſe : nam
icitur, quum delatum ab
eorum refert. * Excipere in
. 25. *venditores... rutis cæsis re-*
dunt tamen aliquid emptori. Gladia-
pere ferrum dicuntur, quum jugulari ſe
erſario patiuntur. Sext. 37. Tuſc. 2, 17.
CUPERATOR, eſt judex in cauſa privata,
em de re pecuniaria, aut poſſeſſione qua-
le certatur. Verr. 3, 13. Cæcil. 15. Cæ-
. Hinc *recuperatorium judicium* Verr. 3, 11.
DHIBERE, eſt recipere quod erat vendi-
quia improbatum eſt, deteriuſque reper-
quàm venditor dixerat. Off. 3, 23.
DIMERE, dicitur de eo, qui ædificium
endum conducit : ei opponitur *locare*. Verr.
. 56. *si pupillo opus redimitur.* Hinc illud
ge Verr. 1, 11. *qui iſtum eripiendum rede-*
. * Pecuniâ datâ, ſe aut alium aliquâ mo-
iberare. Verr. 3. 20. *redimere pericula ſua.*
56. *redimere conantur rem confeſſam.* Unde
taphoricè Fam. 2, 16. *acerbitatem a rep.*
is incommodis redimere.
DIVIVUS. Verr. 1, 56. *rediviva sibi ha-*
, nempe lapides & alia, quæ ex ædificio
o deſtructo viva & ſalva redeunt.
DUVIA, particula cutis quæ circa ungues
rum ſe reſolvit. Hinc proverbium de re
& levi, Roſc. A. 44. *reduviam curare.*
FERRE, reſpondere. Cæcin. 29. *ego tibi*

refero. Quint. 23. *quid a nobis refertur?* * In-ſtaurare. Flac. 1. *referre Valeriæ gentis laudem.* Cæcil. 21. *referre inſtitutum.* * Reddere. Verr. 3, 96. *referre judicia ad equeſtrem ordinem.* * In rationibus ſæpe dicitur ellipticè, pro referre in tabulas rationum. Flac. 19. *operi publico referunt*, h. e. pecuniam in rationes referunt, tamquam conſumptam in opere publico. * Item de ſenatusconſultis, de rationibus, quum ad ærarium deponuntur, & de aliis rebus, quarum memoria publicis litteris mandatur. Sul. 14. *me aliter ac dictum eſt in tabulas publicas retuliſſe.* Ibid. *qui his hominibus ad verè referendum fidem defuiſſe putet.* * Referre ad aliquem dicitur, qui ei aliquid deliberandum examinandumve proponit. Phil. 2, 6. *ecquid ad eum de republica retuliſti?* Quint. 16. *ad ſeipſum aliquid referre.* Dom. 29. *rem judicatam referre*, ſcil. in judicium, ut de ea iterum judicetur. Nat. D. 1, 12. *referre in numero deorum.*

RELIGIO, ſacra, genus ſacrorum, quidquid ad deos quocumque modo refertur, ut auſpicia, prodigia &c. aut ad rei aut loci alicujus ſanctitatem pertinet. Dom. 41. *religiones ſuſcipere*, eſt nova ſacra inſtituere. Ibid. 47. *date huic religioni aditum.* i. e. huic modo ſacrandarum ædium. Ibid. 39. *inferre religionem. . . eripere religionem.* Ibid. 54. *quum ejus dedicationem fictis religionibus impediret.* Fam. 10, 12. *oblata Cornuto religio eſt admonitu pullariorum.* * Culpa quæ contrahitur, si religiones violentur. Nat. D. 2, 4. *religio hæret in republica.* Verr. 1, 15. *ſi nullam religionem ſors habet.* Roſc. A. 24. *magnam religionem poſſidet paternus maternuſque ſanguis.* * Religio dicitur etiam de ſuperſtitione. Dom.

19. *homo religionibus deditus.* Fam. 2, 4. *religiones ſuſcipere.... deponere* * Item de ſumma quacumque in re diligentia. Fam. 11, 29. *religio in conſilio dando.* Cæcin. 2. *judicandi mora ac religio.* Brut. 8. *religio oratoris.* Ibid. *nimia religio.* * Difficultas, objectio. Or. 2. *hac ego religione non ſum ab hoc conatu repulſus.*

RENUNTIARE. Verr. 1, 54. *renuntiat illam deciſionem*, h. e. pactionem illam, quam feciſſent, nuntiat improbari, ratam non eſſe. Verr. Act. 1, 6. *renuntiata eſt tota conditio judicii.*

RENUNTIATIO. Verr. 1, 3. *rem geſtam renuntiarat... renuntiationemque ejus, quæ erat in publicas litteras relata, tolli juſſerat.*

REPRÆSENTARE, propriè eſt in re pecuniaria pecuniam ſtatim ſolvere, atque adeo prænumerare, ante diem ſolvere. Att. 12, 25. *a Faberio repræſentabimus.* Ibid. 29. *ſi qua etiam jactura facienda ſit in repræſentando.* * Hinc dicitur, pro facere aliquid ante tempus, citiùs quàm debeas, aut conſtitutum ſit Att. 16. 4. *mihi videntur... incendi ad repræſentandam improbitatem ſuam*, h. e. citiùs demonſtrandam, quàm conſtituerant. Fam. 5, 16. *neque exſpectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſumus.* Ibid. 16, 14. *dies promiſſorum adeſt, quem etiam repræſentabo*, h. e. libertas etiam antè dabitur, quàm promiſeram. Phil. 2, 46. *ſi repræſentari morte meâ libertas civitatis poteſt*, h. e. ſi mors mea efficere poteſt ut eò citiùs libertas reſtituatur civitati. * Sext. 11. *quod ipſum templum repræſentabat memoriam conſulatûs mei*, h. e. præſentem animis faciebat, inſtaurabat.

RES, de re familiari, pecuniaria. Cato, 7.

rem malè gerentes patres familiâs. Rabir. Poſt. 2. *in pluribus provinciis ejus verſata res eſt.* * Cauſa, commodum. Phil. 2, 2. *contra rem alicujus venire* dicitur de eo, qui in judicio aliquem quâcumque ratione oppugnat. * Sext 62. *ad res redire* dicuntur cives R. ex agris, qui e comitiis domum redierant. * Red. 1, 11. *res redire* dicuntur, quum cauſæ in foro aliaque publica negotia, propter ferias, vel aliis de cauſis intermiſſa (res prolatas dicunt) repetuntur. * Or. 2, 11. *ineſſe in ratione rerum.* Or. 1, 21. *poſitum eſſe in re, atque natura,* de iis rebus quæ ſunt, non verò finguntur. * Verr. 1, 14. *res rationum,* per periphraſim, pro, rationes.

RESCRIPTUS. Tuſc. 4, 2. *cantus fuiſſe reſcriptos, vocum ſonis.* Si ſana lectio eſt, de quo dubitant viri docti, ſenſus hic eſt, cantuum illorum certos modos factos eſſe, ſigniſque expreſſos.

RESIGNARE. Arch. 5. *fidem tabularum reſignaſſet*, h. e. corrumpendo ſuſtuliſſet.

RESILIRE. Roſc. A. 29. *reſilit crimen ab eo*; h. e. non hæret, falsò in eum conferri intelligitur.

RESONARE. Tuſc. 3, 2. *laus virtuti reſonat tamquam imago*, ſcil. vocis : sic enim echo Latinis vocatur.

RESPONDERE, eſt eorum qui conſuluntur, ut juriſperitorum, pontificum, conjectorum, hariolorum. Leg. 2, 12. *reſpondendi juris facultas.* Or. 1, 45. *in reſpondendo jure.* Att. 4, 1. *pontifices reſponderunt.* * Reſpondere dicitur de litigantibus in foro. Verr. 1, 1. *Verrem non reſponſurum.* * Etiam in delectu militari *reſpondere* dicuntur, qui militiam non detrectant. Hinc ductum videtur illud, quod Or. 3, 49 Craſſus ait *pedes*, quibus numeri cauſâ utimur, *reſpondere*

non vocatos. * Paria præſtare, gratiam referre. Att. 4, 3. *Quinti fratris liberalitati pro facultatibus noſtris, ne planè exhauſtus eſſet, reſpondemus.* * Solvere ad diem conſtitutam. Att. 16, 4. *fit ſæpe, ut qui debent, non reſpondeant ad tempus.*

RESPUBLICA, tribus modis dicitur; nempe 1°. de univerſa civitate aut imperio. 2°. de ſingulis ejus partibus. Partes autem reip. commemorantur commodè Sext. 46. *religiones, auſpicia, poteſtates magiſtratuum, ſenatûs auctoritas, leges, mos majorum, judicia, juriſdictio, fides, provinciæ, ſocii, imperii laus, res militaris, ærarium.* 3°. dicitur de quacumque actione, negotio, quod publicæ utilitatis causâ ſuſcipitur, aut quocumque modo ad rempublicam pertinet. Piſ. 32. *Cæſarem non eadem de rep. ſentiſſe, quæ me, ſcio:* quia Cæſar in ratione populari voluit excellere. Mur. 11. *republicâ perfrui poſſumus,* h. e. omnibus commodis, quæ jure, lege civium Rom. ſunt.

RESTILLARE. Att. 9, 7. *litteræ mihi quiddam quasi animulæ reſtillarunt.*

RESTIPULARI, eſt viciſſim ab eo aliquid ſtipulari, qui a nobis aliquid ſtipulatus eſt.

RESTITUO, verbum juris, 1°. quum aliquem reduco in eum locum, fundum, ædes, unde vi dejeci. Cæcin. 13. *vim factam reſtituere.* 2°. quum is, qui reſtituere jubetur a prætore, negat ſe dejeciſſe: nam id facit, quum dicit *reſtitui*, quoniam enim non dejecit, & mansit in poſſeſſione is, qui reſtitui jubetur, idem eſt ac si dejectus reſtitutus eſſet. Cæcin. 19, 29. Verr. 2, 26. *judicia reſtituta ſunt*, h. e. res judicatæ ſublatæ, & ii qui damnati erant, in integrum reſtituti ſunt.

* Att. 15, 4. *neſcio quid ab eo litterularum, ut me ſibi reſtituerem*, ut ſibi iterum amicus fierem.

REVOCARE, invitare ad convivium eum, a quo antè excepti ſumus. Or. 2, 52. *ad ſuas res revocare* aliquem dicitur, qui ei in memoriam redigit, quæ ipsi acciderunt, aut ipſe fecit. * Referre. Flac. 12. *revocare omnia ad gloriam ſplendoremque.* * Expedire ſe ex aliqua re, in quam nos immisimus. Piſ. 29. *revocare ſe non poterat, familiaritate implicatus.* * Dom. 55. *Revocare ſe* dicitur, qui hæsitat in legendo, recitando, dicendo. * Actores dicuntur *revocari*, quum jubentur a ſpectatore repetere verſus aliquot. Sed in genere *revocari* dicuntur, qui eamdem rem alterâ vice dicunt. * Item qui jubentur alterâ vice accuſari. Ad Q. Fr. 2, 6. *populus revocat.* * Inſtaurare, reficere. Fam. 7, 26. *vires & corpus amisi: ſed si morbum depulero, facilè, ut ſpero, illa revocabo.* * Revocare ſe dicitur, qui ſibi temperat. Att. 13, 2. * Corrigere. Div. 2, 46. *quum ita nati eſſent, ut quædam depravata haberent, reſtituerentur & corrigerentur ab natura, quum ſe ipſa revocaſſet, aut arte atque medicinâ.*

REUS, is cujus res agitur, non ſolùm accuſatus, ſed etiam is inde petitur.

RICINIUM. Leg. 2, 23. eſt pallium mulierum, quo in adversis rebus & luctibus utebantur.

ROBUR, lectus durus, ex ligno duriori, v. g. ilice. Mur. 95. *qui quotidianis epulis in robore accumbunt.*

ROGARE, in petitionibus eſt amicorum candidati, qui pro eo populum prenſant. Planc. 10. *neque enim ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris eſſet meus, ſed ut quasi parenti.* * Eſt etiam candidati; ſed tunc in malam partem accipitur,

accipitur. Nam *petere* propriè eſt verbum, quo utuntur candidati, quum prenſatur populus: *rogare* autem quis dicitur, quum unus hac poteſtate eſt, ut magiſtratus tribuat, quibus velit, adeoque ab eo candidati magiſtratum petunt. Phil. 2, 30. *in proximum annum conſulatum peteres, vel potiùs rogares.* * *Rogare* eſt etiam magiſtratuum, quum ferunt ad populum legem, aut comitiis creandorum magiſtratuum præſunt. Mur. 1. *quibus conſulatus me rogante datus eſſet.* Sext. 26. *Piſoni provincia rogata eſt.* * Leg. 2, 12. *lex jure rogata*, in qua ferenda nihil contra auſpicia, legeſque alias factum eſt. * Flac. 13. *in mare ſuperum ſeſtertium ter & quadragies rogabamus*, h. e. erogabamus.

Rogatio, intercessio & prenſatio in comitiis. Planc. 10. *rogatio ſemper eſt gratiosissima.* * Item lex promulgata. Sul. 22. *rogatio Cæcilia.*

Rogator, in comitiis eſt 1°. magiſtratus qui præeſt comitiis. Nat. D. 2, 4. *rogatorem comitiorum juſtum non fuiſſe.* 2°. amici candidati, aut ejus ad quem lex pertinet, qui ſingulos cives ſuffragia ferentes rogant, quem ſuo ſuffragio creatum velint, quid de lege ſentiant, idque ex veteri inſtituto, quo ſuffragia voce dabantur. Pòſt, tabellis inductis, mansit nomen *rogatorum.* Red. 1, 11. *quando illâ dignitate rogatores, diribitores, cuſtodeſque vidiſtis?* Piſ. 15. *vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabularum.* Div. 2, 25. *rogator centuriæ.*

Rudis, baculus quem accipiebant gladiatores qui mittebantur e ludo, tamquam signum libertatis. Hi enim, dum exercebantur, pugnabant rudibus.

RUNA, genus teli. Leg. 3, 9. *runæ & sicæ*, e lectione Davisii.

RUTA, de dicendi genere minùs ſuavi, horrido. Fam. 16, 23. *ad cujus rutam mihi pulegio* (ſuavitate) *tui ſermonis utendum.*

RUTA, orum, Top. 26. Or. 2, 55. Partit. 31. *ruta cæſa.* Ita dicitur ſuppellex omnis, quæ loco moveri poteſt: eique opponuntur *fixa.*

S.

SACRAMENTUM, jusjurandum militare. Off. 1, 11. *ut ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento, quòd priore amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat.* * In foro *ſacramentum* erat pecunia, quæ a litigantibus deponebatur apud pontificem, ut qui causâ caderet, eam amitteret pecuniam in res ſacras inſumendam. Differt ſacramentum a ſponsione, quòd in hac non deponebatur pecunia; ſed promittebatur tantùm, nec quidquam de ea redibat ad ærarium. Or. 1, 10. *juſto ſacramento contendere.* Dom. 29. *si decemviri ſacramentum in libertatem injuſtum judicaſſent.*

SACRARE, ſacrum & inviolabile reddere. Balb. 14. *ſanctiones ſacrandæ ſunt... conſecratione legis aut pænâ.* Hinc *leges ſacratæ* de provocatione, de tribunis plebis, qui ideo *ſacroſancti*, quòd iis legibus caput ejus, qui contrà fecerit, conſecratur.

SAGÆ. Div. 1, 3. *Sagæ* dicuntur *anus*, quia multa ſcire volunt, a verbo *ſagire*, i. e. acutè ſentire.

SAGUM, veſtis militaris, quâ in tumultu cives omnes etiam in urbe utebantur ex decreto ſenatûs. Phil. 14, 1. *ad ſaga ire.*

SALTUS, paſcua. Quint. 6. *de ſaltu agroque communi dejicitur.* Dixerat autem ſuprà n. 3. *pecuaria res ampla & ruſtica.* Hoc ſenſu verbum hoc crebrò eſt apud Ciceronem.

SANCTIO, eſt caput legis, quod pœnam continet, quâ ſanctæ & inviolabiles leges fiunt. Verr. 4, 66.

SANNIO, ſcurra. Or. 2, 61. Fam. 9, 16.

SAPIENTIA, quid Græcis ſit, Or. 3, 15. *Sapientia omnis eſt eruditio.* Or. 2, 1. * Juris ſcientia. Hinc Fam. 1, 11. jocus in juriſconſultum, *ubi audaciâ licet pro ſapientia uti.* Tuſc. 3, 18. in plurali, *ſapientiæ.*

SARTUS. *Sarta tecta* ſunt opera publica, in primis templa, quæ a cenſoribus locantur, ut aut nova ædificentur, aut ſarciantur, si quid in iis aut vitii sit, aut melius aliquid novumve exſtruendum eſſe videatur. Ubi autem opus a redemptore ex lege cenſoria traditur cenſoribus, cenſores dicuntur *exigere ſarta tecta* Verr. 1, 40. 49. Confer Fam. 13, 11. Hinc metaphoricè ibid. 50. *ſartum & tectum ab omni incommodo præſtare.*

SATIS. Quint. 13. *judicatum ſolvi ſatis accipere*, reſpondet τῷ ſatisdare. Verr. 1, 45. *ſatis accipere pro prade.*

SATISDARE, eſt datis prædibus cavere alicui, aut ſponſoribus, in re pecuniaria. Fam. 13, 28. *si quid ſatisdandum erit.* Quint. 7. *judicatum ſolvi ſatisdare*, eſt datis prædibus cavere alicui & polliceri, quod judices judicaverint ſolvendum eſſe, ſolutum iri. Ex ea autem oratione intelligitur honeſtum fuiſſe interdum *ſatisdare*, nempe quum pecunia, hereditas &c. peteretur; minus autem interdum honeſtum fuiſſe, juberi a præ-

tore. *ſatisdare*. Nam jubebantur ex jure prætorio ſatisdare petitori ii, qui vadimonium deſeruerant, quorumque bona triginta dies ex edicto poſſeſſa erant. Itaque recuſabat procurator Quintii hoc nomine ſatisdare pro Quintio abſente, quo facto confeſſus eſſet bona Quintii eſſe poſſeſſa.

SATISDATÒ. Att. 16, 6. *ſatisdatò debere*, hoc eſt, factâ pro alio idoneâ cautione debere, quia pro alio nos ſoluturos ſpopondimus. Ibid. 15. *illi turpe arbitror, eo nomine, quòd ſatisdatò debeat, procuratores ejus non diſſolvere*.

SCABILLUM. Cœl. 27. *ſcabilla* erant crepitacula ex ferro, aut ex ligno, quæ pedibus, quibus annectebantur, concuſſa ſtrepitum faciebant.

SCHEDA. Att. 1, 17. eſt plagula chartæ, ex ſcapo revulſa, in qua ſcribebant quidquid ſubitò commentabantur, ut in mundiorem poſtea chartam exſcriberent.

SCHOLA, diſputatio. Piſ. 25. *vertes te ad alteram ſcholam*. Ibid. 27. *ubi ſunt veſtræ ſcholæ*. Tuſc. 3, 34. *ſeparatim ſunt certæ ſcholæ de exſilio*. Ibid. 1, 4. *ſcholas Græcorum more habere*. Fin. 2, 1. *ſcholam explicare*.

SCISCERE, eſt propriè in legibus jubendis, & quidem plebeiis. Planc. 14. *ſcivit legem primus*. Confer Dom. 30. unde *plebiſcitum*. Hinc pro probare dicitur, quòd, qui ſciſcunt, probant. Prov. Conſ. 15. *ſimul oſtendit eam ſe ſciſcere legem, quam eſſe legem negat*. Sed eſt tamen etiam de omni ſuffragio. Leg. 3, 3. *quum ſciſcentur ſuffragia*.

SCOPÆ. Att. 7, 13. *L. Cæſarem vidi... non hominem, ſed ſcopas diſſolutas*. Or. 71. *quum diſſolvunt orationem... non clypeum, ſed, ut in*

proverbio eſt, ſcopas mihi videntur diſſolvere.

SCRIBA. Genera ſcribarum duo fuere, alterum privatorum, alterum publicorum. Privati ſunt hominum privatorum ſervi. Fam. 5, 20. Publici autem ſunt homines liberi, ſed plebeii ordinis, in primiſque libertini, qui in certas decurias deſcripti erant, & mercedem ex ærario accipiebant. Sorte diſtribuebantur inter magiſtratus. Verr. 3, 79.

SCRIPTURA commentatio oratoris. Or. 1, 33. * Veſtigal ærarii e paſcuis. Verr. 2, 70. *ſcriptura Siciliæ.* Fam. 13, 65. *in ſcriptura pro magiſtro dat operas.*

SCRIPULUM & SCRIPTULUM. Att. 4, 16. eſt ducentesima & octogesima octava pars libræ, ſeu quarta & vicesima unciæ, quæ eſt duodecima libræ pars.

SECTIO, redemptio prædæ univerſæ, aut bonorum proſcripti damnative omnium. Phil. 2, 26. *nemo fuit, qui ad illud ſectionis ſcelus auderet accedere.* * Bona ipſa, quæ venduntur. Inv. 1, 45. *cujus prædæ ſectio non venierit.* Ex Agr. 1. apud Gellium 13, 24. hoc fragmentum eſt: *prædam, manubias, ſectionem, caſtra denique Cn. Pompeii, ſedente imperatore, decemviri vendent.* Ex quo loco intelligitur *ſectionem* dici eam prædæ partem, quæ ad publicum pertineret, ſicut etiam Romæ *ſectio* eſt eorum bonorum, quæ ærario inferenda ſunt. Nam *præda* eſt militum; *manubiæ* imperatoris: *ſectio* ergo populi.

SECTOR, univerſæ prædæ aut bonorum omnium redemptor, vox, ut & *ſectio*, a ſecando ducta, quod *ſectores* ideo prædam univerſam, aut bona redimebant, ut iis velut per partes ſecandis & vendendis lucrum facerent. Huc refer

locum Ciceronis Roſc. A. 29. *iidem erant ſectores bonorum & collorum.*

SECUNDÆ, intellige partes : verbum ſcenæ, in qua primæ, ſecundæ, & tertiæ partes ſunt, unde ad alia transfertur. Brut. 69. *Fuit Craſſo quaſi ſecundarum.*

SELLA, ſimpliciter pro ſellà curuli. Junguntur interdum ſella & tribunal, quia prætores ſedent in ſella curuli posita in tribunali. Verr. 2, 38. 3, 59. * Sedes magiſtri. Fam. 9, 18. *ſella tibi erit in ludo, tamquam hypodidaſcalo, proxima.* * Sedes opificum. Catil. 4, 8. *qui non ipſum illum ſellæ atque operis & quæſtûs quotidiani locum ſalvum velint.* Hinc in fragmentis inc. *de plebeia fæce ſellulariorum.*

SENSUS, judicium. Fam. 9, 10. *a certo ſenſu & vero judicare.* * Senſus de rep. significat partes vel optimatium, vel popularium. Fam. 1, 8. *quàm ſit difficilè ſenſum in rep. deponere.* * Senſus communis 1°. continetur notionibus insitis, & naturali facultate intelligendi, judicandi, ratiocinandi, recti & boni cognoſcendi. Dom. 36. *communem naturæ ſenſum repudiare.* Or. 3, 50. *omnes tacito quodam ſenſu... recta & prava dijudicant.* 2°. eſt pro humanitatis eo genere, quo rebus malis commovemur & angimur. * In oratione autem & oratore ſenſus ſunt, quum ita dicit orator, ut ipſe commotus eſſe videatur. Or. 3, 25. *ut oratio ſenſus, ut dolores habeat.* Or. 2, 46. *quin ipſe in commovendis judicibus, iis ipsis ſensibus permoverer.*

SENTENTIA. Lucul. 47. *ex ſui animi ſententia jurare voluerunt*, h. e. ita uti ſentiret, rem crederet eſſe. Hinc jocus ille Or. 2, 64. *ridiculè illud L. Porcius Nasica, cenſori Catoni, quum*

ille : Ex animi tui ſententia tu uxorem habes ? Non hercule, inquit, ex animi mei ſententia. Nam illud eſt, reſponde ad id, quod rogo : illud ex voto, uti vellem. * *Sententiam ferre*, de judicibus. * *Sententiam dicere*, de ſenatoribus &c.

SEPIA, piſcis atro ſanguine. Nat. D. 2, 50. *atramenti effuſione ſepiæ ſe tutantur.*

SEPTUM. Mil. 13. locus in campo Martio, qui & *ovile* dicitur, in quem coibant in comitiis, qui ſuffragii jus habebant.

SEQUESTER, eſt interpres & internuntius, quo ad rem aliquam conficiendam utimur, apud quem pecunia in corruptionibus judiciorum aut comitiorum deponitur. Itaque ſequeſter eſt in conviciis, pro corruptore. Cœl. 7. *crimen ſequeſtrium.* Planc. 16. *cujus tu tribûs venditorem, corruptorem, ſequeſtrem Plancium fuiſſe clamitas.* Verr. 2, 44. *is eſt C. Claudius qui in Sicilia ſequeſter iſtius, interpres, confector negotiorum, propè collega Timarchidi, numerabatur.*

SERPERASTRUM. Att. 7, 3. *de ſerperaſtris cohortis meæ nil eſt quòd doleas. Serperaſtra* propriè ſunt adminicula, quæ cruribus puerorum primùm ambulantium alligantur, ne vari aut compernes fiant, dicta a *sirpando*, h. e. alligando ; unde sirpulæ apud Varronem : ideo fortaſſe legendum *Sirpiraſtra.* Hoc autem nomine Cicero deſignat legatos, quæſtores, tribunos, & alios, quos ſecum duxerat, quorumque operâ in coercendo exercitu, & regenda provincia utebatur. Eos audierat Atticus pessimè ſe gerere : ideo ſcripſerat Ciceroni ſe dolere. Hæc Boſius.

SESQUI. Or. 56. eſt contractè pro *ſemiſque* : ſed dicitur *ſeſqui* pro *ſeſque*, ut *heri* pro *here.*

Sextula, ſexta pars unciæ. Cæcin. 6. *duæ ſextulæ.* Ibid. *ſextulam adſperſit.*

Siccus, dicitur de ſano corpore, in quo nihil eſt humoris vitioſi. Transfertur ad orationem ſubtilem, cujus eſt ornamentum vitiis carere. Brut. 55. *nihil erat in ejus oratione, nisi sincerum, nihil nisi siccum atque ſanum.* * Sobrius. Agr. 1, 1. *sicci* opponuntur vinolentis : *utrùm eſſe vobis consilia siccorum, an vinolentorum ſomnia.*

Sigillatus, cælatus. Verr. 4, 14 *ſcyphi sigillati*, quibus signa arte illigata ſunt, ut aut tota, aut dimidiata emineant, sine quibus argentum purum eſt.

Sigillum, signum, simulacrum. Nat. D. 1, 30. *Epicureos novi omnia sigilla venerantes.* Att. 1, 4. *putealia sigillata.*

Sillybi. Att. 4, 5 & 8. membranulæ in quibus indices fiunt, libris a bibliopegis agglutinati, qui indicant auctorem & argumentum libri.

Simpulum, vas parvum simile cyatho, quo in ſacrificiis vinum libant. Har. Reſp. 11. *si ædilis verbo aut simpulo aberravit.* Leg. 3, 16. *excitabat fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos pòſt filius ejus Marius in Ægæo excitavit mari*, h. e. Gratidius Arpini in parva & municipali republica turbas ciebat, quas pòſt Marius Romæ in maxima rep. excitavit.

Siparium, velum quod ſcenæ obtenditur, aulæum. Prov. Conſ. 6. *Piſo cum Græcis jam in exoſtra helluatur, antea poſt siparium ſolebat*, h. e. clam, occultè.

Sitella, vas, in quod tabellæ a ſuffragia ferentibus conjiciuntur. Nat. D. 1, 38. *Tib. Grac-*

ctum videor videre de M. Octavio deferentem ſitellam.

SOCIUS, de publicanis ſimpliciter, & adjecto nomine vectigalis quod redemerunt. Planc. 9. *ſociis unicè diligebatur.* Fam. 13, 9. *ſocii Bithyniæ* Ibid. 65. *ſocii ſcripturæ.* * *Arbitrium pro ſocio*, Quint. 3, eſt in quo quis a ſocio ſibi injuriam & fraudem factam perſequitur. Hinc Flac. 18. *damnari pro ſocio*, quum quis fraudis in ſocium convincitur.

SODALIS, collega, non in quocumque collegio: nam *ſodalitas* a collegio diſertè diſtinguitur Brut. 45. ſed in eo, quod ſacrorum causà in honorem alicujus dei inſtitutum eſt. Cœl. 11. *ſodalis in Lupercis.* Cat. 13. *primùm habui ſemper ſodales: ſodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt, ſacris Idæis Magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum ſodalibus, omnino modicè.* * Verr. 1, 37. *quæſtor appellatur ſodalis legati.* Or. 2, 49. *ſodalis prætoris.* * Dicitur & pro *ſocio*. Verr. 1, 36. *ſodalis iſtius erat in hoc morbo & cupiditate.* * Sodales etiam dicuntur, qui coeunt, ut magiſtratum alicui modis injuſtis conficiant. Cœl. 7. *crimen ſodalium.* Hinc *ſodalitas*, quæ vox quot modis ſumatur, ex ſupra dictis patet.

SODALITIUM, ſodalitas, coitio. Planc. 15. *lex Licinia quæ eſt de ſodalitiis.* * Convivium ſodalium. Heren. 4, 51. *venit in ædes quaſdam, in quibus ſodalitium erat eodem die futurum.*

SOLARIUM, horologium, quod Solis radiis tempus metitur, cujusmodi in foro Romano fuiſſe Plinius & Cenſorinus tradunt, quò homines faceti & otiosi confabulandi causâ conveniebant. Hinc inter modos vitæ ſuaviter eleganterque

tranſigendæ refertur *ad ſolarium venire*. Quint. 28. *vixit ſemper incultè, atque horridè... non ad ſolarium, non in campo, non in conviviis verſatus eſt*. * Solarium dicitur etiam de clepſydris. Nat. D. 2, 34. *ſolarium vel deſcriptum, vel ex aqua, quo horæ declarantur*.

SOLISTIMUS. Div. 1, 15. Fam. 6, 6. *Tripudium ſoliſtimum* in augurali diſciplina dicebatur, quum pulli e cavea emiſſi ita paſcebantur avidè, ut offa ex ore in terram caderet, ſeu terram *pavirent*, hoc eſt *ferirent*, unde *tripudium*, quaſi *terripavium*.

SOLIUM, eſt ſella excavata, atque adeo commodior, quâ patres familiâs, & feminæ in conviviis utebantur. In primis autem juriſconſulti ſolebant, quum domi de jure reſponderent, in ſolio ſedere. Or. 2, 33. *a ſubſelliis in otium ſoliumque ſe contulerit*, h. e. deſierit in foro cauſas agere, & de jure domi reſpondere cœperit. * Deabus etiam in templis ſellæ ponebantur, quæ dicebantur *ſolia*, unde *ſelliſternia*, ſive *ſoliſternia*. Har. Reſp. 27. *Deorum ignes, ſolia, menſas &c.*

SOLUM, area in qua ædificatur. Brut. 74. *ſolum & quaſi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam & Latinam* * Pavimentum. Parad. 6. *aurea tecta & ſola marmorea in villis facere*. * Nat. D. 1, 23. *quodcumque in ſolum venit*. Proverbium de rebus, quas temerè ac fortuitò, & ut caſus fert, dicimus, aut facimus. * Att. 9, 9. *In ſolo habere* dicitur de prædiis, ut *in nummis habere*, de pecunia.

SOLVERE ab aliis, ſignificat non ex arca ſua ſolvere, ſed per attributionem, delegationem, nummis alterius. Cæcin. 6. *ſolvitur a Cæſennia*.

* Liberari ab obligatione aliqua. Agr. 2, 36. *ſolvi legibus*, opponitur *teneri legibus*. * Refellere. Fin. 1, 7. *quâ viâ captioſa ſolvantur.* * Nautæ dicuntur *ſolvere*, quum ancoras ſolvunt navigaturi. Mur. 2. *e portu ſolventibus.*

SOLUTUS, liber, cui integrum eſt facere quod velit. Fam. 1, 9. *Omnia mihi ſolutissima ſunt.* * Agr. 3, 2. *ſoluta* prædia opponuntur *obligatis*. * Planc. 30. *ſolutus* opponitur ei, qui beneficiorum vinculis *adſtrictus* eſt. * Dejot. 1. *ſolutus* opponitur ei, qui eſt in equuleo. * Remiſſus, negligens. Catil. 2, 12. *mea lenitas ſolutior viſa eſt.* * Facilis. Fam. 6, 7. *ſolutum putatur alterum laudare.* * Debilitatus, cui nervi exſecti ſunt. Agr. 2, 33. *urbs ſoluta.* * De hominibus facetis, qui liberè rident omnia. Dom. 39. *ô rem, quam ſoluti homines ridere non desinant.* * Abſolutus. Mil. 4. *ſcelere ſolutus.* * In dicendo ſolutus eſt 1°. qui facilem & volubilem linguam habet. Brut. 47. *ſolutus in explicandis ſententiis. Verbis ſolutus ſatis... ſolutissimus in dicendo.* Hinc Or. 1, 25. *ſolutio linguæ.* 2°. in actione remiſſior. Brut. 62. *tum ſolutus & mollis in geſtu.* 3°. qui verba aptè collocare, quod *vincire* dicitur, neſcit. Or. 2, *verbis ſolutis numeros primus adjunxit.* Confer Brut. 79. &c.

SONIVIUS. Fam. 6, 6. *tripudia ſonivia* ſunt, quum offa excidit pullis paſcentibus, & in terram cadens ſonum reddit.

SPECILLUM, inſtrumentum chirurgicum. Nat. D. 3, 22. *Æſculapiorum primus... qui ſpecillum inveniſſe & primus vulnus obligaſſe dicitur.*

SPECTATIO, exploratio nummorum, an genuini ſint, & probi, necne. Verr. 3, 77. *de-*

ductiones certis nominibus fiebant pro ſpectatione & collybo.

SPECTIO, eſt verbum augurum, conſulum, & reliquorum magiſtratuum, quum in auſpicio ſunt. Phil. 2, 32. *Nos augures nuntiationem ſolùm habemus, conſules & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem.*

SPICUM, ſpica. Cat. 16. *fundit frugem ſpici.* Nat. D. 2, 42. *Spicum illuſtre tenens ſplendenti corpore Virgo.*

SPINA. In ſcribendo *ſpinæ* dicuntur de nimis ſubtili & jejuno dialecticorum diſſerendi genere. Fin. 4, 28. *ſpinæ diſſerendi.* Tuſc. 4, 5. *ſpinæ partiendi & definiendi.*

SPIRITUS, aer. Catil. 1, 6. *ſpiritus cæli.* * Succus quidam in ventriculo, qui concoctionem adjuvat. Nat. D. 2, 54. *ut ſpiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur.* * Contentio, animoſitas. Verr. 1, 30. *Quid ego nunc in alteram actionem Cn. Dolabellæ ſpiritus... proferam?* * Superbia, inſolentia. Verr. 3, 9. *illos ejus ſpiritus Sicilienſes quos fuiſſe putetis?* Sull. 9. *ſpiritus attulerunt res geſtæ.* Flac. 22. *remittere ſpiritus.*

SPONDERE, propriè eſt *dicere*, ut ex compoſito *reſpondere* intelligitur: deinde in ſtipulationibus ſignificat *promittere*. Nam qui ſtipulatur, interrogat, ſpondeſne, v. g. *hanc pecuniam ſolutum iri; decem dotis proximo anno dare?* Alter reſpondet *ſpondeo*, h. e. promitto. Roſc. C. 5. *ſtipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præſente? quis ſpopondiſſe me dicit? nemo.* * Spondere pro aliquo eſt fidem ſuam interponere pro aliquo in re pecuniaria. Att. 12, 14. *ſcire re-*

lum quando dicar ſpopondiſſe, & pro patre, anne pro filio. Ad Brut. 18. magis enim illum pro quo ſpopondi, quàm me obligavi.

Sponsio, propriè eſt promiſſio ejus rei, quam alter ſtipulatur. In controverſiis privatis, ne calumniis impunè quiſquam alterum vexaret, aut ſolebat certam pecuniam deponere petitor, quæ *ſacramentum* dicebatur, aut tantùm ſpondebat ſe aliquam pecuniæ ſummam daturum, ni vinceret, ſtipulante eo, unde petebatur: quum autem ſpopondiſſet petitor, idem ſtipulabatur ab eo unde petebatur, & hic eodem modo ſpondebat. Hinc dicebatur is, qui litem intendebat, *ſponſionem facere.* * Et *ſponſio* dicitur pro cauſa, quæ agitur, ſive judicio, quod intenditur, ſponſione interpoſitâ. Cæcin. 16. *ſponſionem optimè facere poſſe* dicitur de eo, qui juſtam cauſam habet. Hinc & aliæ formulæ, Verr. 3, 57. *ſponſione laceſſere.* Cæcin. 32. *ſponſione certare.* Ibid. 31. *condemnari ſponſionis.* Quint. 27. *ſponſione vincere.* Cæcin 31. *ſponſionem vincere.* Verr. 3, 62. *ſponſiones prohibitæ judicari.* * Leg. 2, 16. *voti ſponſio, quâ obligamur deo.*

Sponsor, qui pro altero ſpondet. Fam. 5, 8. *ſponſores pro Pompeio.* Fam. 7, 5. *ſponſor humanitatis tuæ.* Hinc Quint. 23. *creditores* & *ſponſores* junguntur, quòd qui pro altero ſpoponderunt in re pecuniaria, eodem periculo ſunt, quo creditores.

Sponsum, idem ac *ſponſio.* Quint. 9. *ex ſponſo egit.*

Sportella, eſt obſonium, cibus, qui opponitur *cœnæ juſtæ.* Fam. 9, 20. *dediſcendæ tibi ſunt ſportellæ & artolagani tui*, h. e. non, ut ſoles, placentis & ſimilibus cibis levioribus nos

excipere debes, poſt quos manus non lavantur, ſed juſtis conviviis.

STARE in re militari ſignificat 1°. ſimpliciter in acie eſſe; unde formulæ, *cum aliquo ſtare*, *a partibus alicujus ſtare &c.* ducuntur. 2°. manere in acie, opponiturque τῷ fugere. Tuſc. 2, 23. * Stare porrò dicuntur, qui locum in republica, dignitatem, fortunas obtinent & tuentur. Fam. 7, 2. *eorum auxilio, qui, me ſtante, ſtare non poterant.* * Item qui conſtantes ſunt in re aliqua; in ſententia, in promiſſis &c. Att. 7, 15. *omnes cupiebant Cæſarem ſtare conditionibus iis, quas tuliſſet.* * Stare dicitur, quod decretum eſt. Att. 3, 14. *neque adhuc ſtabat, quò potiſſimùm.* * *Voluptas ſtans & movens*, quid ſit, vide Fin. 2, 10 & 13. * Stare eſt etiam pro *dicere*, quia ſtantes dicebant. Marcel. 11. *non eſt ſtantibus neceſſe omnibus dicere.* Hinc illud intellige Fam. 1, 4. *quum in ſenatu pulcherrimè ſtaremus.*

STATARIUS, eſt actor, qui ſedatiùs agit, neque in ſcena diſcurrit, unde ipſæ fabulæ *ſtatariæ* dicuntur, quæ ſedatiores ſunt, quàm *motoriæ* quæ dicuntur, in quibus multa negotia, curſus &c. Hinc ad oratorem transfertur, qui minùs vehementer dicit & agit. Brut. 30, 68.

STATUS in re gladiatoria idem eſt, qui gradus: unde hæ formulæ. Or. 57. *dejicere de ſtatu adverſarios*, h. e. vincere adverſarios. Cæcin. 15. *vis quæ formidine animum perterritum loco ſæpe & certo de ſtatu demovet*; h. e. ita perturbat, ut propoſitum perſequi, & conſtantiam retinere non poſſit. Cluent. 38. *de ſtatu ſuo declinare*, h. e. de conſtantiâ. Verr. 2, 4. *deducerent de vitæ meæ ſtatu*, h. e. de vitæ ratione, quam inieram. * Et quoniam e ſtatu maximè ſpectantur gladiato-

res, iique, & milites, quamdiu ſtatum obtinent, tamdiu ſalvi ſunt, hinc *ſtatus* ſumitur pro commoda rerum conditione & ſalute. Sext. 11. *offerre ſalutem in diſcrimen pro ſtatu civitatis*. Sull. 22. *ſtatus civitatis maximè judicatis rebus continetur.* * Dicitur etiam *ſtatus* pro conditione & ratione alicujus rei ſimpliciter. Fam. 9, 6. *ſed hoc viderint ii, qui nulla ſibi ſubſidia ad omnes vitæ ſtatus paraverunt.* * Eſt etiam verbum juris, quo civilis hominum conditio ſignificatur, utrùm quis patricius ſit, an plebeius, ſervus an liber., porrò liber utrùm ingenuus an libertinus, libertini denique utrùm cives Romani, an Latini, an dedititii. Leg. 5, 7. *quòd in civitatibus ratione quadam agnationis familiarum diſtinguuntur ſtatus.* Nam omnes agnati ſunt ejuſdem familiæ, adeoque omnes aut patricii aut plebeii.

STATUS, Adj. certus, definitus. Har. R. 92. *ſtatæ ſolenneſque cæremoniæ.* Off. 1, 12. *ſtatus dies cum hoſte.*

STELLATUS, in ſtellas relatus. Tuſc. 5, 3. *ſtellatus Cepheus traditur cum uxore.*

STIGMATIAS, ſervus fugitivus, notis in fronte compunctus, quæ *ſtigmata* dicuntur.

STILUS, dicendi genus. Brut. 45. *ſtilus Atticus.* * Exercitatio ſcribendi. Or. 2, 23. *in ſumma ubertate ineſt luxuries quædam, quæ ſtilo depaſcenda eſt.*

STIPENDIARII propriè populi erant, qui certam quotannis pecuniæ ſummam ſolvebant, quæcumque eſſet frugum ubertas aut caritas: *vectigales* autem, qui dabant decumas aut alia vectigalia, quæ quidem incerta erant, pro frugum copia aut inopia; hique erant æquiori jure, quàm ſtipendiarii, qui tamen cum vectigalibus confundi ſolent.

STIPENDIUM eſſe mercedem militum, & vectigal certum populorum bello victorum ſatis notum eſt. Ab illa priori ſignificatione oritur illa, quum *ſtipendia* dicuntur anni militiæ. Manil. 9. *qui ſtipendiis confectis erant*, h. e. emeriti, qui legitimis annis militarem operam reip. præſtiterant. Hinc eleganter Cato. 14. *emerita ſtipendia libidinis &c.* de ſenibus dicit.

STIPES, homo ſtupidus, qui ſcilicet propter ſtuporem mutus eſt. Har. R. 3. *ſtipes ille, qui quorum hominum eſſet neſciremus.* Confer Red. 1, 6.

STIPS, nummuli, qui a ſacerdotibus corrogabantur diis, aut certè in honorem deorum dabantur. Leg. 2, 9. *præter Idææ Matris famulos, eoſque juſtis diebus, ne quis ſtipem cogito... implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos.*

STIPULARI, eſt interrogare aliquem ſolenni formulâ an velit aliquid nobis polliceri, præſtare &c. v. g. *ſpondeſne te* &c. Reſpondet ergo τῷ *ſpondere.* Qui interrogat, poſtulat, *ſtipulatur.* Qui reſpondet pollicetur, *ſpondet.* Roſc. C. 4. *reliquum eſt, ut ſtipulatum ſe eſſe dicat... quis ſpopondiſſe me dicit?* Ibid. 5. passivè, *ſtipulata pecunia.*

STIPULATIO, eſt interrogatio ex ſolenni formula, quâ poſtulamus aliquem ſpondere, fidejubere, polliceri, dare &c. quam ubi ſecuta eſt ſponsio, fidejussio &c. obligatio oritur. Roſc. C. 12. *cur tam imperitè facit, ut nec Roſcium ſtipulatione alliget &c.* Cæcin. 18. *ſtipulationes infirmare aut convellere.* Att. 16, 10. *etsi nondum ſtipulationes legeram.* Leg. 2, 21. *ut ea pecunia ex ſtipulatione debeatur.*

STIRPS, principium rei, fundamentum. Coel. 32. *firmatâ jam ſtirpe virtutis.* Leg. 1, 6. *re-*

petam ſtirpem juris a natura. Fin. 4, 2. *differo eam partem, quæ eſt quasi ſtirps hujus quæſtionis.* * Familia diſtinguitur a gente. Or. 1, 39. *Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudii ejuſdem nominis hereditatem gente ad ſe rediſſe dicebant.*

STRAGULA, veſtis, ſtragulum, peripetaſma, periſtroma, tapetum, quo lecti ſternuntur. Tuſc. 5, 21. *collocari jussit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimè textili ſtragulo, magnificis operibus picto.*

STRANGURIA, difficultas & dolor in urina mittenda. Tuſc. 2, 19.

STRIGILIS, inſtrumentum balneare, quo ad radendum detergendumque corpus utebantur. Tuſc. 4, 12.

STROPHIUM, zona acu picta, quâ feminæ præcinguntur. Har. R. 21.

SUBROGARE, conſulem aut alium magiſtratum in mortui locum rogare. Eſt magiſtratûs habentis comitia: populus verò *ſufficit.* Ad Brut. 5 *ſtatim Panſa collegam ſibi ſubrogaſſet.*

SUBROSTRANI. Fam. 8, 1. homines otioſi, qui dies totos ſub roſtris ambulant, circulos faciunt; iidem qui & *ſubbasilicani* & *columnarii* dicuntur.

SUBSCRIBERE, propriè eſt Att. 9, 16. *Cæſar mihi litteras misit, quarum exemplum ſubſcripsi.* * De accuſatore, quòd in deferendo nomine alicujus ſuum quoque nomen & cauſam accuſationis ſubſcribebat. * Eſt deinde accuſatoris ſecundarii. Ad Q. Fr. 3, 3. *Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, ſubſcribente privigno Memmio.* * Cenſores ſubſcribere etiam dicuntur, quum ſub nomine alicujus ſcribunt qua de cauſa notatus a ſe sit. Cluent. 42. *video animadvertiſſe cenſores in*

quoſdam judices, quum iſtam ipſam cauſam ſubſcriberent. * Dicitur etiam de iis, qui nomen ſuum apud aliquem deferunt, profitentur, & in tabulis ſcribunt. Verr. 3, 51. *numerus aratorum quotannis apud magiſtratus ſubſcribitur.*

SUBSCRIPTIO, de accuſatore ſecundarum partium. Cæcil. 15. *qui ſubſcriptionem sibi poſtularunt, cuicumque vos delationem dediſſetis.* * De cenſoriis notis. Cluent. 47. *ſubſcriptione notare.* Ibid. *ſubſcriptiones cenſorias delere.* * De aratoribus. Verr. 3, 48. *jugerum ſubſcriptio ac profeſſio.*

SUBSCRIPTOR, accuſator ſecundarius, sive accuſatoris adjutor, a ſubſcribendo dictus, quia quum accuſator nomen rei defert, nomen ſuum quoque ſubſcribit. Cæcil. 15. *at venit paratus cum ſubſcriptoribus exercitatis & diſertis.* * Qui alicui aſſentitur, morem gerit. Dom. 19. *venalis adſcriptor, & ſubſcriptor tuus.*

SUBSELLIA, in judiciis ſunt ſedes judicum, patronorum, advocatorum utriuſque partis. Brut. 84. *ſubſellia grandiorem vocem desiderant.* Fam. 13, 10. *verſatus in utriſque ſubſelliis cum ſumma fama & fide*, de eo, qui judicem & patronum egit. * Subſellia ſunt etiam ſenatorum ſedes. Catil. 1, 7. *adventu tuo iſta ſubſellia vacua facta ſunt.* Fam. 3, 9. *longi ſubſellii judicatio & mora*, de triumpho, ad quem decernendum magnus ſenatorum numerus requiritur. * Sunt denique ſedes in theatris, circis &c. Frag. Corn. 1. *quòd paſſus eſſet tum primùm a populari conſeſſu ſenatoria ſubſellia ſeparari.*

SUBSIGNARE, eſt ſubſcribere, differtque a signare. Flac. 32. *illud quæro, sintne iſta prædia cenſui cenſendo; habeant jus civile; sint, necne*

ſint mancipi; subsignari apud ærarium, apud cenſorem possint? Prædia dicuntur *ſubsignari*, quum in cenſum deferuntur, h. e. ſub nomine civis Romani in tabulis cenſoriis ſcribuntur.

SUBSORTITIO, eſt altera ſortitio judicum, quâ ſcilicet ſupplentur judices, poſt priorem prætoris aut judicis quæſtionis ſortitionem rejecti ab accuſatore & reo. Verr. 1, 61. *nam de ſubſortitione illa Juniana judicum nihil dico.* * Catalogus judicum ſubſortitione delectorum. Cluent. 33. *quòd Verres ſubſortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur.*

SUCCIDIA, caro ſuilla fumo durata. Cato. 16. *hortum ipsi agricolæ ſuccidiam alteram vocant.*

SUCCONES. Att. 7, 13. *Oppios enim de Velia ſuccones dicis.* Oppios argentarios Atticus dixerat *ſuccones*, a voce Græca ὀπὸς ſuccus. Sed Corradus mavult *ſaccones*, a ſaccis, qui ſunt nummorum receptacula. Manutius autem & Gronovius reponunt *ſalacones*, h. e. oſtentatores pecuniosos.

SUFFICERE, in locum alterius creare, de magiſtratibus, in primis conſulibus, qui in locum mortui conſulis, aut de ambitu damnati &c. creantur. * Inficere, imbuere. Frag. Hortensii apud Nonium, *qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt priùs lanam medicamentis quibuſdam.*

SUFFRAGARI, laudare, favere. Leg. 11. *videris fratrem laudando ſuffragari tibi.* Dom. 10. *si ejus dignitati ſuffragatus viderer.* * In primis autem in petitionibus magiſtratuum, ut amici, ita res quædam ſuffragari dicuntur. Sul. 24. *quum Catilinæ ſuffragaretur.* Off. 1. 39. *domus ſuffragata eſt domino, homini novo.* * Quum de legibus dicitur, eſt ſuadere. Verr. 5, 69. *legi ſuffragari.*

Opponitur τῷ adverſari. * Hinc pro juvare. Cæcil. 7. *Hortenſius tibi ſuffragatur.* Fam. 10, 5. *fortunâ ſuffragante videris res maximas conſecutus.* Hinc *ſuffragatio* & *ſuffragator.*

SUMERE, in re pecuniaria eſt verſuram facere. Att. 13, 14. *quam pecuniam tutor ſumpſerat in Achaia.* * Suſcipere. Vatin 11. *ſumere inimicitias.* Att. 1, 1. *ex ratione ſumpta offenſio.* * Præmiſſæ ſyllogiſmi dicuntur ſumi. Fin. 3, 8. *quod efficiebatur ex duobus, quæ erant ſumpta.*

SUMMA. Rabir. Poſt. 4. *ſumma litium*, de æſtimatione litis. * Tuſc. 3, 23. *hæc oratio de ipſa ſumma mali nihil detrahit.* Att. 15, 1. *ad ſummam*, h. e. ut brevi me expediam. * *Summa* dicitur id, quo tota res redit, quo tota continetur, quemadmodum in rationibus *ſumma* omnia nomina continet. Fam. 10, 25. *cujus ſententia hæc eſt ſumma.* Att. 10. 5. *ſermo eamdem ferè habuit ſummam.* * *Summa* reipublicæ, vel *ſumma* reſpublica, a qua pendet ſalus univerſæ reipublicæ. Verr. 2, 10. *pertinet hoc ad ſummam reipublicæ.* Catil. 3, 6. *conſului ſenatum, de ſumma rep. quid fieri placeret.* Planc. 22. *denuntiaſti quid de ſumma rep. ſentires*, h. e. utrum popularis eſſes, an optimatibus faveres. * *Summa* rerum dicitur de ſummo imperio in republica. Roſc. A. 32. *dum is in aliis rebus occupatus erat, qui ſummam rerum adminiſtrabat.* * *Summa* philoſophiæ eſt philoſophia univerſa, aut quod eſt in philoſophia præcipuum. Fin. 2, 27. *quoniam omnis ſumma philoſophiæ ad beatè vivendum refertur.* * Sic *Summa* hominis eſt quod in homine principatum tenet. Fin. 5. 14. *in homine autem ſumma omnis eſt animi, & in animo, rationis.* * Ad Q. Fr. 3, 5. *in omni ſumma, ut mones, valde*

me ad otium pacemque converto, h. e. in omni re hoc ſummum duco, hoc in primis ago, ut me ad pacem convertam.

Summus. Arch. 8. *ſummi homines*, de eruditis. * Att. 15, 18. *omnia ſumma facere*, eſt facere quantum poſſis. * In primis autem eleganter jungitur ſubſtantivis, ut ſignificetur id a quo res tota pendet. Verr. 1, 15. *ſumma rei cauſæque nocere.* Dom. 2. *ſumma religio*, eſt res, a qua omnis religio pendet. Cæcin. 2. *ſumma exiſtimatio.* Roſ. A. 51. *ſumma reſpublica*, eſt ſalus univerſæ reip. & id a quo ea pendet. Catil 1, 5. *ſummum reip. tempus*, eſt quo ſumma ſalus periclitatur. * *Summum jus.* Vide *jus.*

Superior. De loco ſuperiore, eſt de tribunali, de ſella curuli, vel de ſuggeſto in concione populi. Verr. 1, 5. *hanc ego cauſam quum agam.... de loco ſuperiore.* Fam. 3, 8. *ſermones ex ſuperiore & ex æquo loco habiti.*

Superstes. Mur. 11. *utriſque ſuperſtitibus præſentibus. Superſtites* eſſe præſentes docuerunt ad hunc locum viri docti, adjectamque vocem *præſentibus* eſſe gloſſema, atque adeo delendam.

Supplicatio, eſt ſolenne plurium dierum ex ſenatusconſulto, quo diis gratiæ aguntur ob res in bello feliciter geſtas. Ciceroni tamen hoc contigit uni, ut propter rem domi geſtam ſupplicatio ei decerneretur. Catil. 4, 10. * Sed ſunt etiam ſupplicationes funerum, eæque, ut Manutio placet, unius diei. Vatin. 12. Phil. 1, 6.

Susque deque. Att. 14, 6. *Nam de Octavio ſuſquedeque*, h. e. non curo ſurſum an deorſum; quomodocumque eat. Nam propriè eſt *ſurſum deorſum.*

Sustinere, retinere currentem vel præci-

pitem. Tuſc. 4, 18. *ut ſi poſſe putet eum, qui ſe e Leucata præcipitaverit, ſuſtinere ſe, quum velit.* Att. 10, 21. *ſuſtinere remos*, eſt attollere, non remigare. Hinc ad varia transfertur. *ſuſtinere aſſensionem, ſuſtinere impetum benevolentiæ, ſuſtinui me.* * Manere alicubi. Att. 10, 2. *ſuſtinui me in Arcano fratris, dum &c.* * Alere. Att. 2, 16. *qui ager non ampliùs hominum quinque millia ſuſtinere poteſt.* * Defendere. Verr. 5, 39. *hoc crimen ſuſtinere ſe nullo modo poſſe.* * Tueri. Red. 1, 4. *ſuſtinere nomen conſulatûs.* * Fam. 11, 13. *quum ſuſtinere eos* (rogantes) *non poſſet*, h. e. neceſſariò rogata faceret. * Fam. 1, 9. *fronte atque vultu ſimulatio facillimè ſuſtinetur.*

SYNGRAPHA, Litteræ quibus creditor ſibi cavet a debitore, ut probare possit ſibi ab eo pecuniam deberi; eæque à teſtibus obsignatæ, in templis, aut apud amicum communem, aut apud argentarium, aliamve perſonam publicam deponuntur, earum exemplis creditori & debitori datis. Verr. 1, 36. *pecunias occuparat apud populos, & syngraphas fecerat*, de creditore. Mur. 17. *tamquam ex syngrapha agere cum populo*, h. e. tamquam debitum poſtulare, ut pecunia debita ex ſyngrapha poſtulatur. Att. 5, 21. *ex syngrapha jus dicit* prætor, quum decernit ſolvendam eſſe pecuniam, quæ ex ſyngrapha debeatur.

T.

TABELLA, tabula cerâ inducta, in qua ſcribitur. Sic eſt pro epiſtola Catil. 3, 5. *tabellas proferre jussimus, quæ a quoque dicebantur datæ*, unde etiam tabellarii dicuntur, qui litteras per-

ferunt. Item pro ſyngrapha, aut alio inſtrumento, quod fidei faciendæ causâ fit. Tuſc. 5, 11. *tabellis obsignatis agis mecum, & teſtificaris quid dixerim.* * Sunt etiam *tabellæ*, quibus in comitiis ſuffragia, in judiciis ſententiæ feruntur, unde leges tabellariæ dictæ ſunt.

TABERNACULUM. Legatis, magiſtratibus in provincias ituris dabantur publicè tabernacula, in quibus pernoctarent, si quando deeſſet deverſorium. Att. 5, 16. *multis locis ne tectum quidem accipio, & in tabernaculo maneo plerumque.* Agr. 2, 13. *deinde ornat decemviros tabernaculis, tentoriis, ſupellectili.* * In caſtris ſolent eſſe milites in tabernaculis, unde elegans illud in Brut. 9. de Demetrio Phalereo. *Processit enim non ut e militari tabernaculo, ſed ut e Theophraſti umbraculis*, h. e. non in causis forensibus verſatus eſt, de quibus etiam *pulvis* & *ſol* dicitur, ſed in philoſophorum ratione ſubtili & leni. * Porrò *tabernaculum* eſt etiam auſpicantium ante urbem noctu in templo. Div. 1, 17. *quum tabernaculum vitio cepiſſet imprudens*, hoc quale ſit oſtenditur ibid. *quòd inauſpicatò pomœrium transgreſſus eſſet conſul.* Div. 2, 35. *tabernaculum rectè captum.* Or. 3, 20. *collocare tabernaculum vitæ ſuæ in philoſophia.*

TABULA, omne genus inſtrumenti, sive ex ære facti, sive cerati, in quo aliquid ſcribitur. *Tabulæ* ergo dicuntur 1°. codices acceptorum & expenſorum. Roſc. C. 1. *is in ſuo judicio ſuis tabulis teſtibus uti conatur.* Verr. 2, 7. *multorum tabulis vobis ſatisfactum eſt.* Codices etiam rationum publicarum dicuntur *tabulæ publicæ* 2°. *tabulæ novæ* dicuntur, quum nomina in tabulis expenſorum mutantur, h. e. aut planè delentur,

quod quum eſſet juſſum, omnes om
mutandæ, & aliter ſcribendæ erant.
exſpecto ecquid Dolabella tinniat,
merandâ pecuniâ, *an in meo non*
novas fecerit, deleto quod ſcriptum
bulæ ſunt etiam ſuffragia ferentium
in judiciis &c. 4°. Codices in quil
blica in cenſu, in judiciis &c. perſc
omne genus codicis cerati. Verr. 2,
las publicas corrumpere auderes, de
quo ſcripta erant nomina reorum.
conſulta, leges &c. in ære ſcripta
tiones, ſyngraphæ &c. Phil. 1, 1. *n*
ullius decreti Cæſaris figeretur. Roſc.
bulis proſcriptorum eximere nomen. A
6. *Racilius tabulam proſcripsit ſe fa*
nianam venditurum. 6°. geographica de
& Græcè πίναξ dicitur. Att. 6. 2
tabulæ. 7°. *tabula* eſt etiam argenta
ſa. Cæcin. 6. *adeſt ad tabulam*, *l*
tius. Nam auctiones privatæ ferè ad
gentarii fiebant, ut pretia rerum in
gentarii referri poſſent. Item vadi
ſyngraphæ fieri, aliaque ejuſmodi

TABULARIUM, locus in quo tabulæ publicæ ſervantur. Rabir. Perd. 3. Arch. 4.

TAGAX, fur, ab antiquo *tagere.* Att. 6, 3. *eſt enim levis, libidinoſus, tagax.*

TALARIA, calcei alati, qui Nat. D. 3, 23. Mercurio & Minervæ tribuuntur, ad significandam celeritatem. Hinc Att. 12, 21. *talaria videamus*, h. e. fugiamus.

TALUS, os eminens in extremo pede animalium, ex quo ludi, qui inde talarius dictus, inſtrumentum fit, unde nomen duxit : ſed beatiores ex ebore, auro, argento habebant. Tali differunt a teſſeris, quæ ſex latera habent, quum in talis sint quatuor, & quidem in longitudinem : duorum in latitudinem laterum ratio nulla ducitur. Punctum eſt in uno latere unum : latus oppositum ſex puncta habet, unde *ſenio* dicitur : reliqua latera tribus & quatuor punctis notantur. Luditur talis quatuor, Div. 1, 13. teſſeris autem tribus : concutiuntur in fritillo, & inde in tabulam mittuntur luſoriam sive talariam. Optimus jactus eſt *Venerius*, quum omnes tali latus aliud oſtendunt ; pessimus, quum omnes idem, qui *canis* dicitur : in reliquis jactibus numerus punctorum valet. Ceterum non eaſdem leges videntur omnes ſervaſſe, ſed de quibus convenerat inter ludentes. Quum talus cadebat in caput, h. e. in latus, quod erat in latitudinem, jactus repetendus erat. In hoc jactu dicitur talus *rectus cadere*, *rectus assiſtere.* Fin. 3, 16.

TANTUM. Formula, *tantùm quòd*, duobus modis accipitur. Ac 1°. *pro vix, modò.* Fam. 7, 23. *tantùm quòd ex Arpinati veneram.* 2°. pro *hoc unum deerat, nihil deerat, niſi &c.* Verr. 1, 45. *tan-*

tùm quòd hominem non nominat. Verr. 3, 53. *tantùm quòd Metellus &c.* Formula *eſt tanti*, ſignificat eſſe aut fuiſſe, cur quis aliquid faciat, feceritve, utile fuiſſe ei qui fecerit.

TECTUS, qui occultat conſilia, negotia, diſſimulat. Roſc. A. 40. *tecti eſſe ad alienos poſſumus; amici multa videant neceſſe eſt.* Or. 42. *ac fortaſſe alii tectiores.*

TEMPESTIVUS. Opportunus. Tuſc. 1, 45. *multa mihi ad mortem tempeſtiva fuere, quæ utinam potuiſſem obire.* * Convivium *tempeſtivum.* Mur. 6. Cato. 14. quod ante tempus ſolitum initur, convivium de die. Item quod in multam noctem producitur.

TEMPLUM, locus ab auguribus certo ritu captus, ut in eo augurium agatur. Leg. 2, 9. *augures templa effata & liberata habento.* Templum autem hoc augurum erat ſpatium cœli in omnes partes, quouſque proſpici poterat: unde, in primis a poëtis, de cœlo dicitur. Somn. Scip. 3. *deus is, cujus eſt templum hoc omne quod conſpicio.* Div. 1, 20. *cœli cærula templa.* Et quoniam locus hic inauguratus & ſanctus erat, ideo locus omnis inauguratus *templum* dicitur, ut roſtra, curia &c. Vide Verr. 3, 96. Vatin. 10. Dom. 51.

TEMPUS eleganter & crebrò dicitur de ſtatu cujuſque & conditione, quâ certo tempore ſumus, aut fuimus, aut erimus, & quidem in utramque partem. Ad Q. Fr. 1, 1. 5. *Si quem fortè cognoſti amantiorem tuî, quàm temporis*, quo ſcil. Asiam proprætor obtines. Fam. 10, 1. *quæ si ad tuum tempus perducitur*, h. e. ad conſulatum tuum. Cæcil. 2. *tempus neceſſariorum meorum*, de Siculis injuriâ affectis, & Verrem

accuſare inſtituentibus. Fam. 1, 9. *ſcripsi tres libros versibus de temporibus meis*, h. e. de utraque fortuna, conſulatu & exsilio. Et exsilium quidem ſuum, totumque illud caſum & periculum a Clodio, ſæpe tempus ſuum appellat. Sext. 58. *tempori meo defuerunt*. Fam. 6, 6. *magna temporum noſtrorum varietas*. Ibid. *rerum hoc natura & temporum civilium ratio non patietur*. Nempe *tempora civilia*, ſunt ſtatus & conversiones civitatum. Dicitur etiam de tempore, quo quid actum eſt, aut agitur, aut agendum eſt, & de re, quæ quodam tempore acta eſt. Fam. 1, 7. *tempus Caninianum*. Dom. 51. *tempus illud erat tranquillum... tuum porrò tempus libertate populi. R. oppreſsâ &c.* * Opportunitas temporis. Roſc. A. 10. *tempore pugnare*, unde pro tempore opportuno dicitur. Ad Q. Fr. 1, 2. *ſed tempore ipſo de epiſtolis.* * *Ad tempus*, eſt quia tempus poſtulat. Planc. 30. *ne proferre videar ad tempus.* * Eodem ſenſu dicitur etiam *ex tempore*. Verr. 3, 20. *ex tempore naſcebantur edicta*. Ibid. 71. *nihil ex tempore dicit*, aut *temporis causâ*, ut alibi loquitur. Aliter autem eſt hæc forma, Att. 10, 1. *ex tempore futura conjicis*, h. e. ex præſenti tempore.

TENERE, tangere. Har. Reſp. 11. *terram non tenuit*. *Suſtinere, ne labatur res, & intereat. Or. 3, 45. *terra tenetur nutu ſuo*. Nat. D. 2, 54. *vita tribus rebus tenetur*. * In poteſtate ſua habere, regere. Sext. 19. *tenere rempublicam*, unde illud Att. 2, 18. & 7, 12. *qui tenent*, omiſſo reip. verbo. Mur. 38. *totam remp. in hac cauſa tenetis & gubernatis*. Att. 10, 11. *ego meum facilè teneo*. * Continere, reprimere. Fin. 2, 7. *tenere ſe non potuit*. Verr. 3, 1. *tenere*

cupiditates. * Conſequi quod velis, conficere rem. Fam. 1, 1. *res aliter teneri non poteſt.* Sext. 32. *res jam manibus tenetur.* Agr. 2, 17. *qui per curſum rectum regnum tenere non potuerunt*, ſumptâ a navigatione formulâ, in qua nautæ dicuntur *portum tenere.* * Aſſequi, intelligere. Sext. 10. *reconditos ſenſus alicujus tenere.* * Uti. Tuſc. 4, 3. *quia, nihil prolatum erat melius, id quod erat tenebant.* Flac. 23. *jam id videro, ſed primum illud tenebo.* * Retinere, obtinere, tueri. Mur. 28. *tenebatur illius operâ imperium.* Att. 13, 48. *tenere hereditatem.* Verr. Act. 1, 8. *ſed nos non tenebimus judicia diutius.* * Quemadmodum retineri dicuntur homines in legendo, audiendo &c. sic tenere etiam, quæ delectant, & faciunt, ut audire, legere, videre &c. velimus. Or. 62. *teneri ab oratore.* Cæcil. 11. *ingenio alicujus teneri.* Fam. 7, 20. *a quo etiam advenæ teneri ſolent.* * Retinere, morari. Fam. 10, 31. *tenuit tabellarios.* Ad Q. Fr. 2, 1. *ſe ſenatum negavit tenere.* Fam. 11, 16. *non tenebo te pluribus.* Verr. 1, 13. *ne diutius teneam.* * Reticere. Or. 2, 54. *ea, quæ occurrant, quum ſalsissimè dici poſsint, tenere.* * Capere, captum tenere in re aliqua, ut ſe expedire non poſſit. Quint. 20. *hîc te, inquit, teneo*, formula, quâ utimur, quum quis dixit aliquid, quo convinci res, de qua agitur, poteſt. Nat. D. 1, 26. *in Nausiphane tenetur*, h. e. ſe explicare non poteſt, ut dicat eum a ſe non auditum. * Teneri dicuntur, quæ deprehenduntur; & qui in aliqua re, crimine deprehensi, negare non poſſunt, atque adeo convicti ſunt, *teneri* dicuntur, quia expedire ſe non poſſunt. Flac. 16. *in minimis rebus ſæpe res magnas vidi deprehendi ac te-*

neri. Cluent. 44. *argumento crimen tenetur.* Cæcin. 2. *facilè tenerentur teſtibus.* Verr. 2, 40. *teneri in maleficio.* * Vincere, cauſam obtinere. Att. 12, 14. *tam claram, tamque teſtatam rem non tenebimus.* Lucul. 30. *si rectè concluſerit, teneo : sin vitiosè, minam reddet Diogenes.* * Teneri dicuntur etiam, quibus lege, jurejurando, pacto, aut aliâ hujuſmodi re necessitas eſt imposita alicujus rei aut faciendæ aut omittendæ. Piſ. 13. *pactione obſtrictum teneri.* Off. 3, 27. *teneri jurejurando.* Verr. 4, 34. *ſummo legum metu teneri.* Att. 12, 19. *quodam voto ac promiſſo me teneri.* * Pœnâ *teneri* dicuntur, qui eam meruere. Ad Q. Fr. 2, 3. *teneri eâ pœnâ, quæ eſt de vi.* Eo quoque ſenſu dicuntur etiam *lege teneri*, qui contra eam fecerunt, ex ea rei ſunt, & ejus pœnam meruere. Har. Reſp. 8. *Decrevit ſenatus eos, qui id feciſſent, lege de vi... teneri.* * Tenere in promissis eſt ſervare, facere promiſſa, pacta. Off. 3, 29. *tenendum eſt quod promiſeris.* Balb. 15. *fœdus quum magis fide illius populi, juſtitiâ veſtrâ teneretur.* * Contineri, conjunctum eſſe. Leg. 1, 7. *Deorum agnatione & gente teneri.* * Notanda eſt etiam hæc conſtructio, Leg. 3, 13. *nisi illi ipsi, qui frangere eas deberent, cupiditatis ejuſdem tenerentur.*

TERRIPAVIUM, terripudium, tripudium quid sit, Div. 2, 34.

TERUNCIUS, intellige nummus. Fuit olim quadrans, qui tres assis uncias continebat. Att. 7, 2. Hinc quoniam tota hereditas aſſe significatur, ex *teruncio* heres eſſet, qui quartam partem hereditatis acciperet. Sed conſtat Ciceronis ætate *teruncii* illam significationem, quâ qua-

drantem valebat in ratione denariaria, abolitam fuiſſe, & in ſeſtertiaria, quæ invaluerat, ratione fuiſſe quadragesimam partem ſeſtertii, ut antè denarii. Seſtertii autem tum quatuor assibus erant. Heres ergo ex *teruncio*, eſt heres ex uncia & quinque ſcriptulis. At illud Fam. 2, 17. *teruncium non attigit quiſquam*, eſt forma loquendi ex antiquis temporibus reliqua, quà significatur nullam, ne minimam quidem partem quemquam cepiſſe.

Tesqua, loca ſunt ex Feſto aſpera, difficilia.

Tesserula, Offi. 3, 43. Lapillus in pavimento, unde *opus teſſellatum*.

Testamentarius, ſubjector teſtamenti, falſarii genus. Offi. 3, 17. Verr. 1, 42. *Lex teſtamentaria*.

Testificari, teſtibus adhibitis tabulas & ſyngraphas facere, teſtibus confirmare, teſtatum facere. Quint. 6. *teſtificatur Quintium non ſtitiſſe*. Cluent. 51. *voluit teſtificari &c.* * Teſtes invoco. Fam. 8, 16. *deos hominesſque teſtificor*.

Testificatio, eſt confectio tabularum, quæ teſtibus adhibitis fit. Mur. 24. ubi vide Grævium.

Tetradrachmum, quatuor denarii: nam drachma reſpondet denario. Fam. 12, 13. *ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam eſt*.

Tetrarcha, dicebatur is, cui nomine regio uti non licebat, quamvis eſſet dignitate & poteſtate regiâ, & quidem præcipuè tum, quum obtinebat partem regni in quatuor partes divisi, ut reges Galatiæ, Judææ. Att. 2, 9. Hinc *tetrarchia*, regio cui *tetrarcha* imperat.

Theatrum, frequentia ſpectatorum & au-

ditorum. Or. 3, 50. *tota theatra reclamant.* * Occaſio, locus demonſtrandi ingenii, virtutis &c. Tuſc. 2, 26. *nullum theatrum virtuti conſcientiâ majus eſt.* Fam. 13, 64. *theatrum magnum habet iſta provincia.*

THENSA, vehiculum, quo simulacra deorum in pompa Circensi vehebantur, unde *thenſæ* apud Suetonium & alios, insignia divinitatis. Verr. 1, 59. *via thenſarum & pompæ.* Confer Verr. 3, 3. 5, 72. & Har. Reſp. 10.

TOGATA, intellige fabula, Sext. 55. quæ agitur ab actoribus togatis, atque adeo Romanorum hominum facta & mores exprimit. Huic opponitur Græca, quæ *palliata* dicitur. Græcis enim ita pallium proprium, ut toga Romanis.

TOGATUS, pro cive Romano, quòd civibus Romanis toga propria. Itaque togati opponuntur Græcis. * Pro Latino: nam Latini quoque togâ utebantur, utique poſtquam civitate donati, legibus Romanis utebantur. Etiam Gallia Ciſalpina a *togæ* uſu *togata* dicitur. * *Togati* opponuntur armatis, & ad pugnandum aptis, in quo toga impedimento eſt. Cæcin. 15. *advocatio togatorum.* * Offi. 1, 23. *qui togati reipublicæ præſunt* opponuntur imperatoribus.

TOGULA. Att. 1, 18. *Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur ſuam. Toga picta* ſcil. acu, erat triumphantium, & thenſas ducentium veſtis, quæ & *Jovis toga* dicitur, quia ſumebatur e capitolio, ut & palmata tunica, quæ & ipſa *Jovis tunica* dicitur. Erant enim in templis plurimæ deorum pretioſæ veſtes, quibus diebus feſtis ornarentur. Primus Gordianus propriam habuit togam pictam, tunicamque palmatam.

TOLLERE, ſuſcipere. Verr. 3, 1. *quid one-*

ris tollant. * Tolli alicunde dicuntur, qui locum aliquem relinquunt. Quint. 3. *tollitur ab atriis Liciniis.* * Ad Q. Fr. 2, 10. *ut te proficiſcens non tollerem*, nempe in rhedam aut lecticam. * Laudare. Fam. 11, 20. *quòd diceret te dixiſſe laudandum adoleſcentem, ornandum, tollendum : ſe. non eſſe commiſſurum, ut tolli poſſit.* Ambiguè dictum erat *tollendum*, quod duo poterat ſignificare, *laudandum* & *interficiendum.* Att. 2, 25. *tollere alicujus laudes in aſtra.* * Nat. D. 3, 33. *at Phalaris, at Apollodorus pœnas ſuſtulit*, h. e. dedit, ſolvit. * Liberos *tollere*, eſt agnoſcere natos pro ſuis liberis & educare, unde quoque dicitur pro, *creare liberos.* Div. 1, 21. *puerum, primus Priamo qui foret poſt illa natus, temperaret tollere.*

TOPIARIA, ars hortorum ornandorum. Ad Q. Fr. 3, 1. *topiariam facere videntur.* Unde *topiarius.* Ibid. *topiarium laudavi.*

TOREUMA, poculum auro argentove cælatum. Verr. 2, 52. *toreumata ſanè nota ac pretioſa auferuntur.*

TRIBUARIUS, ad tribus pertinens. Planc. 15. *res tribuaria* & *crimen tribuarium* dicitur, quo objecta eſt Plancio tribuum corruptio.

TRIBUNUS. Tria genera tribunorum ſunt apud Ciceronem, 1°. tribuni plebis, de quorum inſtitutione, causis, juribus, vide Liv. 2, 33. 2°. tribuni militares in legionibus, ut præfecti in turmis, ſubjecti legato, ut ipſis centuriones. Vide Fam. 15, 4. Creati ſunt modò a populo, modò ab imperatoribus. Ab his creatos docet locus ad Q. Fr. 2, 15. *M. Curtio tribunatum a Cæſare petivi &c.* A populo creatos innuitur Verr. Act. 1, 10. 3°. tribuni Ærarii, qui erant ordinis

plebeii. Itaque quum lege Aureliâ judicia cum omnibus ordinibus communicata eſſent, de plebe judicarunt tribuni ærarii. Per eos militibus pecunia ſtipendiorum numerabatur. In eorum nomine ludit Cicero Att. 1, 16. ubi de judicio Clodiano. *Tribuni non tam ærati*, h. e. nummati, divites, *quàm, ut appellantur, ærarii*, h. e. ære córrupti.

TRIBUTARIUS. Verr. 4, 66. *tabulæ tributariæ* dicuntur litteræ, quæ pecuniam aut promittebant, aut miſſam nuntiabant.

TRINUNDINUM, ſive trinum nundinum, ternæ nundinæ, quibus lex in comitiis ferenda promulgabatur, ut cives, ex agris in urbem ad nundinas confluentes, etiam atque etiam poſſent eam conſiderare. Ternæ autem nundinæ cum diebus interjectis conficiunt ſummam dierum ſeptemdecim. Numerandorum enim dierum initium fit a primis nundinis, & deſinit in tertiis: nundinæ autem ſecundæ bis numerantur, ut ſint & dies nonus a primis nundinis, & primus dies in altera enneade dierum.

TRIPUDIUM, quid ſit Cicero docet Div. 1, 15. Confer etiam Div. 2, 8. & Fam. 6, 6.

TRULLA. Verr. 4, 27. Erat vas vinarium, comparatum ad vinum hauriendum, & poculo infundendum, quod vel ipſum manubrium indicat.

TUMERE, ægrotum animo & perturbatum eſſe. Tuſc. 3, 9. *animus tumens in vitio eſt.* * Transfertur ad res ipſas. Att. 14, 4. *tument negotia*, h. e. imminent res novæ. Hinc ibid. 5. *tumorem rerum.* Hinc Phil. 8, 1. *tumultus*, qui eſt *perturbatio tanta, ut major tumor oriatur, unde etiam nomen ductum eſt tumultûs.*

TUNICATUS. Agr. 2, 34. *qui metus erat tu-*

nicatorum illorum. De infima plebe hominum, qui tunicâ sine toga utebantur, unde etiam *tunicatus popellus*, apud Horatium.

TURMALIS. Or. 2, 65. *turmales ſtatuæ* dicuntur, quæ plures ponuntur eodem in loco.

TYPUS, effigies fictilis. Att. 1, 8. *præterea typos tibi mando, quos in tecto atrioli poſſim includere.*

TYROTARICHUS. Fam. 9, 16. Att. 4, 8. genus cibi e caſeo & ſalſamentis, ut notatio verbi docet.

V.

VACATIO ejus eſt, qui a quacumque re moleſta aut laborioſa liber eſt. Res, a qua quis liber eſt, adjicitur interdum, interdum omittitur. Phil. 5, 19. *vacatio militiæ.* Font. 4. *pretium ob vacationem datum*, nempe a munere viæ publicæ muniendæ.* Adjiciuntur etiam cauſæ, propter quas quis liberatur. Fam. 9, 6. *quæ ſtudia... vacationem habent publici muneris*, h. e. poteſtatem faciunt a gerenda republica abſtinendi. Cœl. 12. *erat enim meum deprecari vacationem adoleſcentiæ.* Leg. 1, 3. *ego verò ætatis potiùs vacationi confidebam.*

VADARI, eſt jubere aliquem datis ſponſoribus polliceri ad diem certam ad agendum de re aliqua certum in locum venturum; & eſt petitoris: unde autem petitur, vadimonium promittit. Quint. 6. *ſe jam neque vadari ampliùs, neque vadimonium promittere.*

VADIMONIUM, eſt 1°. præſentia aut ab eo, quem quis eſt vadatus datis vadibus ſive ſponſoribus promiſſa, aut a ſponſoribus, qui ei qui vadatur, præſentiam alterius ſuâ fide & periculo

ſuo promittunt. Hinc formulæ. Quint. 6. *vadimonium promittere.* Ibid. 8. *vadimonium ſiſtere.* 2°. Ipſa poſtulatio & promissio præſentiæ. Ibid. 6. *hominem in præſentia non vadatur : ita sine vadimonio diſceditur.* Ibid. 5. *res eſſe in vadimonium cœpit*, h. e. res eò venerat, ut sibi inter ſe præſentiam certo die promiſiſſent. Ad Q. Fr. 2, 14. *vadimonium concipere*, eſt formulam ſcribere, quâ vadimonium poſtuletur & promittatur. 3°. Ipſa dies, quâ præſentia poſtulata & promiſſa eſt. Cato. 7. *meminere vadimonia conſtituta.* Quint. 5. *quum vadimonia dilata eſſent.* Ibid. 16. *ad vadimonium venire. Deſerere vadimonium. Obire vadimonium.*

VALLUM, ſeu vallus, munimentum circa caſtra, quod fit e palis, qui & valli dicuntur : unde eleganter Nat. D. 2, 57. *munitæ ſunt palpebræ tamquam vallo pilorum.* Vide etiam Cato. 15.

VAPORARIUM, eſt hypocauſtum, ſeu fornax, in qua ignis aquæ calefaciendæ in balneis ſuccenditur. Ad Q. Fr. 3, 1.

VAS, obſes, qui cavet populo in cauſa capitis, quæ nempe vel maximè ad populum & rempublicam ſpectat, unde cauſa publica dicitur. Ad Brut. 18. *me pro adoleſcentulo vadem accepit reſpublica.* Tuſc. 5, 22. *quorum quum alterum vadem mortis accepiſſet : alter ut vadem ſuum liberaret, praſtò fuiſſet ad horam morti deſtinatam.* Sed ſunt etiam vades rerum privatarum.

VASARIUM. Piſ. 35. pecunia, quæ ex ærario magiſtratibus in provincias euntibus, dabatur ad comparanda vaſa, quibus opus haberent. In militia, in itinere in provinciam, *vaſa* dicuntur, quæ in urbe *ſupellex.*

VASCULARII. Verr. 4, 24. ſunt artifices; qui ex auro argentove vaſa conficiunt; ſed sine cruſtis & emblematis.

VECTIGAL, propriè eſt pecunia, quæ pro vectura ſolvenda eſt: ſed deinde in genere dictum eſt pro omni reditu reipublicæ e decumis, ſcriptura, portorio &c. Att. 5, 21. *Vectigal prætorium* eſt pecunia quam prætor a provincialibus, ſalvâ lege de repetundis accipere poterat. Huic vectigali simile fuit *vectigal ædilitiorum*. Ad Q. Fr. 1, 1. 9. Hinc etiam de reditibus privatorum hominum dicitur. Parad. 6, 3. *magnum vectigal parcimonia*. Ibid. *ex meo tenui vectigali*.

VELITES. Quod genus militum sit, notum eſt. Eleganter in hac voce ludit Cicero Fam. 9, 20. *me autem a te ut ſcurram velitem malis oneratum eſſe, non moleſtè tuli*. Ciceroni Pætus miſerat *mala*, quæ vox & poma significat, & maledicta, convicia, quæ meritò regeruntur in ſe tamquam *velitem ſcurram*, quippe qui crebriùs jocis *velitatus sit* adversùs Pætum. Addit, gratias agens de malis, *non moleſtè tuli*: æquum eſt enim ſua quemque exempla pati.

VENALITII. Or. 70. ſunt mangones, qui homines venales habent, unde *familia venalitia*. Dicuntur etiam *venalitiarii*.

VERBUM. *Verba facere* tribus modis eſt apud Ciceronem. Primus eſt, quum de orationem habente dicitur, qui eſt vulgatiſsimus. Alter de magiſtratu ad ſenatum referente; & eſt formula ſolennis in ſenatusconſultis. Fam. 8, 8. *quòd M. Marcellus conſul V. F.* verba fecit. Tertius eſt de recitante formulam dedicationis. Dom. 46. Ibid. 52. *verba cadunt*, de eo, qui præ perturbatione animi verbum proloqui nullum poteſt,

aut obmuteſcit. * Tuſc. 2, 12. *verbo de ſententia deſtitit*; paucis monitus facilè ceſſit. * Att. 16, 10. *ſudvium meis verbis des.* * Verba ſunt etiam formula, quam prætor præſcribit judicibus, ut ex ea judicent. Quint. 20. *judicium accepit in verba &c.* & ſic ſæpe.

VERMICULATUS. Or. 3, 43. ex minutis lapillis per flexus varios tortuoſoſque ſtructus & compoſitus, in quo eſt quædam cum vermiculis ſimilitudo.

VERNACULUS, eſt propriè domi natus, ut *verna*, qui eſt ſervus domi natus: unde quidquid domeſticum, domo allatum dicitur, id etiam *vernaculum* dici poteſt. Or. 3, 24. *opus eſt rebus exquiſitis undique, & collectis, arceſſitis, comportatis ... ut ego in ædilitate laboravi, quòd quotidianis & vernaculis rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam.* Verr. 3, 61. *crimen domeſticum ac vernaculum*, h. e. fictum ab accuſatore. * Hinc vernaculum dicitur pro nativo, genuino, urbi Romanæ proprio. Fam. 9, 15. *imago vernaculæ feſtivitatis.* Brut. 46. *Tincam non minùs multa ridiculè dicentem Granius obruebat neſcio quo ſapore vernaculo.*

VERSURA eſt ſumptio pecuniæ mutuæ: unde duæ formæ loquendi. Prima eſt Cœl. 6. Font. 1. Flac. 20. Verr. 2, 76. *verſuram facere ab aliquo*, quæ ſignificat ſimpliciter, pecuniam ab aliquo ſumere mutuam. Altera eſt Att. 5, 1. *verſurâ factâ ſolvere.* Tuſc. 1, 42. *ſine verſura diſſolvere*, h. e. debitum ſolvere ita, ut aliûs debitor fias.

VERSUTUS quis dicatur, vide Nat. D. 3, 10. Confer Fin. 2, 17. & 3, 1.

VIATICUM, pecunia, quæ ex ærario daba-

tur ad comparanda magiſtratibus provincialibus, quæſtoribus, legatis inſtrumenta itineris, ut tabernacula, mulos &c. Dabatur autem pecunia redemptoribus, qui hæc viæ inſtrumenta curabant. Fam. 12, 3.

VIATOR, miniſter magiſtratuum, quo utebantur ad arceſſendos homines. Cato. 16. *a villa in ſenatum arceſſebantur & Curius & ceteri ſenes; ex quo qui eos arceſſebant viatores dicti ſunt.*

VICANUS, qui in vico habitat. Flac. 3. *Timolites vicanus.* Sed Div. 1, 58. *vicani aruſpices* ſunt, qui in vicis verſantur, eoſque peragrant quæſtûs causâ, ut in circis aſtrologi: unde *fallax circus* apud Horatium.

VICARIUS, ſervus ſervi lautioris, de peculio emptus, unde & peculii pars. Verr. 1, 36. *homines* ſervi *alii redditi, alii etiam nunc retinentur: peculia omnium vicariique retinentur.* Ibid. 3, 38. *hic Diognotus vicarium nullum habet.* * Sed in univerſum dicitur de omnibus, qui alterius loco operam præſtant. Sic procurator & cognitor dicitur *alieni juris vicarius.* Cæcin. 20. & ſucceſſorem ſuum Cicero appellat Mur. 37. *vicarium ſuæ diligentiæ.*

VICESIMA. Att. 2, 16. *agro Campano diviſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum, præter vicesimam?* Eſt autem vicesima pars pecuniæ, quâ vendi poſſet ſervus, qui manumittebatur. Liv. 7, 16. * Verr. 2, 76. *Vicesima portorii* eſt ipſum portorium, pro quo dabatur vicesima pars rerum, quæ exportabantur.

VICTORIATUS, nummus argenteus, victoriæ imagine ſignatus. Valuit duos ſeſtertios.

VINDICIÆ, a verbo *vindicare.* Eſt controverſia forenſis de poſſeſſione alicujus rei, quam

noſtram eſſe dicimus , quum alius teneat. Verr. 1 , 45. *pro præde litis vindiciarum ſatiſdare.* Mil. 27. *injuſtæ vindiciæ.*

VINDICTA. Rabir. Perd. 5. *una vindictâ liberabit.* Top. 2 , *vindictâ liber factus.* Virgula , quam prætor manumittendi ſervi capiti imponens , eum in libertatem vindicabat , hæc verba ſolennia dicens , *aio te liberum more Quiritium.*

VIRTUS. Tuſc. 2 , 18. *virtus ex viro appellata eſt ; viri autem maximè propria eſt fortitudo.* Itaque ab hac ceteras sic appellatas putat. * Fortitudo militaris. Sext. 65. *aditus in illum ſummum ordinem civium induſtriæ ac virtuti pateret.* Nempe *induſtria* cernitur causis in foro agendis , *virtus* in re militari. His duabus artibus aditus in curiam muniebatur. Sic Mur. 10. *rei militaris virtus* opponitur *forenſi laudi & induſtriæ.* * Ars , diſciplina , facultas artis alicujus. Offi. 1 , 32. *Itaque ſe alii ad philoſophiam , alii ad jus civile , alii ad eloquentiam applicant ; ipſarumque virtutum in alia alius mavult excellere.*

VISCERATIO , eſt diſtributio carnis crudæ inter plebeios , genus largitionis apud Romanos usitatum. Offi. 2 , 16.

VISIO , vox philoſophica , idem significans , quod *viſum* & *viſus.* Eſt autem ſpecies alicujus rei animo impreſſa , impulſu oblata extrinſecus. Tuſc. 2 , 18. *visio doloris & ſpecies.* Lucul. 11. *visio veri falsique communis a quibuſdam putatur.* Nat. D. 1 , 5. *viſum habent insignem & illuſtrem.* Tuſc. 1 , 41. *viſa ſomniorum.* Acad. 1 , 11. & pluribus aliis locis ; nam in Academicis multa eſt de visis diſputatio.

VITIARE. Att. 4 , 10. *num cenſum impediant tribuni diebus vitiandis* , h. e. ſervando de cœlo,

obnuntiando efficere, ut in iis nihil publici negotii geri poſſit. Hinc *vitioſus*, vitio creatus. Ph. 5, 3. *collega, quem ipſe fecit ſuâ nuntiatione vitioſum.*

Vitium dicitur, quidquid in alio reprehendi poteſt, aut reprehenditur ſive jure, ſive injuriâ. * In comitiis eſt malum auſpicium; & omne, quod comitia diſſolvere, & irrita reddere poteſt.

Vivere, *in diem*, *in horam*, eſt vivere ſine futuri cura. Hoc eleganter Cicero tranſtulit ad philoſophos Academicos, qui nihil ita ratum putant, ut ſibi id perpetuò tenendum exiſtiment. Tuſc. 5, 11. *in diem vivo.*

Vivus. Flac. 37. *de vivo nihil detrahit. Vivum* opponitur *lucro*. Eſt igitur ſors ipſa pecuniæ. Vide Verr. 3, 50.

Ulcus. Nat. D. 1, 37. *quidquid horum attigeris, ulcus eſt*, h. e. difficile ad probandum.

Umbilici, lapilli littorales, in umbilici modum naturâ facti. Or. 2, 6. *conchas eos & umbilicos legere conſueſſe.*

Votivus. Att. 4, 2. *votiva legatio*, quæ voti ſuſcepti & perſolvendi causâ petitur. Genus liberæ legationis. Verr. Act. 1, 10. *votivi ludi*, qui fiunt ex voto ab aliquo imperatore ſuſcepto.

Urbanitas, virtus ingenii, animique, quâ eleganter poſſumus, ut homines in urbe liberaliter educati, de omnibus rebus judicare, neque aliquid inepti aut abſurdi dicimus, ſed potiùs venuſtè, & cum ſpecie quadam liberali. Et eſt hoc genus urbanitatis per totam vitam, orationem, moreſque fuſum. Fam. 3, 7. Att. 7, 2. * Facultas jaciendorum dictorum, *apophthegmatum lepos*, ut Salluſtius in Sempronia appellat. Fam. 7, 32. *urbanitatis poſſeſſionem, amabo, qui-*

buſvis interdictis defendamus. * Ipſa dicteria. Cœl. 5. *contumelia, ſi facetius jactatur, urbanitas nominatur.* Or. 1 5. *celeritas & brevitas reſpondendi & laceſſendi, ſubtili venuſtate atque urbanitate conjuncta.* Fin. 2, 3. *in quantam hominum facetorum urbanitatem incurratis.* * Venuſtas quædam in ſono vocis, Romæ natis & educatis propria. Brut. 46. *urbanitatis color*, qui quid ſit in voce, ibi explicatur.

Urbs. Elegans eſt illud Ciceronis Div. 2, 16. *urbem philoſophiæ proditis, dum caſtella defenditis.*

Uredo. Nat. D. 3, 35. *si uredo aut grando quippiam nocuit.* Plinius diſtinguit inter *rubiginem* & *uredinem*, ut *rubigo* ſit ex rore putrefacto, *uredo* ex concreto, quum ſole oriente inuritur pruina.

Usucapio, eſt jus rei poſsidendæ, ſeu dominii adeptio, quæ oritur ex eo, quòd rem per certum temporis ſpatium, legibus definitum, ſine controverſia poſſedimus. Cæcin. 28. *uſucapio fundi, hoc eſt, finis ſollicitudinis ac periculi litium, non a patre relinquitur, ſed a legibus* * Eodem ſenſu dicitur *uſus.* Ibid. 19. *auctoritatem fundi & uſum lex jubet eſſe biennium.* Har. Reſp. 14. *nihil mortales a diis immortalibus uſu capere poſſunt.*

Usura, uſus rei, item quod pro uſu datur. Fam. 6, 12. *uſurâ falsi gaudii frui.* Agr. 3, 1. *parvam exigui temporis uſuram bonæ de me opinionis poſtulo.* Tuſc. 1, 39. *natura dedit uſuram vitæ, tamquam pecuniæ, nullâ præſtitutâ die.* De Stoicis, qui corpore vitâ functo ſuperſtitem animum dicebant, ſed non in æternum. Ibid. 31, *Stoici autem uſuram nobis largiuntur, tamquam*

cornicibus : diu manſuros aiunt animos, ſemper negant.

UTI, de rebus, & pecunia, quâ impendia ſuſtinentur. Att. 13, 31. *magis enim doleo, me non habere cui tradam, quàm habere, quî utar.* Quî ablativi modò tam plurali quàm singulari numero veteres ponebant. Att. 11, 11. *ut sit, quî utamur.* Hinc *utens*, qui ſumptum facit de pecunia ſua. Offi. 2, 20. *fac magnitudinem divitiarum juvare : utentior ſanè sit ; honeſtior autem quomodo ?*

VULTICULUS. Att. 14, 20. *Non te Bruti noſtri vulticulus ab iſta oratione deterret.*

VULTUS, oris conformatio ex animi habitu orta. Fam. 12, 30. *vultus tuos mihi expressit omnes.* * Dom. 52. *Vultus cadit*, de perterritis ſubitò.

VULTUOSUS. Or. 18. *ne quid ineptum aut vultuoſum sit*, h. e. nimis triſte & ſuperciliosum.

UXORIUS. Offi. 3, 15. *in arbitrio rei uxoriæ hæc verba maximè excellunt, meliùs æquiùs.* Res uxoria eſt dos, quam uxor attulit, & de qua poſt divortium ſolebat eſſe contentio.

X.

XYSTUS, eſt ambulatio ſub dio ante porticum ; in qua etiam ſedes, signa, flores. Lucul. 3. *quum pauca in xyſto locuti eſſemus, tum eodem in ſpatio conſedimus.* Att. 1, 4. *mittas quamprimum signa, & maximè, quæ tibi gymnasii xyſtique videbuntur.*

FINIS.

EX TYPOGRAPHIA BARBOU, 1768.

INDICULUS AUCTORUM,

QUOS in lucem edidit J. BARBOU, quorumque Editio locupletatur tum egregiis diagrammatibus, tum emendatissimis viticulis, exaratis a celebratissimo D. COCHIN, aliisque celeberrimis Magiſtris.

Catullus, Tibullus & Propertius, *in*-12.
Lucretius, *in*-12.
Virgilius, 2 *vol. in*-12.
Horatius, *in*-12.
Juvenalis & Persius, *in*-12.
Phædri & Aviani Fabulæ, *in*-12.
Martialis Epigrammata, 2 *vol. in*-12.
Plauti Comœdiæ, 3 *vol. in*-12.
Pub. Ovidius Naſo, 3 *vol. in*-12.
Cæſaris Commentaria, 2 *vol. in*-12.
Salluſtius, *in*-12.
Cornelius Nepos, *in*-12.
Velleius Paterculus, *in*-12.
Eutropius, *in*-12.
Quintus Curtius, *in*-12.
Cornelius Tacitus, 3 *vol. in*-12.
Imitatio Chriſti, ex recensione J. Valart, *in*-12.
Bezæ, Mureti & J. Secundi Juvenilia, *in*-12.
Selecta Senecæ Philoſophi Opera, *in*-12.
Sarbievii, (Casimiri) Carmina, *in*-12.
Encomium Moriæ ab Eraſmo.
Lucani Pharſalia, *in*-12.
Novum Jeſu Chriſti Teſtamentum, *in*-12.
Ciceronis Opera, 14 *vol. in*-12.

SUB PRELO.

Quintilianus, *in-12.*
Juſtinus, *in-12.*
P. Desbillons Fabulæ, *in-12.*
Plinii Naturalis Hiſtoria, *in-12.*
Titus Livius, *in-12.*

Reliqui Auctores singulis annis ab eodem Bibliopola prelo ſubjicientur.

14v. 5 18

Toronto

12/26/96

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06291 8522